BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
34 G
28

47.2.12. 6-5-1

67

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Herrera
de Præd.
Ss.

V
68

Digitized by Google

R.P. DOCTORIS AVGVSTINI DE HERRERA, GORMATIENSIS, SOCIETATIS IESV.

IN VNIVERSITATE COMPLVTENSI PRIMARII THEOLOGIÆ PROFESSORIS.

TRACTATVS

DE PRÆDESTINATIONE SANCTORVM, & Impiorum Reprobatione.

IN PRIMAM PARTEM SANCTI THOMÆ quæſt. 22. 23. & 24.

BIBL. SEC. COL. ROM. SOC. IESV. IHS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Anno 1671.

CVM PRIVILEGIO.

Compluti. In Typographia Mariæ Fernandez.

Digitized by Google

12.34.9.28

Digitized by Google

SANCTISSIMAE DEIGENI-
TRICI VIRGINI MARIÆ, ANGELORVM, ET HOMINVM AVGVSTISSIMÆ REGINÆ;

NVMINIS TRINI, SIMVLQVE VNIVS MAGNIFICENTISSIMO TEMPLO;

VIRTVTVM, AC GRATIARVM OMNIVM FELICISSIMO SOLIO;

INEXHAVRIBILI PERFECTIONV̄ ABYSO; PIORVM FAVSTISSIMÆ DVCTRICI; IMPIORVM benigniſsimæ Adiutrici:

MÆSTORVM CERTISSIMO SOLATIO; LÆTORVM SECVRISSIMO IVBILO;

HÆRESEOS POTENTISSIMÆ DEBELLA-TRICI; CATHOLICÆ VERITATIS SAPIENTIS-ſimæ Promotrici.

IN CONCEPTIONE NVLLA LABE FÆDA-TÆ; IN ORTV NVLLA NVBE OBSCVRATÆ; IN VI-ta omni decore ornatæ; in morte omni luce illuſtratæ; poſt mortem ſupra cunctos Beatorum choros fe-liciſsimè euectæ.

D. C. Q.

CVINAM Daturus erat, Amantiſsima Mater, laboris ſui primitias filius, niſi chariſsimæ ſuæ Parenti, cuius auxilijs quicquid eſt, debet? Si lege obſtringimur gratitudinis ei, qui in nos multa contulit beneficia, ingrati meritò nota inurerer,

ſi alij, quàm tibi librũ hũc ſiſterem. Nihil in me cir-
cunſpicio boni, quod non ſit donum tuæ largitatis. Per te
tui Filij Miles exiſto penè ſuperbus tanto Duce. Per te
profeci in hac Militia tot toto in orbe titulis clara. Per
te guſtaui latices ſcientiæ valdè, quia à te propinatos, dul
ces. Per te omnia magna mihi polliceor. Es ſanè tu feli-
cissima Stella, quæ mihi cuncta læta portendis. Securus
ergo perget meus liber per medios maris ſæculi fluctus
fauſtè ducatum ſequens tuum. Non eſt cur quiſquam ve
reatur triſte qui tuo procedit munitus Numine. Et certè
ſatis ineſt ei gratiæ, dũ tuo refulget decorus nomine. No
lui Patronum mortalem legere, ne ſub auſpicijs pergeret
opus Aſtri defectibus ſubiacentis. Tu lumen es occaſum
neſciens: vnde indeficiens tuis feries radijs, & illuſtrabis
ipſum mirificè. Adſpice, precor, illud, necnõ Authorem
ſuum, vt eos ſortiamur effectus ambo, quos læta cœli fa-
cies impertit eis, quos ridenti cõſpicit vultu. Phidiæ æmu
lari decreui ingenium, cum tuum inſculpſi nomen huic
operi. Volui nimirum, ne vllus id legeret, quin adoraret
te, luſtrans illud. Præterea mei laboris materies Patronã
te exigebat omninò, quæ prima ſulges prædeſtinata pura
rum inter creaturarũ choreas, quæque potiſsima eſt Me-
diatrix, vt qui felices futuri ſunt, Beatorum faſtis adſcri-
bantur. Exiguum, fateor, eſt hoc munus; at non exiguo da
tur affectu. Ingens euadet de ingenti amore. Fac etiam
tuum, & magnum fiet. Næ nil eſt tuũ, quod ſit non mag-
nũ. Haud plura fari iuuat, Mater Amabiliſsima. Super-
uacanea quippe ſunt verba, vbi ſupremus loquitur Amor
qui ſummè eſt eloquens fandi neſcius. Salue, mirabilis
Regina, meque benignis ſemper oculis intuere.

APPRO-

APPROBATIO DOCTORIS D. IOSEPHI Ruiz de Miranda, in Vniuerſitate Complutenſi pro doctrina Subtiliſsimi Scoti Primarij Theologiæ Profeſſoris, & Canonici Sanctæ Eccleſiæ Magiſtralis SS. Iuſti, & Paſtoris, &c.

EX remiſsione Domini Doctoris D. Ioannis Chriſoſtomi Perez Dauia Canonici, & Dignitatis Capellani Maioris Sanctæ Magiſtralis Eccleſiæ Sanctorum Iuſti, & Paſtoris, Vicarij Generalis Curiæ Archiepiſcopalis Complutenſis, attentè perlegi Tract. hunc *de Prædeſtinatione Sanctorũ*, quē elaborauit *R. P. Doctor Auguſtinus de Herrera*, inter luminaria magna Sacræ Societatis Ieſu ſplendidiſsimum Lumen: noſtræ Complutenſis Academiæ decus, & ornamentum, in ea Primariam Theologiæ Cathedram Regens. Opus ſane tanto Magiſtro dignum. In quo nihil inuenio, quod à veritate Catholica deuiet; multum equidem ad eam firmiter tuendam, & vtiliter edocendam. Qua propter iudico conuenientiſsimum vt in lucem ad maiorem lucem prodeat in diſcipulorum vtilitatem, & in non paruum, ſed maximum noſtræ Vniuerſitatis emolumentum. Sic ſentio Compluti, die 27. Aprilis anno 1671.

Doctor D. Ioſeph Ruiz de Miranda.

APPRO-

APPROBATIO DOCTORIS D. FRANCISCI CAMpuzano, in Vniuerſitate Complutenſi Veſpertinæ Theologiæ Cathedræ Moderatoris, & Canonici Sanctæ Eccleſiæ Magiſtralis SS. Iuſti, & Paſtoris, &c.

EX commiſsione D. Doct. D. Ioannis Chriſoſtomi Perez-Dauia, Iudicis Vicarij Generalis in hac Curia Epiſcopali, & in Sancta Eccleſia Magiſtrali Sãctorum Martyrum Iuſti, & Paſtoris Capellani Maioris, &c. Legi librum *de Prædeſtinatione*, cuius Author eſt *R. A. P. Dr. Auguſtinus de Herrera*, in noſtra Vniuerſitate Primariæ Cathedræ dignifsimus Moderator, & Societatis Ieſu feracifsimi pomarij felicifsimus fructus. Sed quid dico librum? melius dicerẽ Diuinæ Sapientiæ locupletifsimum theſaurum, in quo pro palma pari contentione decertant, inueniendi facilitas, & eligendi dexteritas. Quid dico librum? melius dicerẽ Theologiæ amœnifsimum campum, in quo ſtudiorum apes ad ſuum dulce doctrinæ nectar conficiendum, ex tot floribus veterum, nouarumque opinionum ſuccum, humoremque poſſunt ebibere, opus equidem ita varietate pulchrum, ita authoritate ſolidum, ita argumento ſubtile, quod omnem meam ſuperat commendationem: nec opus eſt cenſura, vbi debita ſunt elogia, à quibus violenter abſtineo timens laudibus huius Religioſiſsimi viri modeſtiam vulnerare. Quare concludo dicens quod non ſolum poteſt, ſed debet typis mandari, vt pote in eo nihil fidei Catholicæ, boniſque moribus contrarium oculi, adhuc aquilini, reperient; nam omnia, quæ in hoc tractatu continentur, librata ſunt, Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum PP. trutina. Prodeat igitur in lucem, in ſuæ Religionis honorem, in noſtræ Vniuerſitatis gloriam, & omnium Theologorum communem vtilitatem. Compluti 30. Aprilis anno Domini 1671.

Dr. D. Franciſcus Campuzano.

APPROBATIO REVERENDISSIMI P. MAGISTRI Fr. Rudeſindi de Mugica, Concionatoris Regij, olimque totius Congregationis Benedictinæ in Hiſpania, & Angliæ Generalis, & Abbatis Monaſterij S. Mariæ de Monteſerrato Matritenſis.

EXaminaui, & qua potui ſolerti indagine euolui ex Supremi, ac Regalis Senatus cõmiſsione, & præcepto, tractatum iſtum *de Prædeſtinatione Sanctorum, & Impiorum Reprobatione*, Authore *R. P. M. Auguſtino de Herrera*, ex Præclariſsima ſemperque veneranda Societatis familia in Vniuerſitate Complutenſi Primariæ Theologiæ Cathedræ digniſsimo Moderatore. Ecce in tanti, & adeo arcani Myſterij laberintho aperta, & patefacta ſine ambagibus via, & qua poteſt; conciſsione & nouitate doctrinæ, claritas maritata; quod & ſi à pluribus intentum, non ita à pluribus, in hoc præcipue tractatu, feliciter conſecutum. Profundiſsimum, & latiſsimum diuinæ Prædeſtinationis oceanum transfretatione difficilem quaſi lacteum reddit, & tranquillum. Sed quid mirum ſi eo nauigium appulit acuminis, vt non poſſit de inceps timere naufragium. Exiſtentiam, & neceſsitatem Sciẽtiæ Mediæ, vt Deus dirigatur ex illa, ad conferendum, vel non conferendũ auxiliũ; non quia talis directio, vel motio oriatur à meritis noſtris, tãquam à meritis, ſed tãquã à conditione requiſita: conferre auxilia indifferẽtia, quãvis voluntas collatiua ſit cũ altero ex extremis libertatis eſſentialiter connexa ſine ipſius libertatis læſione, & præiudicio. Modũ, & rationẽ, quibus Deus præſtat diſpenſatiue auxilij ſufficientis beneficiũ cum inefficaciæ præſcientia, retento benefactoris inſigni: decretum requiſitum ex parte Dei, quo ſuam applicet omnipotentiam, vt nobiſcum ad actus liberos concurrat; poſſe Deum eligere, & de facto eligere efficaciter ad gloriam, vt coronam, ante abſolutam præuiſionem meritorum: non ita ſe gerere diuinam Prouidentiam circa Reproborum iudicium: hæc omnia, & plura concernentia, ingenij perſpicacia, & ſoliditate germana, per docte, & dilucide tractat, neruoſe atque acute reſoluit; breue quidem, & primum opus, quod in lucem prodit Author, ſed profunditate maximum; quare cum Diuo Auguſtino concludam; *quantus erit feruor meridianus, cui tantæ lucis fuerunt crepuſcula.* Sic cenſeo, ſic ſubſcribo. Matriti in hoc Regali Monaſterio D. N. de Mõteſerrato, Die 30. Maij, Anno Domini 1671.

Fr. Rudeſindus de Mugica.

Aprobacion de los Superiores.

CON Licencia de los Superiores de la Religion, del Ordinario, y del Supremo Cõſejo de Caſtilla, y aprobaciones del Doctor D. Ioſeph de Miranda, Catedratico de Prima de Eſcoto de la Vniuerſidad de Alcalà: del Doctor D. Franciſco Campuzano, Catedratico de Viſperas de la miſma Vniuerſidad: y del Reuerendiſsimo Padre Frai Rudeſindo de Mugica, General, que fue de la Ordẽ de San Benito, y oy Abad del Conuento de Nueſtra Señora de Monſerrate de Madrid, y Predicador de ſu Mageſtad.

Suma del Priuilegio.

TIene Priuilegio el P. Doctor Auguſtin de Herrera de la Compañia de Ieſus por tiempo de diez años para imprimir vn libro intitulado *Tractatus de Prædeſtinatione Sanctorum, & Impiorum Reprobatione*, como conſta de teſtimonio. Dado en Madrid à 7. de Iunio de 1671.

Su-

Suma de la Taſſa.

TAſſaron los Señores del Conſejo eſte libro intitulado *Tractatus de Prædeſtinatione Sanctorum, & Impiorum Reprobatione*, à ſeis mrs. cada pliego, como conſta del teſtimonio.

Errata ſic corrige.

PAg. 156. linea 20. aſſerentes, lege *aſſerens*. Pag. 2. linea 19. dicantur, lege *dicuntur*. Pag. 4. linea 2. & cum, leg. *& cum*. Pag. 4. linea 14. liberenter, lege *liberentur*. Pag. 5. linea 6. ſignificat enim, leg. *ſignificat etiā*. Pag. 10. linea 27. Pretea, leg. *Præterea*. Pag. 14. linea 13. eumque, leg. *cumque*. Pag. 18. linea 19. deceſsione, leg. *deciſſione*. Pag. 19. linea 16. vt, lege *vi*. Pag. 25. linea vltim. licet, lege *ſicut*. Pag. 41. collationem, lege *collatiōne* Pag. 252. linea 17. Dici, lege *Dico*. Pag. 386. linea 14. alie, lege *odio*, Pag. 386. linea 19. intendendi, lege *intendenti*.

His erratis demptis, vel correctis, ſuo cætera reſpondent exemplari.

Dr. D. Franciſcus Ignatius de Porres,
Corrector Vniuerſitatis.

IN-

INDEX
QVÆSTIONVM, ET SECTIONVM.

QVÆST. I.

De eſſentia, & exiſtentia Prædeſtinationis.

SECT. 1. De nomine, & exiſtentia Prædeſtinationis. Pag. 2.
SECT. 2. Definitur Prædeſtinatio, & cùm Prouidentia confertur. Pag. 4.
SECT. 3. De actibus eſſentialiter requiſitis ad Prædeſtinationem: & primò de actibus intellectus. Pag. 8.
SECT. 4. Qui actus voluntatis eſſentialiter requirantur ad Prædeſtinationem? Pag. 11.
SECT. 5. Vtrùm ad Prædeſtinationem requiratur imperium intellectuale? Pro cuius dubij deciſione præmittuntur aliqua. Pag. 18.
SECT. 6. Imperium intellectuale, quod neque iudicium, neque apprehenſio ſit, inintelligibile eſt. Pag. 21.
SECT. 7. Imperium intellectuale, quacumque ratione conſtituatur, non requiritur ad liberam voluntatis determinationem. Pag. 23.
SECT. 8. Quid dicendum ſit in caſu diſtinctionis electionis ab intentione, & vſus ab electione? Pag. 28.
SECT. 9. Vtrum Prædeſtinatio ſit formaliter actus intellectus, an voluntatis? Pag. 33.

QVÆST. II.

Vtrum, & qua ratione, Deus Scientia Media dirigatur ad collationem auxiliorum?

SECT. 1. Nonnulla præmittuntur ad ſtatũ quæſtionis intelligẽdũ. P. 37.

SECT.

SECT.2. Suppoſita exiſtentia Scientiæ Mediæ, Deus neceſſario ex illa dirigitur ad collationem auxiliorum, quatenus neceſſarium eſt Scientiam Mediam exiſtere in ſigni apto, vt Deus moueatur ex illa ad conferendum, vel negandum auxilium. P. 40.
SECT.3. Scientia conditionata liberorum debet exiſtere in ſigno apto ad mouendum Deum ad collationem, vel negationem auxiliorum. Pag.43.
SECT.4. Soluuntur obiectiones. Pag.47.
SECT.5. Vtrùm Scientia Media, & ipſo, quod dirigat modo explicato, præcedat natura ad auxiliorum collationem? Pag.56.
SECT.6. Explicatur hæc præcedentia. Pag.62.

QVÆST. III.

Vtrum ad libertatem cum auxilio efficaci ſeruandam neceſſarium ſit, quod auxilium per decretum indifferens conferatur?

SECT.1. Status quæſtionis, & nonnulla præſuppoſita. Pag.65.
SECT.2. Hæc vltima ſententia propugnatur. Pag.67.
SECT.3. Potiſſimum argumentum diſſoluitur. Pag.72.
SECT.4. Reliqua argumenta ſoluuntur. Pag.81.

QVÆST. IV.

Vtrùm, & qua ratione, præuidens Deus auxilij inefficaciã in ſigno ſuæ libertatis ad prædictum auxilium conferendum, illud præſtans, & conſenſum ſerio procuret, & ſe benefactorem exhibeat?

SECT.1. Proponitur prima difficultatis pars. Pag.85.
SECT.2. Propoſitæ obiectiones ſoluuntur. Pag.87.
SECT.3. Examinatur ſecunda pars difficultatis: nempè: qua ratione Deus præſtet beneficium diſſenſuro, cum illi confert auxilium ſufficiens cum inefficaciæ præſcientia. Pag.94.
SECT.4. Duæ explicationes reijciuntur. Pag.96.

SECT.5.Explicatur noſtra ſententia. Pag.103.

QVÆST. V.

Vtrùm Deus de facto moueatur ex efficacia, vel inefficacia auxilij ad illud conferendum.

SECT.1.Prima pars noſtræ ſententiæ. Pag.114.
SECT.2.Statuitur ſecunda Concluſio. Pag.117.
SECT.3.Secunda pars noſtræ ſententiæ. Pag.120.

QVÆST. VI.

De decreto requiſito ex parte Dei, quo ſuam applicet omnipotentiam, vt nobiſcum ad actus liberos concurrat.

SECT.1.Nonnulla præmittuntur. Pag.123.
SECT.2.Decreta abſoluta, efficacia, & omnino antecedentia, authoritate reijciuntur. Pag.124.
SECT.3.Probatur à ratione hæc decreta tollere libertatẽ. p.137.
SECT.4 Senſus compoſiti, & diuiſi effugium occluditur. P.144.
SECT.5. Vlterius oſtenditur prædicta decreta tollere libertatem. Pag.149.
SECT.6. Fundamentũ ab authoritate petitũ conuellitur. P.154.
SECT.7. Rationes Theologicæ aduerſariorum proponuntur, & diſſoluuntur. Pag.160.
SECT.8. Fit ſatis argumentis, quæ directè impugnant decretum indifferens applicatiuum omnipotentiæ. Pag.164.

QVÆST. VII.

Reffellitur qualibet prædefinitio diuina ad materiale peccati.

SECT.1. Prædeterminantia decreta reffelluntur, quia ex eis infertur decretum prædeterminans ad peccatum, ſaltem ad materiale illius. Pag.171.

SECT.

SECT.2. Impugnatur prædefinitio ad materiale peccati ab authoritate. Pag.175.
SECT.3. Impugnatur prædefinitio ad materiale peccati à ratione. Pag.178.
SECT.4. Alijs argumentis probatur idem intentum. Pag.186.
SECT.5. Argumenta aduerſariorum proponuntur, & diſſoluuntur. Pag.192.

QVÆST. VIII.

Noſtra ſententia circa applicationem omnipotentiæ ad actus liberos.

SECT.1. Nonnullis præmiſsis proponitur noſtra ſententia. P.205.
SECT.2. Soluuntur obiectiones, quæ opponuntur indifferentiæ huius applicationis, prout a nobis traditur. Pag.211.
SECT. 3. Quæ ſit tendentia decreti applicantis omnipotentiam? Pag.218.

QVÆST. IX.

Vtrùm poſsit admitti decretum comitans à Scientia Media independens: ratione cuius Deus, & liberum arbitrium creatum, mutuo determinantur?

SECT.1. Explicatur hoc decretum. Pag.223.
SECT.2. Oſtenditur repugnantia huius decreti. Pag.225.
SECT.3. Aliter oſtenditur repugnantia huius decreti comitantis. Pag.230.
SECT.4. Hoc decretum comitans aduerſatur Scholæ Societatis. Pag. 238.
SECT.5. Soluuntur argumenta. Pag.244.

QVÆST. X.

Vtrùm Deus poſsit prædefinire, & de facto prædefiniat efficaciter noſtrum liberum conſenſum?

SECT.1. Nonnulla præſuppoſita. Pag.253.

SECT.

SECT. 2. Nulla prædefinitio conſenſus, ſiuè vt liberi, ſiuè ſecundum ſe, dependens à Scientia Media de ipſo, tollit illius libertatem. Pag. 255.
SECT. 3. Soluuntur obiectiones, quæ prædefinitiones in genere poſsibiles impugnant. Pag. 257.
SECT. 4. Vtrùm Deus prædefiniat efficaciter de facto noſtra bona opera? Pag. 267.
SECT. 5. Vtrū poſsit dari prædefinitio efficax conſenſus, præſcindens a libero, & neceſſario, dependens à Scientia Media. P. 273

QVÆST. XI.

Vtrùm prædefinitio intentiua efficax conſenſus, non habens eſſentialiter pendere á Scientia Media, tollat libertatem?

SECT. 1. Status quæſtionis proponitur. Pag. 278.
SECT. 2. Prædictū decretum præſcindens tollit libertatē. P. 280.
SECT. 3. Argumenta aduerſariorum proponuntur, & diſſoluuntur. Pag. 292.

QVÆST. XII.

Vtrùm Deus prædefiniat efficaciter pœnitentiā ante præuiſſum abſoluté peccatum?

SECT. 1. Nonnulla præmittuntur. Pag. 300.
SECT. 2. Poſsibilis eſt prædefinitio efficax pœnitentiæ ante abſoluté præuiſſum peccatum. Pag. 304.
SECT. 3. Soluuntur obiectiones. Pag. 308.
SECT. 4. Vtrùm Deus de facto prædefiniat efficaciter pœnitentiam ante abſoluté præuiſſum peccatum? Pag. 318.
SECT. 5. Proponitur, & conuellitur fundamentum aduerſariorum. Pag. 324.

QVÆST. XIII.

Vtrùm detur electio efficax ad gloriam, vt coronam, ante abſolutam præuiſionem meritorum?

SECT. 1. Status quæſtionis proponitur. Pag. 338.

SECT.2.Poſsibilis eſt electio efficax ad gloriam, vt coronam ante abſolutam præuiſsionem meritorum. Pag.340.
SECT.3.De facto datur electio efficax ad gloriam ante abſolutã præuiſsionem meritorum, Pag.347.
SECT.4.Soluuntur obiectiones. Pag.350.

QVÆST. XIV.

De cauſis, & effectibus Prædeſtinationis.

SECT.1. Nõnullis præmiſsis doctrina catholica ſtatuitur.P.356
SECT.2.Vtrùm detur aliquid ex naturæ viribus præuium ad gratiam per modum diſpoſitionis? Vbi explicatur illud Theologicum axioma: Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam. Pag.357.
SECT.3.Vtrùm in Prædeſtinatione detur aliquid ex gratiæ auxilio, quod ſit cauſa, vel ratio Prædeſtinationis, Pag.363.
SECT.4.De effectibus Prædeſtinationis. Pag.365.

QVÆST. XV.

De proprietatibus Prædeſtinationis.

SECT.1.De neceſsitate Prædeſtinationis. Pag.372.
SECT.2.De certitudine Prædeſtinationis. Pag. 373
SECT.3.De libertate, & contingentia Prædeſtinationis: vbi de Diſcretione prædeſtinati à reprobo, Pag.384.
SECT.4.Soluuntur obiectiones. Pag.391.

QVÆST. XVI.

Vtrùm repugnet creatura, quæ omnibus auxilijs diſſenſura, vel quæ omnibus conſenſura præuideatur?

SECT.1.Statuѕ quæſtionis proponitur. Pag.395.
SECT.2.Eligitur, & probatur hæc ſecunda ſententia. Pag.398.
SECT.3.Soluuntur argumenta ab authoritate D. Auguſtini deſumpta. Pag.405.

SECT.4. Argumentis à ratione petitis adhibetur ſolutio. P.412.

QVÆST. XVII.

De Impiorum Reprobatione.

SECT.1. Quid ſit Reprobatio, & quotuplex? Pag.423.

SECT.2. Vtrùm Deus ſerio, & ſincere intendat ſalutem Reproborum? Pro cuius reſolutione præmittuntur aliqua. Pag.424.

SECT.3. Deus habet veram voluntatem beneplaciti de ſalute omnium hominum, etiam Reproborum. Pag.428.

SECT.4. Deus ita vult ſalutem omnium hominum, vt omnibus, etiam reprobis, conferat veram ſufficientiam ad ſalutē? P.434.

SECT.5. Vtrùm detur, darive poſsit reprobatio poſitiua ante abſolutè præuiſum peccatum? Pag.443.

SECT.6. Soluuntur aduerſariorum argumenta. Pag.448.

SECT.7. De cauſis, & effectibus reprobationis. Pag.450.

Digitized by Google

TRACTATVS DE PRÆDESTINATIONE SANCTORVM, ET IMPIORVM REPROBATIONE.

TRIA ſunt, quæ in hoc tractatu fermè ab omnibus diſcutiuntur. *Prouidentia, Prædeſtinatio, & Reprobatio.* Ego pariter de his tribus præſentem tractatum inſtituo. Ita tamen, vt de Prouidentia illas ſolum quæſtiones exagitem, quæ ad pleniorem Prædeſtinationis notitiam ſpectant: ideoque non ſeorſim; ſed permixtim cum Prædeſtinatione de Prouidentia tractabo. Poſtquã vero de Prædeſtinatione iuſtorũ præcipuæ quæſtiones abſoluãtur, breuiter de Reprobatione impiorum ſermo erit.

De hac materia agunt D. Aug. tom. 2. epiſt. 105. & 107. & tom. 7. peculiari libro de Prædeſtin. Sanct. Proſper tribus libris de vocatione Gentium. Fulgentius lib. 3. ad Monimum. Theologi expoſitiui ad cap. 8. & 9. epiſt. ad Rom. Scholaſt. antiqui cũ Magiſtro in 1. diſt. 40. RR. cum Sãcto Thom. 1. p. q. 22. & 23. vbi innumeri eius interpretes videri poſſunt. Peculiarẽ de hac re edidit tractatum ipſe Angelicus Præceptor in opuſc. de Præſcientia, & Prædeſtinatione: quod adduci ſolet poſt 1. p. & in ſeptem capita diſſecatur.

QVÆST. I.

De eſſentia, & exiſtentia Prædeſtinationis.

VT plenius Prædeſtinationis natura cognoſcatur, neceſſariũ eſt accuratè eius eſſentiam declarare: in quo duo præſtanda ſunt. Primò, examinandum eſt ſigillatim qui actus ad Prædeſtina-

ſtinationem ſint eſſentialiter requiſiti, quo Prædeſtinationis phyſica entitas, ſeu eſſentia, declarabitur. Secundo in quo, vel in quibus actibus forma iter conſiſtat Prædeſtinatio, prout ſub hac expreſsione *Prædeſtinatio* explicatur, aperiendum eſt: vt hac ratione eſſentia metaphyſica Prædeſtinationis innoteſcat.

SECT. I.

De nomine, & existentia Prædeſtinationis.

1 HOc nomen *Prædeſtinatio* dupliciter accipitur à D. Aug. Primo in laxiori ſignificatione pro qualibet Dei præordinatione. Conſtat hæc generalis acceptio ex D. Aug. de Bono perſeuerantiæ cap. 17. in principio, vbi ait: ***Nam in ſua, quæ falli, mutarique non poteſt, praſcientia, opera ſua diſponere, id omnino, nec quidquam aliud eſt Prædeſtinare.*** Ex quo colligitur excludenda eſſe peccata à Prædeſtinatione, etiam latè accepta, cum peccata minimè iuxta præordinationem, aut diſpoſitionem diuinam cōmittantur. Doctrinam hanc tradit à parte author Hypognoſtici lib. 6. in principio. ***Bona (inquit) praſcit Deus, & prædeſtinat: mala autem praſcit, non vero prædeſtinat.*** At vero ſupplicia in delictorum pœnam aliquando dicuntur à Deo prædeſtinata. Ita loquitur Concilium Valentinum ſub Lothario cap. 3. ***Confitemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem.*** D. Auguſt. etiam lib. 15. de Ciuit. cap. 1. diſtinguens duas hominum Ciuitates, ſubdit poſtea: ***quarum eſt vna, quæ prædeſtinata eſt in æternum regnare cum Deo; altera æternum ſupplicium ſubire cum diabolo.***

2 Secunda acceptio ſtrictior eſt: ſumitur enim nomen *Prædeſtinatio*, non pro præordinatione diuina vtcumque; ſed pro præordinatione diuina creaturæ rationalis in vitam æternam. Ita Auguſt. de Bono perſeuerantiæ cap. 14. vbi ſic explicat Prædeſtinationē. ***Praſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsimè liberantur quicumque liberantur:*** quam definitionem infra explicabimus. Iuxta hanc acceptionē loquutus eſt Paulus, ad Rom. 8. ***quos praſciuit, & prædeſtinauit:*** & etiam eadem epiſt. cap. 11. ***Nō repulit Deus plebem ſuam, quam praſciuit.*** Quem textū ita explicat Aug. lib. de Bono perſeu. cap. 18. ***Hoc, quod ait, praſciuit, non rectè intelligitur, niſi prædeſtinauit: quod circumſtantia eiuſdem loquutionis oſtendit.***

3 Præterea Prædeſtinatio non ſolum dicitur in ordine ad gloriam; verum etiam in ordine ad gratiam. Ita Aug. de Prædeſtinat. Sanct. cap. 10. *Inter gratiam vero, & prædeſtinationem hoc tantum intereſt, quod prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio: gratia vero iam ipſa donatio.* Et paucis inter iectis *quo circa prædeſtinatio Dei, quæ in bono eſt, gratiæ eſt, vt dixi, præparatio: gratia vero eſt ipſius præparationis effectus.* Aduertere tamen oportet hic non eſſe ſermonem de quacumque gratia, ſed de illa, quæ deducit de facto in vitã æternam: hæc eſt gratia finalis. Ex quibus omnibus acceptionibus quæ præcipua, & in qua Prædeſtinatio noſtri tractatus ſubiectũ erit, eſt qua accipitur Prædeſtinatio pro directione diuina creaturæ rationalis ad finem vitæ æternæ.

4 Hæc Prædeſtinatio ſub varijs nominibus reperitur in ſcriptura: ſub nomine *electionis* Matth. 2. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*: ſub nomine *Præordinationis* Act. 13. *Crediderunt quot quot erant præordinati*: ſub nomine *Præſcientiæ* ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit.* Ex his, & ex pluribus alijs locis conſtat Prædeſtinationem iam ſub nomine actus voluntatis, iam ſub nomine actus intellectus ſignificari. Quod quidem ita intelligendum eſt, vt infra magis explicabimus, vt qui per actum intellectus Prædeſtinationem ſignificant, non loquantur de actu intellectus ſecundum ſe, & nudè ſumpto; ſed coniuncto, vel connexo cum actu voluntatis. Pari etiam ratione qui per actum voluntatis Prædeſtinationem declarant, loquantur de actu voluntatis directo, & regulato diuina ſcientia, ſiuè de actu voluntatis cum diuina ſcientia coniuncto.

5 Dari diuinam Prædeſtinationem conſtat ex Scriptura, præſertim ex Euangelio. Matth. 25. *Poſſidete paratum vobis regnum ab origine mũdi.* Matth. 21. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Ad Rom. 8. *Qui ſecundum propoſitũ vocati ſunt Sancti.* Ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo.* Conſtat etiam hæc veritas, vt obſervat P. Ruiz de Montoya de Prædeſt. diſp. 1 ſect. 4 num. 3. ex omnibus teſtimonijs Euangelicis, quibus aſſeritur quorundam nomina ſcripta eſſe in cœlis, vel in libro vitæ aliquos eſſe electos à Deo, eiſque paratũ eſſe regnum ab origine mundi: & ex alijs loquutionibus diuinam præordinationem iuſtorum in vitam æternam ſignificãtibus. Ideo optimè dixit D. Proſper. ad capita Gallorum cap. 1. poſt medium: *Prædeſtinationis autem fides multa ſanctarum authoritate Scripturarum munita eſt.*

SECT: II.

Definitur Prædeſtinatio, & eum Prouidentia confertur.

6 D. Aug. lib. de Bono perſeu. cap. 14. ſic Prædeſtinationem definit *Præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsimè liberantur quicumque liberantur. Præſciẽtia, & Præparatio* idem ſonant, ac *Scientia præcedens*, & præcedens paratio, ſeu diſpoſitio: quare prius ſcientiam, & diſpoſitionem beneficiorum Dei explicabimus, poſteaque antecedẽtiã exponemus.

7 Dicitur ergo *Prædeſtinatio* ſcientia, & diſpoſitio beneficiorum Dei *quibus, &c.* hoc eſt ſcientia, & diſpoſitio beneficiorũ Dei, quibus, vt à Deo collatis in ordine ad beatitudinem, infallibilis ſit ipſius beatitudinis conſequutio. Debere hoc modo intelligi definitionem, probatur per partes. Primo debet eſſe *diſpoſitio beneficiorum Dei ad hoc vt liberenter quicumque liberantur.* Probatur ex eo quod verbum *parare*, ſeu *præparare* non quamcumque diſpoſitionem ſignificat, ſed illam, quæ eſt in ordine ad aliquem finem. Cumque ſtatim ſubdatur liberatio iuſtorum, patet in ordine ad liberationem illorum Prædeſtinationem eſſe præparationem beneficiorum Dei: proptereaque idem eſſe apud Auguſtinum *præparatio beneficiorum Dei, quibus liberantur, &c.* ac præparatio beneficiorum Dei ad hoc, vt liberentur. Hoc ipſum docent omnes Theologi aſſerentes Deum prædeſtinatis conferre auxilia, vt ſalutem æternam conſequantur.

8 Præterea ea ratione debent ea beneficia à Deo ſcienter, & ſerio in ordine ad beatitudinem conferri, vt quatenus à Deo conferuntur, infallibiliter inſerant conſequutionem beatitudinis, Probatur. Præparare Deum media ſcienter, & prudenter, quibus certiſsimè liberentur, qui liberantur, eſt præparare ſcienter media certiſsima liberationis. At præparare ſcienter media certiſsima liberationis, eſt præparare media, quæ vt ſic à Deo præparata, certiſsima ſint, & finem infallibiliter obtineant. Ergo Deũ ſcienter præparare media, ſiuè beneficia, quibus certiſsimè obtineatur liberatio, eſt præparare ſcienter, & prudẽter media, quæ, vt ſic à Deo præparata, certiſsima ſint, & infallibiliter obtineant beatitudinem.

9 Particula *Præ* duplicem anteceſsionem ſignificat, & anteceſsionem temporis, & anteceſsionẽ cauſæ. Significat quidem anteceſsionem temporis: cũ enim ordinatio creaturæ rationalis in

vitam æternam ſit ab æterno; creatura vero in tempore, ſit inde prædictam ordinationem per totam æternitatem præceſsiſſe ad creaturam; ideoque *præordinationem*, ſeu *antecedentem ordinationem* merito nuncupari: idcirco non *ſcientiam*, & *poſitionem* beneficiorum; ſed *præſcientiam*, & *præparationem* beneficiorum Prædeſtinationem appellari ab Auguſtino: ſignificat enim particula *Præ* aliquam anteceſsionem cauſalitatis: nam reuera Prædeſtinatio, prout *præparatio* ſapiens auxiliorum eſt, cauſat iuſtorum beatitudinem.

10 Cum hac Auguſtini definitione coincidit alia D. Th. q. 23. art. 1. & 2. *Ratio tranſmiſsionis creaturæ rationalis in vitam æternam*: nam licet particula *ratio* ſonet actum intellectus, hic debet ſumi reduplicatiuè *in eſſe tranſmiſsionis* creaturæ rationalis in vitam æternam, vt infra dicam: ac ſi diceretur *Ratio intellectualis in eſſe tranſmittentis creaturam rationalem in vitam æternam.* Cum igitur actus intellectus conſtituatur in eſſe tranſmittentis, ſeu ordinantis efficaciter creaturam in vitam æternam per actum voluntatis præparantis media, vt creatura rationalis vitam æternam cõſequatur: hinc fit rationem tranſmittendi, in eſſe tranſmittentis, dicere præſcientiam, & præparationem mediorum vt creatura tranſmittatur, & cõſequatur libertatem perfectam filiorum Dei, quæ libertas ſub nomine liberationis intelligitur.

11 Etiam definitur Prædeſtinatio. *Prouidentia ſupernaturalis efficax: qua creatura rationalis dirigitur in vitam æternam.* Pro cuius definitionis explicatione declarandum eſt quid ſub nomine *Prouidentiæ* intelligatur. Prouidentia igitur iuxta Niſenum, ſeu Nemeſium cap. 43. de animæ facultatibus, & iuxta Damaſcen. 2. de Fide cap. 29. *eſt voluntas Dei, per quam omnia, quæ ſunt, aptè gubernantur.* At vero iuxta D. Thom. q. 23. art. 1. eſt *Ratio ordinandorum in finem in mente diuina exiſtens.* Cæterum tametſi quoad ſpeciem hæ definitiones diſſentire videantur, cum D. Thomas per intellectus; Damaſcenus vero, & Niſenus per voluntatis actum explicent Prouidentiam; nihilominus, ſi rectè intelligantur, omnino inter ſe conſentientes ſunt. Etenim Prouidentia eſt voluntas reduplicatiuè vt ſciens naturam finis, & mediorum, & proportionem inter ea: & etiam Prouidentia eſt actus intellectus, ſeu ratio intellectualis vt actu ordinans, diſponens, præparans, & decernens media ad conſequutionem finis: cumque idem ſit voluntas reduplicatiuè vt ſciens, quam ſcientia reduplicatiuè vt præparans, & decernens (ſiquidem vterque conceptus dicit in recto ex æquo ſcientiam

& voluntatem, vt infra magis ex profeſſò declarabimus) inde fit definitiones prædictas per ſimultatem actus intellectus, & voluntatis, Prouidentiã declarare: conſequenterque inter ſe conuenire.

12 Eſt igitur Prædeſtinatio *Prouidentia ſupernaturalis, &c.* nempè *Sapiens ratio ordinans efficaciter media ſupernaturalia, vt creatura rationalis finem vitæ æternæ conſequatur.* Quod quidem idem eſt in re ac dicere: *Prædeſtinationem eſſe Præſcientiam, & præparationem mediorum, &c.* Ecce quo modo definitio, quæ per Prouidentiam traditur, cum Auguſtiniana conſentit. Plures aliæ ſunt Prædeſtinationis definitiones, tum à Patribus, tum à Doctoribus Scholaſticis confectæ: quas paſsim apud quemlibet reperies. Ego vero ſuperiorem Auguſtini definitionem præ omnibus ſuſpicio, & explicandam ſuſcipio, & quia D. Auguſtini eſt, & quia illa Scholæ omnes catholicę frequentius vtuntur.

13 Iam non admodum difficilè erit *Prouidentia* & *Prædeſtinatione* collatis inter ſe, vnam ab altera diſcernere. Primo diuerſificantur ex parte modi: nam Prædeſtinatio requirit ordinem efficacem: eſt enim præparatio beneficiorum Dei, quibus *certiſſimè* liberantur, &c. Requirit ergo media ita ad finem ordinari, vt re vera finem conſequantur. At vero Prouidentia vt abſolutè Prouidentia ſit, non exigit efficaciam; ſed præciſè quod media apponantur ad finem ex ſincera eius intentione. Quare erga reprobos, vt ſalutem æternam conſequantur, ſuam diuinam prouidentiam Deus exercet: quando quidem illis auxilia prouidet, & largitur ex intentione ſuæ ſalutis, licet Prædeſtinationem non exerceat. Cæterum quod Deus veram voluntatem beneplaciti habeat, & non ſolum ſigni, de æterna ſalute reproborum, infra oſtendemus.

14 Præterea Prouidentia diſtinguitur à Prædeſtinatione velut totum à ſua parte: Prædeſtinatio enim aliter, & aliter eſt pars Prouidentiæ. Dupliciter, prout ad noſtrum attinet inſtitutũ, vna ratio poteſt eſſe pars alterius rationis: nam & poteſt eſſe pars obiectiua, & poteſt eſſe pars ſubiectiua. Eſſe vnam rationem partem obiectiuam alterius eſt, quod obiectum illius ſit pars obiecti alterius rationis. Hoc modo tractatus de Prædicabilibus eſt pars obiectiua Logicæ. Ex quo infertur hanc rationem totius, & partis obiectiuæ ſolum reperiri in totis, quæ ſunt tendentiæ circa obiecta aliqua; non vero in alijs, quæ circa obiectum non verſantur. Eſſe vnam rationem partem ſubiectiuam alterius nihil aliud eſt, quam eſſe aliquod inferius alicuius rationis ſuperioris: quemadmodum *Homo* eſt pars ſubiectiua *Animalis*: quia homo eſt quod-

Digitized by Google

dam inferius, de quo *Animal* tanquam ratio ſuperior prædicatur. Vno igitur, & altero modo Prædeſtinatio eſt pars Prouidentiæ.

15 Eſt inquam pars obiectiua: licet enim obiectum indirectum Prædeſtinationis extendatur ad omnia, ſiquidem omnia ad ſalutem æternam Prædeſtinatorum Deus ordinauit; obiectum tamen directè, & immediatè per Prædeſtinationem attactum, eſt tum iuſtus vt finis, *cui* (præſcindo modo an ſit vltimus, an non vltimus) procuratur beatitudo: tum beatitudo vt finis *qui* Prædeſtinato intenditur: tum etiam auxilia ſupernaturalia, vt media ad eã beatitudinem obtinendam. At vero Prouidentia habet pro obiecto directo, & immediato quemlibet finem à Deo intentum, & media, quibus prædictus finis obtineatur. Patet ergo obiectum immediatum & directum Prædeſtinationis eſſe partem obiecti directi, & immediati Prouidentiæ: ac per conſequens eſſe partem obiectiuam Prouidentiæ.

16 Eſt etiam pars ſubiectiua Prouidentiæ: quia de Prædeſtinatione prædicatur Prouidentia tanquam ratio ſuperior: omnis enim Prædeſtinatio eſt Prouidentia; non tamen omnis Prouidentia eſt Prædeſtinatio. Nec obſtare poteſt quod omnes actus diuini idem motiuum formale habeant; ex quo capite videntur ſpecie non differre. Hoc inquam non obſtat, tum quia falſum eſt, vt ſupra diximus, tum quia licet in ordine ad laudabilitatem moralem forſan non diſtinguantur; in ordine tamen ad alia diſtinguuntur ſpecie: diſtinctio enim ſpecifica duorum actuum non ſolum ex obiecto formali; verum ex obiecto materiali, & ex modo tendẽdi deſumenda eſt. Præter quam quod ſiuè ſit diſtinctio ſpecifica, ſiuè non, dummodo omnis Prædeſtinatio ſit Prouidentia; ſecus vicisſim, iam dabitur Prouidentiam eſſe rationem ſuperiorem: quod quidem ſufficit, vt Prædeſtinatio ſit pars ſubiectiua Prouidentiæ.

17 Eſt etiam in alio ſenſu Prædeſtinatio pars intrinſeca Prouidentiæ, non ſolum quatenùs Logicè componit illam modo quo inferius eſt pars rationis ſuperioris; ſed etiam quatenus omnes Prouidentiæ componunt moraliter vnam Prouidentiam diuinam, perinde, ac numerus binarius non ſolum eſt ſpecies rationis communis numeri; ſed etiam pars alterius numeri ſingularis, nempe collectionis omnium numerorum. Pari ratione in noſtro caſu omnes Prouidentiæ dicuntur moraliter componere vnam Prouidentiam diuinam habentem pro motiuo, & fine diuinam gloriam: quæ Prouidentia, ex omnibus moraliter compoſita, eſt quoddam indiuiduum Prouidentiæ vt ſic: quæ

ratio communis Prouidentiæ de hac Prouidentia compoſita ex omnibus moraliter, & de qualibet earum prædicatur. Huius er gò Prouidentiæ ſingularis, ex omnibus moraliter compoſitæ, pars intrinſeca eſt Prædeſtinatio. Et in hoc ſenſu, licet non illum ſatis exprimant, intelligunt aliqui authores Prædeſtinationem eſſe partem obiectiuam Prouidentiæ: nimirum quatenus eſt pars alicuius Prouidentiæ ſingularis: illius videlicet, quæ integratur ex omnibus Prouidentijs collectiuè acceptis.

SECT. III.

De actibus eſſentialiter requiſitis ad Prædeſtinationem: & primo de actibus intellectus.

18 TRipliciter poteſt requiri vnum ad aliud, v.g. B. ad A. Primò vt præciſè terminus connexionis illius, quin vllo modo B includatur in A, adhuc reduplicatiuè vt tali cõſiderato. Hac ratione requiruntur eſſentialiter extrema ad vnionem: quia ita vnio indiget extremis, vt vnio, quatenus vnio eſt, ſeu reduplicatiuè vt talis, diſtinguatur adæquatè ab extremis. Secundo modo poteſt requiri B ad A, nempe vt aliquid, quod dicitur in obliquo per A ſpecificatiuè acceptum: importatur autem in recto, ſeu includitur formaliter in A ſi reduplicatiuè accipiatur. Hac ratione requiritur eſſentialiter albedo ad album: quia albedo ita dicitur in obliquo per hunc terminum *album* ſpecificatiuè acceptum, hoc eſt *habens albedinem*, vt dicatur in recto in ipſo conceptu *albi* reduplicatiuè accepti: nam album, vt album dicit in recto albedinem. Tertio modo poteſt requiri B, ad A quando nimirum A in ſuo conceptu dicit in recto B. Hac ratione requiritur anima ad hominem. quia homo in ſuo conceptu formali dicit in recto animam vt conſtitutiuum inadæquatum hominis.

19 Quando igitur quærimus qui actus voluntatis, & intellectus neceſſario ad Prædeſtinationem requirantur, non loquimur de actibus adæquatè diſtinctis à Prædeſtinatione, adhuc reduplicatiuè accepta, ſiuè de actibus, qui ſolum ad Prædeſtinationem requiruntur vt terminus connexionis illius, ſed de actibus ita requiſitis, vt in Prædeſtinatione, ſaltem reduplicatiuè accepta, includantur, & non ſolum ſe habeant vt purè extrinſecum connotatũ. Agimus ergo prius de actibus intellectus, poſtea de voluntatis actibus acturi.

20. Dubitatur ergo primo quæ ſcientia naturalis neceſſaria ſit ad Prædeſtinationem? Scientia naturalis eſt illa, quæ Deo neceſſario competit: hoc eſt independenter omnino à quolibet cõtingente. Hæc triplex poteſt conſiderari. Prima attingens Deum ſecundum omnia ſua prædicata neceſſaria ſiuè abſoluta, ſiuè relatiua. Secunda attingens poſsibilitatem finis, & mediorum. Tertia denique cognoſcens poſsibilitatem aliarum creaturarum.

21 Extra dubium eſt ad prædeſtinandum hominem in vitam æternam Deum neceſſario cognoſcere debere huiuſmodi beatitudinem poſsibilem eſſe: cum enim Deus intendat hanc beatitudinem exiſtere, patet neceſſario requiri cognitionem de non repugnantia beatitudinis, alioquin poſſet Deus ſerio, & efficaciter quatenus eſt ex ſe velle exiſtere id, quod in ſe repugnaret. Ex hoc infertur huiuſmodi cognitionem non vtcumque requiri; verum etiam neceſſarium eſſe quod detur in ſigno apto vt Deum dirigat ad beatitudinem decernendam: imprudenter enim Deus decerneret obiectum, niſi dirigeretur ex cognitione oſtendente obiectum exequibile eſſe. Idem, quod dicimus de poſsibilitate finis dictum puta de poſsibilitate mediorum omnium, quæ adhibenda ſunt: itẽ de poſsibilitate decretorum, quæ requiruntur, & ad quæ Deus liberè ſe determinat. Et vniuerſim cognoſcere debet Deus vt poſsibile omne id, quod efficaciter exiſtere vult.

22. Vlterius requiritur ad Prædeſtinationem cognitio, tum omnium prædicatorum Dei, tum etiam omnium poſsibilium; hæc tamen neceſsitas ſolum fundatur in modo perfectiſsimo operandi, quem Deus habet; non vero vt præciſsè prouidenter decernat abſque periculo fruſtrationis. Probatur. Deus ita liberè decernit obiectum, vt voluntaria ſit Deo quælibet coexiſtẽtia illius obiecti, quælibetque veritas ennuntiabilis de illo obiecto neceſſario ex ſuppoſitione ſuæ exiſtentiæ. Sed ad hoc eſt neceſſarium Deum cognoſcere omnia ſua prædicata, omneſque creaturas poſſibiles: Ergo cognoſcit. Conſequentia eſt bona; & maior certa: ſiquidem non omnino perfectè prouide decerneret, ſi aliqua veritas, aliqua vè coexiſtentia eſſet illi caſualis, & non præuiſſa. Minor etiam probatur. Si Deus quando decernit Paulum v.g. non præuideret Petrum eſſe poſsibilem, ita vt hæc præuiſio eſſet in ſigno libertatis ad producendum Petrum, nõ eſſet cognitio de eo quod ſi exiſtat Paulus, coexiſtet poſsibilitati Petri. Ergo quando Paulus huiuſmodi poſsibilitati Petri coexiſteret, hoc non eſſet voluntarium; ſed caſuale reſpectu Dei.

23 Ma

23 Maior difficultas eſt circa ſecundum dubium: nimirum an ſcientia viſionis ad Prædeſtinationem requiratur? Pro cuius dubij reſolutione aduertendum eſt, & poſſe eſſe dubium de viſione ipſius obiecti, circa quod eſt Prædeſtinatio, & de viſione aliorum obiectorum. Quo poſito.

24 Sit 1. concluſio. Scientia viſionis de aliquo obiecto, v.g. de beatitudine D. Petri nequit eſſe in ſigno libertatis ad decernendam huiuſmodi beatitudinem. Probatur hæc concluſio. Nihil connexum intrinſecè, & eſſentialiter cum aliquo ex extremis libertatis poteſt eſſe in ſigno libertatis ad vtrumlibet. Sed ſcientia viſionis de beatitudine D. Petri eſt intrinſecè, & eſſentialiter connexa cum ipſa beatitudine. Ergo nequit eſſe in ſigno libertatis ad beatitudinem, & eius carentiam. Conſequentia eſt bona, & Minor certa: ſiquidem viſio diuina de exiſtentia beatitudinis D. Petri, cum neceſſario ſit vera, neceſſario connexa eſt cum exiſtentia beatitudinis. Maior autem probatur. Libertas ad duplex extremum debet eſſe coniungibilis cum quolibet eorum. At ſi aliquid connexum determinatè cum vno ex illis includeretur in libertate, libertas non poſſet coniungi cum quolibet eorum. Ergo nihil connexum intrinſecè, & eſſentialiter cum aliquo ex extremis libertatis, poteſt eſſe in ſigno libertatis ad vtrumlibet.

25 Sit 2. concluſio. Scientia viſionis de exiſtentia illius, à quo mouetur Deus ad Prædeſtinationem, de facto exiſtit pro priori ad Prædeſtinationem. Hac ratione merita Chriſti D. vt præuiſa exiſtunt pro priori ad noſtram Prædeſtinationem, quia Deus mouetur ex meritis Chriſti abſolutè præuiſis ad homines prædeſtinandos. Prætea ſi Deus moueatur ad aliquem Prædeſtinandum ex orationibus aliorum, etiam orationum ſcientia erit in priori ad eã Prædeſtinationẽ propter eãdẽ rationẽ. Cæterũ poſsit ne hoc fieri, dicetur infra, dũ de cauſis Prædeſtinationis agamus.

26 Sit 3. concluſio. Scientia viſionis aliorum obiectorũ ita exiſtentium, vt adhuc ex ſuppoſitionẽ Prædeſtinationis, liberè, & contingenter exiſtant, omnino per accidens ſe habet reſpectu Prædeſtinationis vt talis. Facilè probatur hæc cõcluſio. Tunc per accidens ſe habet aliquid reſpectu Prædeſtinationis, quando Prædeſtinatio æquè bene ſe habet, cum illo, ac cum illius carentia. Sed Prædeſtinatio æquè bene ſe habet cum Scientia viſionis obiectorum, quæ ſupra memorauimus, ac ſine illa. Ergo ſcientia viſionis horum obiectorum per accidens ſe habet reſpectu Prædeſtinationis. Minor probatur. Prædeſtinatio æquè bene ſe habet cũ illis

obiectis, ac cum carentia illorum. Ergo etiam æquê benê ſe habebit cum viſione illorum, ac cum non viſione. His vt certis ſtatutis.

27 Duo grauiora dubia circa actus intellectus ad Prædeſtinationem requiſitos reſtant examinanda. Primum eſt, an ad Prædeſtinationem requiratur imperium intellectuale? Verum de hac difficultate poſtquam actus voluntatis recenſeamus, ſectiones alias inſtituemus. Secundum, & omnium grauiſsimum, dubium eſt: an ſcientia Media requiratur ad Prædeſtinationem? Cæterum cum per aliquas ſequentes quæſtiones diſputandum nobis ſit de directione neceſſaria Scientiæ Mediæ, & ibi quidquid hic dixerimus repetendum placuit modo propter ibi dicenda, hic Scientiæ Mediæ neceſsitatem non diſputare.

SECT. IV.

Qui actus voluntatis eſſentialiter requirantur ad Prædeſtinationem?

28 Certum eſt in Prædeſtinationis negotio hos voluntatis actus intervenire, ſiuê virtualiter, ſiuê ſolum formaliter inter ſe diſtinctos. Primus actus eſt *Intentio finis*, nēpe beatitudinis, vt conſequendæ à Petro v.g. ſiuê hæc intentio diſtinguatur, ſiuê non diſtinguatur virtualiter ab electione mediorum vt Petrus v.g. ſuam beatitudinem conſequatur. Si enim Deus prædeſtinando Petrum beneficia, & media præparat, vt beatitudinem obtineat, manifeſtum eſt beatitudinem intendere Petro, conſequenterque Deum ſemper, quando Prædeſtinat ad beatitudinem, intentionem habere de eo quod Prædeſtinatus conſequatur beatitudinem: ſiuê hæc intentio ſit efficax, ſiuê inefficax: ſiuê identificata cum mediorum electione, ſiuê à mediorum electione diſtincta.

29 Secundus actus eſt electio mediorum; qua Deus vt Petrus obtineat beatitudinem, hic & nunc auxilia ſupernaturalia Petro decernit, quibus benê operabitur, & in gratia decedet, beatitudinemque conſequetur.

Tertius actus eſt voluntas exequutiua mediorum: etenim certum eſt Deum exequi media ad finem intentum per aliquem actum voluntatis, qui vocatur *vſus actiuus*: ſiuê hæc voluntas neceſſario, & indiſpenſabiliter diſtinguatur à voluntate electiua mediorum, vtpote purê intentiuê ſe habente circa

media, vt putant communiter Thomiſtæ; ſiuè non diſtinguatur, niſi tantum noſtro modo concipiendi, vt alij cenſent: ſiue denique aliquando diſtinguatur; aliquando vero ſecus, vt probabilius iudicamus. Cui voluntati exequutiuæ ſuccedit ipſa exequutio actualis, ſeu poſitio phyſica mediorum, quæ vocatur *vſus paſſiuus.*

30 Quartus actus eſt voluntas præparans concurſum, vt creatura v.g. Petrus, cum auxilio operetur opera ſalutaria, & beatitudine digna: cum enim Deus titulo cauſæ primæ cum omnibus cauſis ſecundis ad quemlibet effectum concurrat; requiritur in Deo voluntas, vi cuius concurrat ad quodcumque extremum ſe liberè cauſa ſecunda determinauerit.

31 Quintus actus, qui poſſet excogitari, eſt decretum, quo de facto iuxta P. Vazq. P. Ribadeneira, & alios, comitanter cum creatura concurrit Deus: non vt cumque; ſed liberè & determinatiuè: quin hoc opponatur liberæ determinationi creaturæ: quia iuxta hos Authores ſimultaneè omnino Deus, & creatura ſe determinant ad liberum creaturæ conſenſum.

32 Sextus denique actus eſt voluntas conferens Prædeſtinato gloriam: qui actus, vt poſtea dicemus, non integrat Prædeſtinationem; ſed illam conſequitur. De his omnibus actibus grauiſsimæ quæſtiones exagitantur in hoc tractatu: modo autem leuiores diſcutiemus: & præſertim horum actuum diſtinctionem, vel identitatem examinabimus.

33 Circa intentionem finis dubitatur primo: vtrùm debeat à mediorum electione diſtingui, vel cum ipſa identificari? Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt quia Deus cognita bonitate beatitudinis vt aſſequendæ à Petro, & ſimul vtilitate mediorum in ordine ad beatitudinem Petri, liber eſt ad volendam beatitudinem Petro, relinquendo ad aliud ſignum electionem huius medij præalio: & etiam eſt liber ad volendam indiuiſibiliter beatitudinem vt cōſequendam determinatè per hæc media. Ergo Deus neque eſt neceſſitatus ad concipiendam intentionem finis identificatam cum electione mediorum, neque eſt neceſſitatus ad intentionem diſtinctam à mediorum electione; ſed poteſt pro ſuo libito, & vtrumque ſimul decernere & etiam per diuerſa virtualiter decreta finem intendere, & eligere media. Antecedens, in quo eſt difficultas, conſtat tum ex libris de Anima, tum ex tractatu de voluntate Dei, vbi hæc doctrina communiter à noſtris defenditur.

34 Ex hac doctrina infertur 1, D. Thom. aſsignantem

prius

prius intentionem finis,& poſtea electionem mediorum intelligendum eſſe prout plerumque in humanis res accidunt;non vero hunc ordinem tanquam neceſſarium aſsignantem.

35 Infertur 2.non ſemper electionem mediorum prouenire originaliter ab intentione finis:quando enim realiter identificantur, ſolum noſtro modo concipiendi electio prouenit ab intentione originaliter:nec obinde negandum eſt media eligi propter finem:quia vt media propter finem eligantur,opus non eſt media amari propter finem vt amatum,& intentum;ſed propter finẽ, vt conſequendum: hoc eſt amari media ordinando illa ad conſequutionem finis.

36 Infertur 3. non requiri neceſſario actum intellectus, ſiuê impulſiuum,ſiuê iudicatiuum: quo intellectus, poſita intentione finis,intimet voluntati obligationem eligendi media,inſinuando intentionem finis:cum enim aſſeramus per eundem actum poſſe,& finem intendi,& media eligi,opus non eſt actu intellectus determinante antecedenter electionem mediorum, poſita intentione finis.Quam ob rem ex hoc capite non requiritur imperium intellectuale ſubſequens, vel comitans intentionem finis, & antecedens electionem mediorum.

37 Dubitatur 2.Vtrùm ad Prædeſtinationem requiratur voluntas efficax finis? Reſpondeo negatiuê. Ratio eſt quia ad Prædeſtinationem ad ſummum requiritur ex intentione finis poni à Deo media efficacia,vt talia,ad beatitudinem. Sed totum hoc ſaluatur abſque voluntate efficaci finis. Ergo ad Prædeſtinationem non requiritur voluntas efficax finis.Conſequentia eſt legitima,& Maior ex definitione Prædeſtinationis conſtat.Minor probatur. Ex ſuppoſitione quod detur intentio inefficax beatitudinis, poſteaque ſcientia Media de efficacia auxilij A, poteſt Deus eligere auxilium intrinſecê ex duplici motiuo, & quia auxilium A eſt intrinſecè potens coniungi cum conſenſu, & ex eo quod de facto coniungendum videat ſi ponatur. In quo caſu poteſt inæqualiter moueri ex hoc duplici motiuo:efficaciter quidem ex intrinſeca vtilitate auxilij;inefficaciter vero ex coniunctione futura cum conſenſu. Tunc ſic formatur diſcurſus.In prædicto caſu conferuntur media efficacia,vt efficacia ad beatitudinem ex intẽtione beatitudinis,& conferuntur cum infallibili certitudine de beatitudine obtinenda,& tamen non datur in illo caſu voluntas efficax beatitudinis. Sed hoc eſt dari Prædeſtinationem abſque voluntate effi-

efficaci beatitudinis. Ergo voluntas efficax beatitudinis non requiritur neceſſario ad beatitudinem,

38 Dari in illo caſu Prædeſtinationem, eſt certum ex Prædeſtinationis definitione. Non dari tunc voluntatem efficacẽ beatitudinis conſtat ex ipſa poſitione caſus. Solum ergo probandum reſtat caſum eſſe poſsibilem. Sic igitur probo. Voluntas efficax, & inefficax alicuius obiecti non diſtinguuntur præciſsè ex eo quod voluntas efficax ſit connexa cum obiecti poſitione, ſecus voluntas inefficax: ſiquidem poteſt dari voluntas inefficax connexa eſſentialiter cum obiecto inefficaciter amato: requirit enim volũtas efficax ad rationem efficacis quòd cõnexio, quam habet cum obiecto amato, illi proueniat ex modo vehementi, vt ita loquar, tendendi in obiectum; non vero ex alio capite: cumque in noſtro caſu connexio huius intentionis cum beatitudine non proueniat ex modo tendendi magis, aut minus intenſo, aut vehementi circa illam; ſed quia ſimul tendit in auxilium ex præuiſione efficaciæ; inde fit hanc connexionem non arguere intentionem efficacem.

39 Confirmatur. Moueri ex aliquo motiuo ad eligendũ auxilium non arguit amorem efficacem illius motiui. Ergo moueri ex efficacia auxilij, præſertim cum etiam moueatur ex intrinſeca conducentia auxilij, non arguit amorem efficacem conſenſus ſub auxilio præuiſi. Conſequentia eſt bona. Antecedens probatur. Moueri ex efficacia præuiſa duo inuoluit, & quod medio auxilio intendatur, & quod decretum dirigatur ex præuiſione efficaciæ. Sed intendi conſenſum medio auxilio non arguit intentionem efficacem, vt patet in collatione auxilij facta reprobo ex intentione ſeria conſenſus. Præterea affectum dirigi ex præuiſione efficaciæ non arguit in affectu maiorem intenſionem, aut vehementiam circa conſenſum. Ergo moueri ex efficacia præuiſa non arguit affectum efficacem erga conſenſum. Hæc ſecunda pars minoris probatur. Dirigi ex cognitione efficaciæ nihil aliud eſt, quam moueri ex futuritione conditionata. Sed præciſsè moueri ex aliquo non arguit affectum efficacem erga illud (præcipuè ſi, vt dixi, ex alio efficaciter moueatur) ergo dirigi ex ſcientia efficaciæ non arguit affectum efficacem erga conſenſum. Ergo ſaluatur totus conceptus Prædeſtinationis abſque affectu ex ſe efficaci beatitudinis.

40 Dices nos dixiſſe Prædeſtinationem debere eſſe directionem efficacẽ creaturæ rationalis in vitã æternã. Ergo affectus debet eſſe efficax. Reſpondeo affectum aliter, & aliter dici efficacem: & quia defacto habet ducere in vitam æternã, quæ eſt effica-

cia

cia effectiua: & quia ex modo vehementi tendẽdi id ipſum habeat, quæ dicitur efficacia affectiua. Eſt ergo prædictus affectus efficax effectiuè, quatenus de facto ex ſe habet coniungi cum vita æterna; non vero affectiuè id habendo ex modo affectiuo intenſiori, & vehementiori tendendi: in quo ſecundo ſenſu negamus intentionem eſſe efficacem.

41 Dubitatur 3. circa electionem mediorum. Vtrùm electio debeat diſtingui à voluntate exequutiua, quæ appellatur *vſus actiuus*? Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt: quia ſi ex aliquo capite diſtinguendæ forent neceſſario electio intentiua, & exequutiua, vel eſſet quia ſemper reſpectu cuiuslibet obiecti, quãtũvis in indiuiduo, & cũ omnibus circũſtantijs accipiatur, illius intentio debet præcedere exequutionem: vel quia antequam decernatur in indiuiduo cum omnibus ſuis circunſtantijs loci, & temporis, prout requirit decretum exequutiuum, neceſſarium eſt, quod decernatur cum aliqua præciſsione, vel quia decernitur obiectum vagè quoad ſubſtantiam: vel quia decernitur ſiuè vagè, ſiuè præceſsiuè reſpectu circunſtantiarum. Ex nullo ex his duobus capitibus probatur neceſsitas diſtinctionis inter electionem intentiuam, & exequutiuam. Ergo nullam eſt efficax fundamentum ad huiuſmodi diſtinctionem indiſpenſabiliter aſſerendam. Conſequentia eſt legitima, & maior certa, ſiquidem comprehendit capita allegata ab aduerſarijs eam diſtinctionem propugnantibus.

42 Et in primis quod non debeant diſtingui ex ſecundo capite: nimirum quia opus ſit prius decernere cum aliqua præciſsione, & poſtea omnino determinatè, mihi videtur certum: cur enim agens liberum plenè cognoſcens, & diſcernens differentias mediorum, & circunſtantiarum non poteſt per vnum decretum decernere hoc medium determinatum ſub his determinatis circunſtantijs? Hoc non indiget vlteriori probatione.

43 Primũ diſtinctionis caput etiã abſque fundamento traditur. Primo quia vt conſtat ex Philoſophia, & ex ſupra dictis, nullum eſt efficax argumentum ad probandam diſtinctionem inter intentionẽ finis, & electionem mediorum: longeque minus fundamentum erit ad diſtinguendam reſpectu mediorum duplicẽ voluntatem; aliam intentiuam, & aliam exequutiuã. Secundo, quia ſuppoſita intentione finis diſtincta ab electione mediorum, nunquam ſolida ratio adhibetur, quare nõ poſsit voluntas per eundem actũ, & eligere media, & applicare potentiam exequutiuã, vt exiſtant. Hoc magis patebit ex ſolutione argumentorum.

44 Ob.

49 Hæc obiectio ſolum probat poſſe eſſe electionem intentiuam, quæ non ſit exequutiua. Non vero probat neceſſario ſemper diſtingui electionem intentiuam, & exequutiuam. Potuit enim Deus non eligere homines ad gloriam ante præuiſa merita: in quo caſu non eſſet electio intentiua diſtincta ab exequutiua. Præter quam quod, licet reſpectu gloriæ gratis admittamus inter venire has duas electiones, ideo erit, quia gloria, quæ eſt finis, obtinetur per merita vt media, & ideo requiritur intentio finis, vt determinet electionem mediorum. Et rurſus requiritur alia voluntas gloriæ, vt media influant in finem. At vero in noſtro caſu, cum reſpectu mediorum alia media non ſint, non eſt opus duplici electione ad ipſa media, ex quibus vna intentiua, & alia ſit exequutiua.

50 Ex hac doctrina inferes primo non eſſe neceſſarium actum, qui vocatur *vſus*, prout à Thomiſtis ponitur. Non nego dari vſum, cuius muneris ſit mouere potentiam exequutiuam ad ponenda media, ſiquidem neceſſarius eſt in voluntate aliquis actus exequutiuus mediorum. Nego tamen hunc actum, qui *vſus* appellatur, neceſſario ab electione diſtingui, prout à Thomiſtis ponitur.

Inferes ſecundo, vnum, & indiuiſibilem actum poſſe eſſe intentionem finis, electionem, & exequutionem mediorum. Patet ex dictis. Quia poſita cognitione finis, & vtilitatis mediorum in ſingulari, poteſt voluntas eligere hoc medium exequendo illud intendendo efficaciter finem. Ergo poteſt vnus, & indiuiſibilis actus intentionis finis, electionis, & exequutionis mediorum naturam ſubire.

51 Inferes tertio, ad Prædeſtinationem non requiri actum intellectus, qui ſit imperium medians inter electionem, & exequutionem mediorum. Ablata enim diſtinctione inter electionem, & exequutionem, auferri neceſſe eſt actum intellectus mediantem inter eas. Circa decretum applicatiuum omnipotentiæ, decretum comitans, & decretum collatiuum gloriæ, nullam quæſtionem reperio, quæ leuis ſit. Ideo ex profeſſo de illis infra ſermonem inſtituam.

52 Superſt modo ex his actibus aſsignare quos Prædeſtinatio includat, & quos ſolum requirat: ita vt adæquatè à Prædeſtinatione, etiam reduplicatiuè accepta, diſtinguantur. Dico ergo omnes actus intellectus, & voluntatis incipiendo à cognitione poſsibilitatis mediorum, & finis, vſque ad decretum exequutiuum mediorum, intrinſecè ad Prædeſtinationem

pertinere. Probatur. Prædeſtinatio eſt *præſcientia, & præparatio mediorum, &c* Sed non intelligitur *præparatio mediorum* vſque dū intelligantur media diſpoſita prudenter in ordine ad finem. Ergo non intelligitur Prædeſtinatio quovſque intelligantur media exequutiuê prudenter decreta. At prudenter decerni media ad finem dicit cognitionem mediorum, & finis: & etiam dicit voluntatem finis, necnon præparationem exequutiuam mediorum. Ergo omnes hos actus includit Prædeſtinatio vt talis: ſiuê omnes dicat in recto, ſiuê ſecus.

53 Ex hoc infertur decretum collatiuum gloriæ non ingredi Prædeſtinationem, ſed ex ea neceſſario inferri. Quia Prædeſtinatio non dicit conſequutionem actualem finis, ſed præparationem mediorum. At præparatio mediorum ad omnem gloriam intelligitur antequam intelligatur collatio gloriæ. Ergo collatio gloriæ non integrat, ſed conſequitur Prædeſtinationem.

SECT. V.

Vtrùm ad Prædeſtinationem requiratur imperium intellectuale? Pro cuius dubij deceſsione præmittuntur aliqua.

54 PLures Authores, præſertim Thomiſtæ, inter actus requiſitos ad Prædeſtinationem enumerant etiam imperium. Sed adeô variant in eius explicatione, vt non facilè ſit omnium ſententias dilucidê, & perſpicuê proponere.

55 Aliqui iudicant ſub nomine imperij intelligi iudicium quoddam practicum antecedens omnem actum liberum, per quod iudicium intellectus inter extrema eligibilia dictat hic, & nunc, hoc præ alio determinatê eſſe eligendum: cui dictamini ſe conformat voluntas, & ſine quo nequit voluntas vnum extremum alteri præferre: putant enim hi Authores agens rationale qua tale non poſſe, niſi huius dictaminis ductu eligere inter extrema propoſita. Ex quo inferunt, tum ad intentionem huius finis præ alio, tum ſuppoſita intentione finis præſcindente ab hoc, vel illo medio determinato, requiri hoc iudicium practicê dictans, & hunc finem præ alio intendendum eſſe, & hoc medium præ alio in or-

ſtine ad finem eſſe eligibilius. Ita rigidiores Thomiſtæ, & ex noſtris Bellarminus.

56 Alij iudicant hoc imperium, ſuppoſita intentione finis per hæc media determinata, requiri vt intellectus inſinuet voluntati intentionem finis, quam (etiamſi ſit per media determinata) ſupponunt ab electione diſtingui, vt hac ratione voluntas prodeat in electionem mediorum: Ita ferê omnes, qui diſtinguunt inter ſe neceſſario intẽtionem finis, & electionem mediorum. Imô ex his, qui prædictos actus non neceſſario diſtinguunt, aliqui putant, caſu quo diſtinguantur, tale iudicium neceſſarium eſſe: exiſtimant enim non aliter voluntatem ex vi intentionis finis determinari ad electionem mediorum, niſi quatenus cognoſcit intentionem: non enim aliter concipiunt voluntatem determinari, & neceſsitari poſſe ab intentione, niſi quatenus prædicta intentio efficax præcognoſcitur. Inſuper addunt, quod ſi ponatur electio vaga huius, vel illius medij, nequit voluntas, vt huius electionis vagæ determinari vagê ad electionem huius, vel illius medij determinati, niſi præcognoſcendo prædictam electionem vagam. Et conſequenter tenent, quod ſi detur electio medij determinati ſpectans ad ordinem intentionis, non aliter poterit hæc electio determinata intentiua neceſsitare voluntatem ad electionem exequutiuam, niſi media electione ſui. Ita Aldrete, & RR.

57 Alij Authores iudicant conſiſtere hoc imperium in iudicio ſupponente electionem mediorum quoad omnem indiuiduationem per decretum pertinens ad ordinem intentionis repræſentante, tum intentionem finis, tum electionem mediorum pertinentem ad ordinem intentionis: qua repræſentatione determinat voluntatem ad decretum de ipſis medijs ad ordinem exequutionis ſpectans: quod decretum eſt vſus actiuus. Ita videtur ſentire P. Salas 1. 2. tract. 6. diſp. 2. ſect. 3. n. 33. & ita Thomiſtæ RR.

58 Alij prædictum imperium conſtituunt in iudicio de exiſtentia decreti exequutiui huius medij determinati: quod iudicium non mouet voluntatem, quam iam motam, & determinatam ſupponit; ſed potentiam exequutiuam, vt exequatur id, quod voluntas per ſuos actus decreuit, vt hac ratione Deus operetur ſciendo ſe operari. Ita P. Ruiz de Montoya diſp. 3. de Prouid.

59 Longe aliter ſentiunt alij circa naturam huius imperij, tametſi quoad influxum, & præcedentiam cum authoribus ſuperioribus conueniant: iudicant enim hoc imperium di-

ſtinctum eſſe ab omni iudicio: imò, & ab apprehenſione: ſolumque poſſe explicari per verba modi imperatiui *Fac hoc*. Alij denique hoc imperium ita meditantur, vt ſimul ſit iudicium de beneplacito operantis, & imperium de exequutione operis: etenim hoc imperium iuxta hanc ſententiam duplicem reſpectum habet, & ad exequutionem operis, & ad voluntatem obligandi ad operis exequutionem. Ex quibus exequutionem cõſtituit imperatã; volũtatẽ vero obligãdi ad operis exequutionẽ cõſtituit cognitam, enuntiatã, & oſtenſam. Ita P. Ribad. tract. de Prædeſtin. diſp. 13. cap. 2.

60 Diximus in antecedente ſectione neceſſarium non eſſe, aut intentionem finis diſtingui ab electione mediorum, aut electionem mediorum à voluntate eorum exequutiua ſecerni; ſed poſſe vnum, & ſimpliciſsimum actum, eſſe intentionem finis, electionem mediorum, & vſum actiuum. Ex quo infertur dicendum eſſe primo neceſſarium non eſſe imperium intellectuale, ſiuê hac, ſiuê illa ratione conſtituatur, medians, aut inter intentionem, & electionem, aut inter electionem, & vſum.

61 Dico 2. Neque requiritur imperium intellectuale, ſiuê huius, ſiuê illius naturæ, medians inter decretum exequutiuum mediorum, quod vocatur *vſus actiuus*, & ipſam actualem exequutionem, quæ appellatur *vſus paſiuus*. Probatur breuiter. Non datur imperium intellectuale reſpectu potentiæ, quæ non poteſt intellectualiter imperari. Sed potentia exequutiua, prout non eſt voluntas, non poteſt intellectualiter imperari. Ergo non datur imperium intellectuale reſpectu illius. Minor, in qua eſt difficultas, probatur. Potentia exequutiua, prout non dicens voluntatem, nõ eſt potentia intentionalis; ſed purê phyſica. At potentia purê phyſica non eſt perceptiua imperij intellectualis, ſeu intimationis intellectus. Ergo potentia exequutiua, prout nõ dicit voluntatem, non poteſt intellectualiter imperari.

62 Confirmatur. Actus intellectus ſolum ordinatur ad mouendum voluntatem ad aliquem actum formaliter illius. Sed exequutio phyſica mediorum, prout diſtincta à voluntate exequutiua, non eſt formaliter actus voluntatis, vt ex ſe patet. Ergo actus intellectus non ordinatur ad mouendam potentiam exequutiuam ad phyſicam mediorum exequutionem, quæ eſt vſus paſsiuus diſtinctus ab actiuo. His poſitis.

63 Tria poſſunt in quæſtionem adduci. Primum; an imperium intellectuale reſpiciens aliquem terminum purê impulſiuê, conſtituendo illum purê imperatum; & determinatum

non

non autem repræſentatum, aut cognitum; poſsibile ſit? Secundum, an imperium intellectuale ſiuê impulſiuum, ſiuê repræſentatiuum, neceſſarium ſit antecedenter ad liberam voluntatis determinationem? Tertium, an prædictum imperium, licet non abſolutê neceſſarium; ex aliqua tamen ſuppoſitione in aliquibus caſibus ſit neceſſarium?

SECT. VI.

Imperium intellectuale, quod neque iudicium, neque apprehenſio ſit, in intelligibile eſt.

64 Probatur hæc concluſio. Hoc imperium fertur in obiectum imperatum. Sed actus intellectus nequit non repræſentare obiectum, in quod fertur. Ergo hoc imperium repræſentat obiectum, quod imperat. Conſequentia eſt legitima, & maior euidens: ſiquidem ferri imperatiuê in aliquid, & illud imperare, idem ſunt. Minor autem probatur. Ferri intellectualiter in obiectum eſt obiectum applicari intellectui, ſeu eſſe præſens intellectualiter. At obiectum eſſe præſens intellectui, ſiuê eſſe præſens intellectualiter, eſt obiectum repræſentari intellectui. Ergo nequit actus intellectus non repræſentare obiectum, in quod fertur. Probatur ſecundo peculiariter imperium in iudicio debere conſiſtere, caſu quo imperium admittatur. Imperium eſt, quod inſinuat voluntatem ſuperioris, vi cuius inſinuationis determinat ad operationem. Sed inſinuare dicit iudicare. Ergo imperium dicit iudicium. Probo minorem. Inſinuare voluntatem ſuperioris eſt oſtendere, & manifeſtare eam voluntatem. Sed manifeſtare voluntatem eſt affirmare ſibi, vel alteri, dari eam voluntatem. Ergo inſinuare voluntatem dicit iudicare.

65 Declaratur hoc. In ſententia admittente vt neceſſarium imperium intellectuale, vt voluntas habens electionem intentiuam mediorum, determinetur ad electionem exequutiuam, quæ dicitur vſus, intellectus non determinat voluntatem ad vſum, ſeu ad electionem exequutiuam, niſi quatenus potentiæ volitiuæ inſinuat, & intimat electionem mediorum: quod non eſt aliud, quã intellectum notificare, & repræſentare voluntati electionem intentiuam mediorum. At intellectum proponere, & manifeſtare voluntati electionem mediorum eſt eam cognoſcere. Ergo. Nec video

Biblioteca Naz. Roma Vittorio Emanuele

qua alia motione intellectus opus ſit, præter repræſentationem electionis intentiuæ, vi cuius vt cognitæ determinetur voluntas ad electionem exequutiuam mediorum, quæ dicitur vſus.

66 Nec placet P. Gaſpar de Ribadeneira, quatenus aſſerit poſſe imperium vnius rei poni identificatum cum iudicio alterius, ita vt vnum obiectum denominet affirmatum; alterum vero ſolum imperatum: quo pacto (ait) ſuppoſita voluntate efficaci alicuius actus v. g. A, poteſt intellectus repræſentando voluntatem efficacem actus A, ipſum A, intellectualiter imperare: quo caſu actus imperans denominabit tum voluntatem efficacem actus A, tum ipſum actum A, ſed aliter, & aliter: nam voluntatem efficacẽ denominabit affirmatam, & inſinuatam, non imperatam; actum vero A, denominabit imperatũ; non verò affirmatum, aut inſinuatũ.

67 Hæc cogitatio, vel eſt eadem ſub alijs terminis cum ſententia ponente imperium in iudicio, vel patitur eaſdem difficultates, ac quæ ponit imperium diſtinctum ab omni repræſentatione. Etenim hoc imperium repræſentans voluntatem efficacẽ actus A, vel imperat directê actum A, ita vt feratur imperatiuê in illud, vel ſolum dicitur imperare actum, quatenus repræſentat voluntatem actus A & connectitur cum actu A. Si hoc ſecundum, eſt ſententia conſtituens imperium præciſsê in iudicio. Si primum. Ergo ad duplicem entitatem fertur: iudicatiuê quidem ad voluntatem efficacem actus A; imperatiuê autẽ ad actum A. Ergo fertur intellectualiter ad actum A. Ergo repræſentat illum propter rationem iam in antecedentibus propoſitam. Patitur ergo hæc ſententia eaſdem difficultates, ac imperium diſtinctum ab omni repræſentatione.

68 Explicatur. Prædictum imperium, vel ſolum habet modum tendendi reſpondentem his terminis ***exiſtit intentio efficax actus A***, ita tamen vt connexionem habeat cum ipſo actu A: vel vltra hunc tendendi modum habet alium imperatiuum ſub his terminis ***eliciatur actus A***. Si ſolum habeat primum modum tendendi, nihil aliud erit, quam aſſerere dari iudicium de obiecto connexo cum alio: quod iudicium connectatur immediatê cum obiecto repræſentato, & mediatê cum alio obiecto, cum quo primum connectitur: in quo nihil, aut mirum, aut nouum. Si habeat etiam aliũ modũ tendendi imperatiuê, redit difficultas de eo quod nõ poſsit nõ eſſe repræſentatio aliqua de obiecto, in quod fertur imperatiuè

69 Sed objicies. Actus, quem nos habemus, per quem aliquid imperamus ſub his terminis ***Fac hoc***, eſt actus, ita purê imperatiuus,

tiuus,& impulſiuus,vt veritatem,aut falſitatem non habeat. Ergo datur in intellectu actus imperatiuus,qui iudicium,aut repræſentatio non ſit.

70 Reſpondeo diſtinguendo antecedens.Hic actus *Fac hoc* veritatem,aut falſitatem non habet reſpectiuè ad faciendum hoc; concedo:reſpectiuè ad voluntatem imperatiuã,nego antecedens: & nego conſequentiã.Itaque hic actus intellectus *Fac hoc* inſinuãs voluntatẽ imperatiuã idẽ eſt,quoad ſenſum cum hoc *Habeo voluntatẽ obligãdi te adfaciẽdũ hoc*,ſiuè *debes facere hoc vi meæ voluntatis imperantis*.Qua propter hic actus enuntiat voluntatem obligandi,& repræſentat opus cadens ſub præcepto , vt terminum illius voluntatis,& obligationis.

71 Ob.2.In intellectu dantur aliqui actus, qui non ſint iudicium,neque apprehenſio.Ergo neque repugnabit imperium intellectuale,quod neque iudicium,neque apprehenſio ſit. Antecedens probatur in actu formidinis de vno extremo ſimul cum iudicio de oppoſito : quæ formido iudicium non eſt de tali extremo, vt in confeſſo eſt apud omnes:neque apprehenſio , cum ad nullum iudicium ordinetur.

72 Reſpondeo formidinem iuxta plures eſſe iudicium reflexum de fundamentis potentibus ad alterã partem mouere.Ego vero cenſeo,vel eſſe talitatem iudicij probabilis,vel tã formidinẽ, quam alios actus intellectus,vt ſunt dubitatio,admiratio, &c.eſſe apprehenſiones ſuorum obiectorum; licet ad iudicium non ordinentur, habereque ſupra prædicatum commune repræſentationis aliud prædicatum talis repræſentationis, ratione cuius talitatis vnus actus *formido*,alius *dubitatio*,alius *admiratio* ſit.Cæterum imperium intellectuale cum non aliter imperet,niſi intimando,& inſinuando voluntatem efficacem , neceſſario tale imperium iudiciũ eiuſmodi voluntatis efficacis debet eſſe.

SECT. VII.

Imperium intellectuale,quacumque ratione conſtituatur, non requiritur ad liberam voluntatis determinationem.

73 HAc cõcluſione excluditur imperiũ intellectuale determinans,tũ ad intentionẽ finis,tum ad electionem liberam mediorum. Probatur noſtrum aſſertum. Imperium intellectuale

determinans actum voluntatis tollit libertatem illius. Ergo repugnat requiri ad actum liberum voluntatis. Antecedens probatur. Neceſsitas penitus antecedens, & nulla ratione conſequens, tollit libertatem illius. Sed imperium intellectuale connexum cum actu libero voluntatis eſt neceſsitas prædicti actus, ita antecedens, vt nulla ratione ſit conſequens Ergo tollit illius libertatem. Conſequentia eſt legitima, & maior certa. Minor probatur. Hoc imperium cõnectitur cum hoc actu voluntatis, & ad illum determinat. Deinde hoc imperium nulla ratione eſt poſterius actu voluntatis, ad quem determinat, cum ponatur, vt requiſitum nullatenus ab actu voluntatis ducens originem; ſed potius determinans antecedenter ad illum. Ergo eſt neceſsitas penitus antecedens, & conſequenter tollens libertatem.

74 Reſpondent 1. Thomiſtæ hoc imperium non eſſe neceſsitatem antecedentem; ſed conſequentem: non quidem ipſam electionem; ſed libertatem illius conſtitutam per iudicium indifferens de bonitate finita, & imperfectionibus ad mixta huius medij determinati Quod autem præcedat electionem, quin illam cõſequatur, non opponitur libertati, modo quo phyſica prædeterminatio, quia libertatem conſequitur per iudicium indifferens conſtitutam, licet non conſequatur voluntatis aſſenſum, cum eius libertate rectè cohæret.

75 Verum præter impugnationes communes, quæ à noſtris Authoribus aduerſus prædeterminationis cum libertate cohærentiam adducuntur (quas modo expendere non vacat) aliter hæc ſolutio refellitur. Hæc electio non regulatur, neque fit præciſſe ex directione iudicij indifferentis de bonitate finita huius medij determinati; ſed ponitur, & fit, ex regulatione, & directione huius imperij. Sed hoc imperium non eſt indifferens ad electionẽ, & non electionem. Ergo hæc electio regulatur, & dirigitur per iudicium, ſeu imperium non indifferens. At qui iuxta Thomiſtas, vt ſeruetur libertas actus voluntatis, requiritur regulari per iudiciũ indifferens omnino. Ergo etiamſi ſtandum ſit doctrinæ Thomiſtarum, hæc electio non eſt libera.

76 Præterea reſpectu Dei apparet ſpecialis repugnantia: quia ſi Deus ad primam voluntatem liberam, v. g. ad voluntatem condendi mundum, opus haberet imperio intellectuali: tunc ſic. Hoc imperium intellectuale à nulla voluntate libera dependeret, cum præcederet ad primam Dei liberam voluntatem. Ergo non exiſteret contingenter; ſed neceſſario.

Digitized by Google

77 Secundo, quia hoc imperium dictaret Deo hic, & nunc eſſe condendum mundum. At hæc veritas, cum à nullo contingente dependeret, eſſet veritas neceſſaria: cum igitur non poſſit non determinare Deum, planè infertur eſſe aliquid ſimpliciter neceſſarium determinans Deum ad condendum mundum, & conſequenter repugnare Deum non velle efficaciter condere mundum, ſiquidem repugnaret ſenſus diuiſus conſtitutus per carentiam talis imperij. Denique ex eo Thomiſtæ iudicant Prædeterminationem cum libertate componi, quia prædeterminatio ponitur liberè à primo libero, nempe Deo. At imperium à nullo libero liberè ponitur. Ergo peculiaris difficultas eſt in imperio, vt ſeruetur libertas, præter difficultatem phyſicæ prædeterminationis.

78 Reſpondet 2. Bellarminus lib. 8. de Gratia, & libero arbitrio cap. 8. & 9. & ex illo P. Antonius Perez in 1. p. tit. de Prouid. diſp. 1. cap. 2. num. 13. noſtram voluntatem liberè ſe exercere, non immediatè in electione A, præ B poſito imperio; ſed in voluntate habendi imperium, ſeu permittendi ſe ab intellectu imperari. Duplex igitur, iuxta hanc ſententiam, actio diſtinguenda eſt: alia præcedens imperium, ſeu non imperata efficaciter, qua voluntas ſe permittit efficaciter moueri imperio intellectus: in qua actione conſiſtit libertas, ſeu determinatio liberi arbitrij: alia actio eſt cōſequens imperium, quod imperium eſt cognitio inſinuans, & repræſentans voluntati ſuam determinationem, illique neceſsitatem afferens, ex illa ſuppoſitione, vt vi cognitionis efficiat actionē amoris, aut odij productiuam.

79 Hæc reſponſio in primis nobis concedit, quod intendimus: nimirum imperium tollere libertatem electionis: quandoquidem iuxta hanc doctrinam, libertas voluntatis non exercetur in electione vnius medij præ alio; ſed in permiſsione, qua ſe ſinit imperari ab intellectu: quæ permiſsio præcedit imperium determinans electionem.

80 Deinde illa prima actio, qua voluntas ſe permittit efficaciter imperari, vel fit alio imperio, vel quin aliud imperium præcedat. Si præcedat, abibimus in infinitum: ſiquidem ad hoc imperium præcedit determinatio voluntatis ſe permittentis efficaciter imperari, & ad hanc determinationem aliud imperium: & ſic ſine fine. Si non præcedat. Ergo voluntas independenter ab imperio poteſt determinari ad imperium A, potius quam ad imperiū B. Licet ergo voluntas ſe determinat abſque imperio præcedente

ad

ad imperium A, potius quam ad imperium B: pari ratione poterit poſita intentione, & cognita natura mediorum, ſe determinare im mediate ad electione medij A, potius quam ad electionē medij B.

81 Rurſus diſplicet prædicta ſolutio: quia non explicat obiectum actus voluntatis ſe permittentis imperari, niſi per circulum, & idem eſt de obiecto imperij. Etenim aſſerit hæc ſolutio imperium eſſe iudicium, quo intellectus hic, & nunc practicê iudicat electionem A, eſſe præferendam electioni B. quatenus inſinuat determinationem voluntatis. Rogo igitur, an hæc determinatio voluntatis, quam inſinuat imperium, ſit voluntas vnius electionis prę altera, vel non, ſed voluntas vnius imperij præ altero. Si primum, Ergo prima voluntas non eſt circa imperium, ſed immediatê circa electionem: & conſequenter ſiet hæc electio antequam intellectus iudicet vnam electionem eſſe præferendam alteri. Siquidem ante imperium vult vnam potius, quam alteram electionem. Si vero hæc voluntas, quam immediatê inſinuat imperium, immediatê verſetur circa imperium. Ergo imperium: & non aliud, eſt obiectū huius voluntatis; cumque imperium non aliud repræſentet, quam determinationem voluntatis, quam inſinuat, & oſtendit: hinc deducitur imperium per voluntatem imperij, & voluntatem imperij per ipſum imperium declarari, qui eſt manifeſtus circulus.

82 Ob. 1. Ante electionem boni A, præ B, debet eſſe iudicium de eo, quod bonum A, omnibus penſatis debet præferri bono B, At hoc iudicium determinat ad electionem A, præ B, ſiquidem ſtante hoc iudicio, nequit eligi bonum B. Ergo ante electionem boni determinati debet dari iudicium determinans eam electionem. Illud ergo iudicium vocatur imperium. Maiorē, in qua cōſiſtit difficultas, probat P. Antonius Perez hac ratione. Voluntas præferendo bonū A, bono B, fertur in bonum A, vt maius bonum, quam bonū B. At voluntas non poteſt ferri in bonum tanquā in maius bonum, niſi illi repræſentetur vt maius bonum. Ergo volūtati præferenti bonum A bono B, repræſentatur bonum A maius, quam bonum B. Conſequentia eſt legitima; & maiorem probat ex eo quod præferre vnum bonum alteri bono eſt ferri in vnum bonum, vt maius altero bono. Iam vero minor probatur ab eodem authore ex eo quod ſicut voluntas non poteſt ferri in bonum, nec illud vt tale æſtimare, niſi repræſentetur vt bonum cognitione directiua ipſius æſtimationis voluntariæ: ita neque ferri in bonum maius, illudque tanquam maius æſtimare voluntariê, niſi repræſentetur, vt maius bonum cognitione directiua talis æſtimationis.

Digitized by Google

83 Reſpondeo voluntatem præferendo vnum alteri, ferri in obiectum, quod præfert vt in maius bonum, tenente ſe reduplicatione ex parte modi tendendi affectus; non vero ex parte obiecti: hoc eſt fertur magis amando, quod præfert; non vero reſpiciendo illud ex parte obiecti, vt magis amabile. Ratio vero, quare nō poſſit amare quod non repræſentatur vt bonum, & poſſit magis amare, quod non repræſentatur vt magis bonum, in promptu eſt: videlicet voluntatem non eſſe liberam inter bonum, & nō bonum, ideoque non poſſe amare quod illi vt bonum non repræſentatur; liberam vero eſſe inter bona æqualia, necnon inter inæqualia, dum modo bona ſint: quam ob rem poteſt magis amare quod non proponitur vt magis bonum, dummodo vt dignum amore illi proponatur.

84 Secundo poteſt reſponderi quodlibet obiectum bonū incomponibile cum alio magis bono repræſentari, non vt magis dignum quod ametur; ſed vt dignum quod magis ametur: hoc eſt vt dignum, quod præferatur affectiuè, quatenus dignum eſt, quod ametur non amato alio. In quo nullus eſt error, ſi dignum ſit quod ametur omiſſo alterius amore.

85 Obijcit 2. P. Quiros: poſita intentione finis tenetur voluntas amare medium magis vtile ad obtinendum finem. Ergò debet ad electionem huius medij determinati præcedere iudicium dictans hoc medium eſſe hic, & nunc, magis vtile: quod iudicium incomponibile eſt cum electione alterius medij. Dabitur ergo iudicium determinans ad huius medij electionem præ electione alterius medij. Primum antecedens, ad quod tota devoluitur difficultas, ita probat P. Quiros. Vel quis intendit finem qualitercumque obtinendum, non curans de modo, vel intendit determinatè ſecundum hāc menſuram perfectionis, vtilitatis, expenſarum, &c. Si primum, omnia media, licet entitatiuè inæqualia, in ordine ad finem æqualia ſunt. Si ſecundum, iam medium magis vtile determinatè, & vnicè aptum eſt, ad talem finem ſic intentum. Ergo nequit Deus eligere medium minus vtile relicto vtiliori.

86 Hoc argumentum ſolum probat, poſita intentione efficaci finis ſecundum ſe, teneri voluntatem eligere medium, quo infallibiliter obtineatur finis: quia iuxta hunc philoſophandi modum omnia media, quibus certè obtinebitur finis, ſunt æqualis vtilitatis ad finem ſecundum ſe. Cum igitur ad ſint plura media, quibus Deus obtinere poſſit præintētam æternā ſalutē prædeſtinati,

mane-

manebit Deus liber ad eligẽdum hoc medium potius quam aliud. Quam ob rem iudicium de ſaluatione intenta, necnon de efficacia plurium auxiliorum, non ſufficiet vt Deus hic, & nunc iudicet hoc auxilium, ſiuè hoc medium eſſe vtilius altero, cum omnia efficacia ſint ad obtinendum finem, qua ratione intenditur: conſequẽterque non dabitur actus intellectus determinans voluntatem ad electionem huius medij præ altero medio.

SECT. VIII.

Quid dicendum ſit in caſu diſtinctionis electionis ab intentione, & vſus ab electione?

87 DIximus in antecedentibus, licet neceſſarium non ſit intentionem finis diſtingui ab electione mediorum, aut mediorum electionem ab vſu, poſſe tamen pro libertate intendentis finẽ diſtingui realiter: poteſt enim agens rationale propoſita ſibi bonitate, & poſsibilitate finis, necnon vtilitate, & poſsibilitate mediorum, per vnum actum intendere finem non eligendo media, & per alium actum eligere media purè intentiuè, ſaltem quando non eliguntur quoad omnem indiuiduationem. Et denique per actum, qui dicitur vſus, exequi hæc media determinatè. In hoc ergo caſu quærimus an ad electionem mediorum opus ſit imperio intellectuali: hoc eſt, an data intentione finis, quæ non ſit electio mediorum, neceſſe ſit, vt voluntas in actum prodeat, quod præcedat actus intellectus inſinuans voluntati exiſtere intentionẽ finis, vt hac ratione ad mediorum electionem determinetur. Et idem dico facta comparatione inter electionem, & vſum.

88 Reſpondeo adhuc in hoc caſu opus non eſſe imperio intellectuali, ſeu inſinuatione intentionis ad determinandam voluntatem ad electionem. Probatur. Exiſtentibus comitanter intẽtione finis, & electione mediorum non datur imperium intellectuale determinans ad electionem in vi inſinuandi intentionem, Sed poteſt voluntas comitanter ſe determinare ad intentionem finis, & electionem mediorum diſtinctas inter ſe. Ergo adhuc in caſu diſtinctionis intentionis, & electionis non eſt neceſſarium imperium intellectuale. Conſequentia eſt bona. Probo maiorem, poſtea minorem probaturus. Exiſtentibus comitanter intentione, & electione, voluntas, propoſitis bonitate, & poſsibilitate finis, & poſsibilitate,

litate, & vtilitate mediorum, ſimultate comitantiæ ſe determinat ad finem, & media. Ergo in eo caſu non datur imperium antecedēs electionem. Probatur conſequentia. Hoc imperium, vel ſupponit intentionem finis, vel cum illa virtualiter identificatur. Ergo, vt hoc imperium præcederet ad electionem, erat neceſſarium, quod ipſa intentio quam imperium inſinuat, præcederet ad electionem. At quando comitanter ſe habent intentio, & electio, intentio non præcedit electionem. Ergo neque imperium.

89 Quod autem voluntas poſsit comitanter ſe determinare ad intentionem, & electionem, probatur. Voluntas poteſt per actum indiuiſibilem intendere finem, & eligere media. Ergo quin intelligatur exiſtens intentio finis habet ſufficientem libertatem ad electionem mediorum. Ergo poterit voluntas per duos actus intendere finem, & eligere media, quin intentio præcedat electionem. Probo conſequentiam. Dum voluntas habet ſufficientem libertatem ad electionem, non eſt cur differat neceſſario electionem ad aliud ſignum remotum, ſed poterit immediatè ſe exercere. At libertas ad electionem intelligitur ante exiſtentiam intentionis. Ergo non eſt cur differatur electio ad ſignum poſterius intentione.

90 Dico 2. Caſu quo intētio præcedat electionem opus eſt præcedere ad electionēm iudicium inſinuans voluntati intentionem finis: quod iudicium determinat vage voluntatem ad electionem huius, vel alterius medij: quodque iudicium poteſt appellari imperium intellectuale, quatenus vi illius, & inſinuatur voluntati intentio finis, & ſimul voluntas neceſsitatur ad electionem huius, vel illius medij, ad obtinendum finem præintentum:

91 Probatur hæc concluſio. Hoc iudicium eſt proprior ad electionem. Deinde inſinuat voluntati rationem neceſſario mouentem ad electionem. Ergo hoc iudicium, quatenus repræſentans intentionem, neceſsitat voluntatem ad aliquam electionē. Prima pars antecedentis eſt certa: nam pro ſigno ipſo intentionis cognoſcit Deus ſe habere intentionem: ſiquidem in Deo quilibet voluntatis actus eſt cognitio ſui ipſius. Cum autem intentio in hac ſuppoſitione electionem præcedat, pariter intentionem ad electionem præcedere neceſſe eſt.

92 Secunda pars antecedentis, videlicet iudicium de intentione repræſentare voluntati rationem neceſſario mouentem ad electionem, probatur. Iudicium repræſentans voluntati obligationem ponendi electionem, repræſentat voluntati rationem ne-

ceſſario mouentem ad electionem. Sed iudicium repræſentans voluntati intentionem finis repræſentat voluntati obligationem ponendi electionem. Ergò repræſentat rationem neceſſario mouentem Deum ad ponendam electionem. Maior eſt certa, & conſequẽtia bona. Minor probatur. Intentio efficax diuina finis alicuius eſt obligatio ad ponendum id, quod neceſſario requiritur, ne fruſtretur. Sed neceſſaria eſt indiſpenſabiliter electio alicuius medij, ne fruſtretur intentio. Ergo iudicium de intentione eſt iudicium de obligatione ponendi electionem alicuius medij ad obtinendũ finem.

93 Ob. 1. adverſus hanc concluſionem. Independenter à cognitione intentionis finis eſt voluntas ſufficienter determinata ad electionem medij per ipſam intentionem vt habitam, & per cognitionem incompoſsibilitatis finis cum defectu omnium mediorum. Ergo cognitio intentionis finis impertinenter ſe habet in genere cognitionis ad exiſtentiam electionis alicuius medij. Probo antecedens, poſtea conſequentiam probaturus. Voluntas videns oppoſitionem duorum extremorum, eo ipſo, quod determinetur ad vnum, nequit in ſenſu compoſito determinari ad oppoſitum. Sed voluntas videt opponi inter ſe exiſtentiam finis, & carentiam omnis medij. Ergo eo ipſo, quod hanc incompoſsibilitatem videat, nequit voluntas ſe determinare ſimul ad exiſtentiam finis, & carentiam omnis medij. Ergo vt nequeat ſe determinare ad carentiam omnis medij non eſt opus præuidere intentionem finis.

94 Probo iam primam conſequentiam: nempẽ quod ſi independenter à cognitione intentionis finis eſt voluntas ſufficienter determinata ad electionem alicuius medij, inde deducatur impertinenter ſe habere eius modi cognitionem intentionis ad electionem mediorum. Impertinenter ſe habet ad determinationem voluntatis id, independenter à quo, eſt voluntas determinata. Ergo ſi independenter à cognitione intentionis finis eſt voluntas ſufficienter determinata ad electionem, cognitio intentionis finis impertinenter ſe habebit ad electionem alicuius medij.

95 Reſpondeo diſtinguendo maiorem. Independenter à repræſentatione intentionis in eſſe talis eſt voluntas ſufficienter determinata in actu primo, & remote ad electionẽ omitto; in actu ſecundo, & proximẽ, nego antecedens. Hanc enim determinationem in actu primo, & remotam, conuincunt duntaxat probationes antecedentis. Deinde nego conſequentiam. Ad eius probationẽ diſting

diſtinguo antecedens. Impertinenter ſe habet ad determinationem in actu ſecundo, & proximam, id, independenter à quo eſt voluntas determinata in actu ſecundo, & proximè, omitto: id, independenter à quo voluntas eſt determinata tantum in actu primo, & remotè, nego antecedens. Et diſtinguo ſimiliter conſequens. Ergo ſi independenter à cognitione intentionis finis, eſt voluntas ſufficienter determinata in actu ſecundo proximè, & vltimatè ad electionem, cognitio intentionis finis impertinenter ſe habebit ad electionem, omitto: ſi ſolum ſit determinata in actu primo, nego conſequentiam.

96 Explicatur diſtinctio, & ſolutio. Voluntas vi intentionis, vt habitæ, & præciſiuè ab ea vt cognita, eſt determinata in actu primo, & radicaliter ad habendam electionem alicuius medij; non vero eſt determinata in actu ſecundo vltimatè ad electionem: ſiquidem in ſigno poſteriori (iuxta ſuppoſitionem iuxta quā loquimur) voluntas ſe determinat ad electionem huius medij præ altero medio. Quando vero nondum intelligitur voluntas vltimò exercita, nec vltimò determinata ad aliquem actum, adhuc remanet locus, vt ſi proponatur motiuum efficax, poſſit etiam mouere voluntatem ad illum actum: quia determinatio remota, & radicalis nō opponitur cum alia determinatione ad eundem actum: duæ enim determinationis radicales optimè poſſunt ſimul ad aliquem actum determinare: neceſſitas enim ad aliquod extremum non ſolum ex vno; verum ex pluribus capitibus poteſt prouenire. Cum igitur Deus ex vi intentionis efficacis finis præciſiuè ab eius cognitione ſit tantum in actu primo, & remotè determinatus, & neceſſitatus vagè ad aliquam electionem; rectè poteſt ex vi cognitionis huius intentionis iterum ad electionem aliquam determinari.

97 Reſpondeo 2. Deum ex vi intentionis, vt habitæ, & non vt cognitæ neceſſitari ad habendam aliquam electionem; non vero ad habendam electionem, quæ ſit voluntas formalis adimplendi intentionem: ex vi autem intentionis, vt cognitæ determinari Deum ad electionem, non ſolum vt obtineatur finis; ſed etiam vt impleatur intentio. Qua propter ex vi intentionis, vt præciſsè habitæ non ſufficienter determinari Deum ad electionem, quæ habetur dum finis intentio præcognoſcitur.

98 Reſponderi poſſet tertio intentionē finis nō aliter poſſe determinare ad electionē, vt exiſtētē propoſteriori, niſi vt cognitā:

præſcindendo enim ab eo quod intentio, vt cognita determinet, non eſt ratio, quare electio debeat eſſe in ſigno poſteriori; ſed ſufficit quod ſit in ſigno comitanti. Itaque iuxta hanc doctrinam intentio, vt habita relinquit Deum liberum, vt, vel comitanter eligat media, vel, ſi expectandum ſit ſignum poſterius, ideo ſit, quia cognitio intentionis debeat regulare electionem: ſecluſa enim hac regulatione, non eſt cur intentio electionem præcedere valeat.

99 Ob. 2. Imperium voluntatis determinat ad actum imperatum independenter à cognitione imperij. Ergo pariter intentio independenter à ſui cognitione ad electionem determinabit. Reſpondeo dato antecedente, ſi loquamur de imperio efficaci reſpectu actus imperati determinati hic, & nunc eliciendi: negando conſequentiam. Quia actus imperans actum imperatum in ſingulari, & in determinatis circunſtantijs, eſt tota, & vltimata determinatio in actu 2. ad actum imperatum: quare cognitio actus imperantis impertinenter ſe habet ad actum imperatum in ratione dirigendi ad illum. At in noſtro caſu intentio finis præſcindens à medijs non eſt vltimata determinatio in actu ſecundo ad electionem; ſed ſolum in actu primo, & remoto: ideoque relinquitur locus, vt cognitio intentionis finis dirigat ad electionem alicuius medij.

100 Conſultò dixi *dato antecedenti*: quia falſum mihi eſt actum imperantem, quantumvis imperet actum in ſingulari, determinare ad actum imperatum præſcindendo à ſui cognitione. Etenim imperium non aliter ſortitur efficaciam, niſi quatenus intimatum voluntati; nam voluntas ſibi ipſi per imperium imperat actum, qui dicitur imperatus. Cumque imperium vt intimatum, & cognitum, moueat, & non aliter, ideo voluntas non cæco modo; ſed quatenus ſuummet imperium cognoſcit ad imperatum actum determinatur.

SECT. IX.

Vtrum Prædeſtinatio ſit formaliter actus intellectus, an voluntatis?

101 Recenſitis actibus, qui Prædeſtinationem reduplicatiuè vt talem conſtituunt, reſtat inueſtigare quid dicat formaliter Prædeſtinatio ſub hac expreſſione *Prædeſti-*

natio

Digitized by Google

natio: Hoc eſt an Prædeſtinatio ſub prædicta expreſsione dicat in recto actum voluntatis, & in obliquo actum intellectus, vel econtra: vel an dicat vtrumque actum in recto. Quæſtio ſane, vt notant Authores, purê de nomine: & in qua tot ſunt ſententiæ, quot excogitari poſſunt.

102 Aliqui dicunt conſiſtere in actu intellectus connotato actu voluntatis. Ita communiter Thomiſtæ ponentes Prædeſtinationem in imperio intellectuali, quod in præcedentibus reiecimus. Ita etiam aliqui ex noſtris, vt ſunt Valentia, Fonſeca, Ruiz de Montoya, & Granados.

103 Alij cenſent Prædeſtinationem, & idem eſt de Prouidentia, conſiſtere in actu voluntatis connotato actu intellectus. Ita Suarez, & Læſius, apud quos etiam Scotus, S. Bonauentura, & alij. Alij tenent Prædeſtinationem ex æquo dicere in recto actum voluntatis, & intellectus. Harum ſententiarum defenſorum catalogum inuenies apud Ribad. tract. de Prædeſt. diſp. 19. cap. 1. n. 1.

104 Quarta ſententia eſt, quam tenet P. Ribad. vbi ſupra (à qua parum, vel nihil diſſentit P. Quiros) qui quidem aſſerit, tam de actu intellectus, quam de actu voluntatis, & etiam de aggregato vtriuſque, poſſe verificari eſſe Prædeſtinationem: quam ob rem iudicat Prædeſtinationem conſiſtere in conceptu communi actui intellectus, & voluntatis, & aggregato vtriuſque: & licet hoc aſſerat, quia Prædeſtinatio poteſt accipi iuxta diuerſas diuerſorum Authorum acceptiones; attamen hoc nomen *Prædeſtinatio* iuxta ipſum, indifferens eſt ad ſignificandum actum intellectus, vel voluntatis, vel aggregatum ex vtroque. Ex quo infertur iuxta hunc Authorem, nomen *Prædeſtinatio*, ſaltem æquiuocê, indifferẽs eſſe ad tria hæc ſignificanda.

105 Sit noſtra concluſio. Prædeſtinatio conſiſtit eſſentialiter in aggregato actuũ intellectus, & voluntatis: nẽpe in cognitione perfecta finis; & mediorũ, & voluntate ponente media, vt efficacia, & in ordine ad finem. Probatur hæc concluſio: primo ex D. Aug. ſupra citato aſſerente Prædeſtinationẽ eſſe præſcientiã, & præparationem mediorum, &c. Sed *Præſcientia, & Præparatio* inuoluit formaliter, & in recto, actus intellectus, & voluntatis. Ergo Prædeſtinatio, iuxta D. Aug. inuoluit formaliter, & in recto, actus intellectus, & voluntatis. Minor probatur: nam *Præſcire* eſt actus intellectus *Præparare* pertinet ad voluntatẽ: ſiquidẽ *Præparare* media ad finẽ idẽ eſt, ac eligere media ad finem. Ergo *Præſciẽtia, & Præparatio* dicunt formaliter actus intellectus, & voluntatis.

106 Reſpondent Thomiſtæ hanc vocem *Præparare* non ſignificare in recto actum voluntatis eligentis media, ſed actum intellectus præconcipientis rationem operis faciendi, vt expreſſe videtur docere S.Thom.quæſt.6.de verit.art.1.ad 8.& 12.& in ſequenti art.ſolutione ad 3.his verbis, *Et talis præparatio Prædeſtinatio eſt, prout agens per intellectum dicitur ſe præparare ad agendum, in quantum præconcipit rationem operis faciendi.*

Sed contra. Idem S.Th.q.23.art.1.in 3.argum.refert dixiſſe D. Aug.cap.10.de Prædeſt.Sanct.quod Prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi. At S. Aug.prædicto cap.10.ſolum dixit Prædeſtinationem eſſe Præſcientiam, & præparationẽ mediorum quibus,&c. Ergo S.Thom.idem reputauit apud Aug. eſſe præſcientiam, & præparationem, ac eſſe propoſitum. Sed propoſitum eſt actus voluntatis. Ergo ſub nomine *Præparationis* (licet non ſub nomine Præſcientiæ) iudicat S.Th.intelligẽdũ eſſe actũ voluntatis.

107 Secundo quia Aug.l.b.22. de Ciuit. cap.2.explicans quo modo incipiant in tempore, quæ decernuntur ab æterno, hanc reddit rationem: *non quia Deus nouam voluntatem tunc habebit, ſed quia id, quod ex æternitate in eius immutabili præparatum eſt voluntate, tunc erit.* Ergo *Præparare* iuxta Aug. non formaliter ad intellectum; ſed ad volũtatem referendum eſt. Denique tertio: quia ſi *Præparare* eſſet actus intellectus præſcientis, idem eſſet dicere *Præſcientia*, & *Præparatio*, ac præſcientia, & præſcientia, qui modus definiendi foret ineptus.

108 Cum igitur dicit D. Thom. præparationem eſſe prædeſtinationem, prout agens per intellectum ſe præparat, interpretandus eſt (ne ſibi, & Aug. ſit aduerſarius) ita, vt non conſtituat formaliter præparationem in actu intellectus, ſed illum præſupponat: modo quo dicimus voluntatem, prout diſtinguitur ab appetitu, eſſe opus rationis: non quia velle ſit formaliter intelligere; ſed quia ſupponit intellectionem vt dirigentem.

109 Probatur ſecundo noſtra concluſio hoc diſcurſu. Plures Eccleſiæ Patres cõſtituunt Prædeſtinationẽ, & Prouidentiã, in voluntate. Damaſc. lib. 2. fidei *Prouidentia eſt voluntas Dei per quã omnia, quæ ſunt, conuenientem gubernationem ſuſcipiunt.* Nemeſius, ſiue Niſenus lib. de facultatibus animæ. *Prouidentia eſt Dei voluntas, per quam omnia, quæ ſunt, aptè gubernantur.* Fulgentius lib. 1.ad Monim. loquens de Prædeſtinatione, non ſolum dicit ſub nomine Prædeſtinationis ſignificari æternam diſpoſitionem diuini operis; ſed concludit: *Vtrumque autem prædeſtinando Deus præpara*

uit

ult in ipſa incommutabili voluntate. Hugo de Sãcto Victore apud Alenſem 1 p.q.26.memb.2.*Prouidentiam vocat curam rerum* Dein de D.Dioniſ.5. de diuinis nominibus aſſerit ſub nomine Prædeſtinationis actum voluntatis intelligi. *Scripta diuina* (ait) *prædeſtinationes appellant diuinas, ac bonas voluntates, quæ conſtituunt, & faciunt vniuerſa.*

110 Hoc Dioniſij pronuntiatum conſtat ex ſacris litteris: vbi Prædeſtinati dicuntur electi, & prædeſtinari ſecundum propoſitũ diuinæ voluntatis. Quin etiã *deſtinare* ſignificat voluntatis propoſitũ 1. ad Corinth. 9. *vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo.* 2. Machab. 6. *deſtinauit non admittere illicita.* Præterea, vt aduertit Aldret. *Prædeſtinare*, idẽ eſt, ac *decernere.* Et ideo verba illa Actor. 4. *Quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri*, transfert Proſp. ad cap. 13. Gallorum ſecundum Græcum exemplar *quæ manus tua, & conſilium tuum prædeſtinauit fieri.*

111 Deinde aliæ ſunt authoritates explicantes Prædeſtinationem, & Prouidentiã per actum intellectus: præſertim ex D. Thoma: nam quæſt. 6. de verit. ita habet *ſicut Prouidentia conſiſtit in actu rationis, ſicut prudentia, cuius eſt pars, eo quod ſolius rationis eſt dirigere, vel ordinare: ita etiam Prædeſtinatio in actu rationis conſiſtit dirigentis, & ordinantis in finem.* Quã doctrinã tradit etiam alijs in locis. Idem tradit de Prouidentia Boetius 4. de conſol. proſ. 6. vbi dicit, quod *Prouidẽtia eſt illa diuina ratio in ſummo omniũ Principe cõſtituta, quæ cũcta diſponit.* Plures aliæ huius generis poſſẽt cõgeri authoritates. Hoc igitur ſuppoſito, ſequens conficio argum:

112 Ea ratione debemus intelligere nomen *Prædeſtinatio*, qua ſuſcipiant congruentẽ explicationẽ loquutiones Patrũ. Sed aſſerendo Prædeſtinationem dicere in recto actũ intellectus, & voluntatis, ſuſcipiunt congruã explicationẽ loquutiones Patrũ. Ergo ita debet explicari nomen *Prædeſtinatio.* Probatur Minor. Illæ authoritates, quæ ſibi opponi videnter, rectê cohærent, aſſerendo conſiſtere Prædeſtinationẽ, & Prouidentiã, in actu voluntatis, reduplicatiue vt regulato per actũ intellectus, & in actu intellectus, reduplicatiue, vt coniũcto cum actu voluntatis. At hoc eſt dicere in recto vtrumque actum. Ergo hac ratione debent explicari Prædeſtinatio, & Prouidentia.

113 Explicatur magis hæc ratio. Aliqui PP. ita declarant Prædeſtinationem per volũtatẽ, vt hæc explicatio ſtare nequeat, niſi dicatur actus volũtatis in recto. Alij vero ita explicãt per intellectũ, vt act⁹ intellectus neceſſario in recto dicatur. At prædictæ

explicationes poſſunt ſimul eſſe veræ, ſi dicatur vterque actus in recto, minime vero, ſi in recto non dicatur. Ergo Prædeſtinatio, necnon Prouidentia, important vtrumque actum in recto. Minor probatur. Si Prædeſtinatio, & Prouidentia non dicant in recto actum intellectus, non poterunt appellari *Præſcientia*; ſed ſolum *voluntas præſciens*: & etiam, ſi non dicatur in recto actus voluntatis, non poterunt appellari *voluntas, aut diſpoſitio*; ſed *Scientia diſponens*, aut *decernens*. Si vero dicatur vterque actus in recto: & poterunt appellari *voluntas præſciens, vt præſciens* & *Scientia volens, vt volens*. Ergo prædictæ explicationes poſſunt ſimul eſſe veræ, ſi dicatur vterque actus in recto; minime vero, ſi dicatur tantum in obliquo.

114 Ob. 1. Prædeſtinatio eſt Prouidentia. Prouidentia pertinet ad Prudentiam: & Prudentia pertinet ſolum ad intellectum. Ergo, & Prouidentia, & Prædeſtinatio pertinent ſolum ad intellectum. Reſpondeo Prouidentiam eſſe partem Prudentiæ: nō Prudentiæ vt cumque; ſed Prudentiæ, vt practicæ in actu 2. hoc eſt, vt actu reducentis ad praxim ſua dictamina. Cum autem vt ſic reduplicatiue accepta, inuoluat actum voluntatis: inde fit Prouidentiam eſſe partem Prudentiæ, vt inuoluentis actum voluntatis.

115 Ob. 2. nomen *Prouidentia* deſumptum eſſe à verbo *video*, quod ad intellectum, & non ad voluntatem ſpectat. Reſpondeo hoc argumentum inefficax eſſe: nam etiam *lapis* dicitur, iuxta plures, à *lædendo pede*: & tamen conceptus lapidis, prout explicatur per hoc nomen *lapis*, non eſt lædere, aut poſſe lædere pedem. Præter quam quod *Prouidentia* ſumitur à verbo *Prouideo*, quod ſignificat bonum alicui intendere, & procurare, vt conſtat ex Calepino.

116 Ob. 3. Saluatur ratio *Prouidentiæ*, & *Prædeſtinationis*, in eo quod ſit *Scientia diſponens*, vel *voluntas præſciens*. Ergo nōn dicit neceſſario vtrumque in recto. Diſtinguo antecedens: ſumptis *diſponens*, & *præſciens* reduplicatiue, concedo: ſpecificatiue, nego antecedens: & nego conſequentiam. Ratio huius eſt: quia ſi ſaluaretur Prædeſtinatio in quolibet ex illis, & in aggregato vtriuſque, ſolum recte definiretur Prædeſtinatio per conceptum ab omnibus abſtractum; male vero per quemlibet ex illis. Sicuti male definiretur *animal*, tum dicendo eſſe *hominem*, tum dicendo eſſe *brutum*. Ne ergo omnes Patres praue definiuiſſe Prædeſtinationem, & Prouidentiam dicamus, tenendum eſt vtrumque actum dicere in recto, prout à nobis explicatum eſt.

QVÆ-

QVÆST. II.

Vtrum, & qua ratione, Deus Scientia Media dirigatur ad collationem auxiliorum?

QVæſtionem aggredimur difficillimam, ſi qua eſt in toto hoc de Prædeſtinatione tractatu & quæ oportet prius reſolui, vt poſtea decreta diuina accuratius, vt vtilius examinemus. Quam ob rem quidquid ad directionem Scientiæ Mediæ ſpectat hic trademus, ne eandem doctrinam prolixè repetamus.

SECT. I.

Nonnulla præmittuntur ad ſtatum quæſtionis intelligendũ.

1 DVpliciter accipitur verbum *Dirigere* apud Authores. Primo pro exiſtentia illius ſcientiæ, quæ dicitur dirigere, in ſigno apto ad mouendum. V. g. dirigere Scientiam Mediam ad collationem auxiliorum erit exiſtere Scientiam Mediam in ſigno apto, vt ex illa moueatur Deus, vel ad conferendũ, vel ad negandum auxilium: exiſtere enim Scientiam Mediam oſtẽdendo euentum conditionatum auxilij ſufficienti modo ad mouendum, eſt, apud plures Authores, actu dirigi Deum à Scientia Media: ſiquidem actu Scientia Media, dum ita exiſtit, conſtituit Deum perfectè liberum ad concedendum, vel negandum auxiliũ.

2 Secundo modo accipitur *Dirigere* pro eodẽ, ac actualiter mouere, ſiuè ad conferendum, ſiuè ad negandum auxilium, v.g. videt Deus per Scientiam Mediam Petrum liberè diſſenſurum auxilio A, ſi illi conferatur, & prædicta auxilij inefficacia præuiſa, mouetur ad non conferendum Petro auxilium A. Deinde videt, quod ſi eidem Petro conferatur auxilium B. illi conſentiet liberè, motuſque Deus ex hac efficacia præuiſa, decernit Petro auxilium B. In hoc caſu vtraque Scientia Media de facto dirigit Deum: ſcientia de conſenſu ſub auxilio B, quia mouet ad conferendum auxilium B. Scientia autem de diſſenſu ſub auxilio A, quia mouet ad negandum auxilium A.

3 Scientia Media dum non actu mouet; ſed ſolum eſt in ſigno apto ad mouendum, ſiuê in ſigno libertatis diuinæ ad conferendum, & negandum auxilium, poteſt conſiderari dupliciter: vel in ſigno immediato, vel in ſigno tantum mediato. Eſſe in ſigno immediato ad decretum conferendi auxilium eſt conſtituere decretum auxilij liberum immediatê in ſe ipſo, quatenus Deus, vi illius ſcientiæ, ita eſt liber ad conferendum, vel negandum auxilium illud, vt decretum conferendi prodeat immediatê à Deo, vt illa Scientia Media illuſtrato, quatenus Deus pro immediato priori ad decretum fuerit inſtructus illa Scientia Media. Eſſe in ſigno mediato eſt, quod inter ſignum Scientiæ Mediæ, & ſignum decreti, intercedat aliud ſignum, hoc eſt, aliud exercitium liberum diuinum. V. g. Deus inſtructus Scientia Media conſenſus ſub auxilio imperat efficaciter decretum collatiuum auxilij. In hoc caſu Scientia de efficacia dirigit mediatê ad illud decretum imperatum; quia inter Scientiã, & decretum imperatum, mediat imperium neceſſitans ad decretũ imperatũ, & collatiuũ auxiliorum.

4 Præterea eſſe in ſigno apto ad mouendum, ſiue conſtituere ſignum indifferentiæ, ab aliquibus prioritas naturæ nuncupatur; ab alijs vero huiuſmodi prioritas minimê admittitur, ſed mordicus propugnant non totam libertatem conſtituentem de facto actum liberum præcedere neceſſario actum; ſed tantum præcedere ſecundum id, quod allicit ad actum, comitari vero ſecundum aliam partem, quæ retrahit. Hinc prouenit quod, adhuc admiſſo Scientiam Mediam debere exiſtere in ſigno indifferentiæ ad decernendum, & non decernendum, aliqui negent præcedere Scientiam Mediam neceſſario: quia aliquid aliud ad prioritatem arbitrantur requiri. Alij vero, dum prioritatem Scientiæ Mediæ conantur adſtruere, ſolum probant Scientiam Mediam eſſe in ſigno indifferentiæ: quia ſignum libertatis, & ſignum prioritatis, iudicant non diſtingui.

5 Rurſus exiſtere Scientiam Mediam in ſigno libertatis ad decretum dupliciter etiam poteſt conſiderari. Primo: ita, vt decretum intrin[illegible] eſſentialiter connectatur cum Scientia Media, quatenus formaliter moueatur ex illa, vel alio quopiam modo reſpiciat eam. V.g. ſi Deus decernat hoc modo: *Volo auxilium A, quia prauideo efficax*, vel hoc *volo auxilium A, quamuis prauideo inefficax*, vel quia omnis actus liber (ſaltem diuinus) eſſentialiter ſit liber ea libertate, quam de facto habet.

6 Secundo modo poteſt conſiderari, videlicet, ita vt de-

creto

creto collatiuo auxiliorum extrinſecum ſit, quod ſcientia illa exiſtat in ſigno indifferentiæ ad decretum: ex eo, nimirum, quod decreta diuina non ſint neceſſario intrinſece libera ea libertate, quā de facto habent. Ex hac diuerſitate ortum duxere plures quæſtiones circa directionem Scientiæ Mediæ, quas ſigillatim in decurſu huius tractatus diſcutiemus.

7 Vltra hæc, quæ circa intelligentiam *Directionis* notauimus, animadvertendum etiam eſt duplici via ad oſtēdendam Sciētiæ Mediæ directionem authores Societatis procedere. Primo probando exiſtentiā Scientiæ Mediæ, vt neceſſariæ ad cognoſcēdam efficaciam auxiliorum, ſtatuendoque excluſionem cuiuslibet decreti efficacis independentis omnino à noſtro libero conſenſu præuiſo; deindeque oſtendendo ex hac ſuppoſitione neceſſario inferri Deum indigere Scientia Media in ſigno libertatis ad conferendum auxilium: tum vt illud conferat, vt medium infallibiliter coniungendum cum conſenſu, & beatitudine, tum vt ſit voluntaria Deo auxilij efficacia: tum vt Deus ſit ſpecialis benefactor reſpectu Prædeſtinati, tum ob alias rationes, quas infra expendemus.

8 Secundus modus probandi directionem Scientiæ Mediæ inuerſo ordine procedit: nimirum oſtendendo prius Scientiā conditionatam operis liberi ſub hypotheſi libertatis (præſcindendo ab eo quod prædicta Scientia conditionata ſit Media, vel potius innixa decreto) neceſſario debere dirigere Deum ad collationem libertatis: poſteaque probando hanc Scientiam conditionatam non poſſe decreto diuino ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti eſſe ſubnixam, ideoque Scientiam Mediam eſſe debere. Inter hos probandi modos hoc intercedit diſcrimen: quod iuxta primum non probatur directio Scientiæ conditionatæ, niſi probando prius, vel ſupponendo Scientiam conditionatam eſſe Scientiam Mediam. At vero iuxta ſecundum modum, abſolutè, & independenter ab alio, probatur directio Scientiæ conditionatæ; & vlterius proceditur ad oſtendendum hanc Scientiam conditionatam dirigentem eſſe Scientiam Mediam.

9 Cæterum cum de exiſtentia Scientiæ Mediæ integrū ego tractatum inſtituam, hic eam non probabo; ſed iuxta primum diſcurrendi modum, ea ſuppoſita, oſtendam Deum ad libertatis humanæ collat[illegible] .nſtrui, & dirigi Scientia Media debere: & iuxta ſecundum probationis genus, Scientiam conditionatam cōtingentiū Deū dirigere ad collationē libertatis mōſtrabo. Ex qua veritate, & ex eo, quod hæc Scientia cōditionata debeat eſſe Me-

dia, & non inniva decreto, legitime infertur Scientiam Mediam ad collationem libertatis humanæ Deum dirigere neceſſario debere.

SECT. II.

Suppoſita exiſtentia Scientiæ Mediæ, Deus neceſſario ex illa dirigitur ad collationem auxiliorum, quatenus neceſſarium eſt Scientiam Mediam exiſtere in ſigno apto, vt Deus moueatur ex illa ad conferendum, vel negandum auxilium.

10 PRobatur hæc cóclusio. Eſſe Scientiam in ſigno apto ad mouendum eſt oſtendere efficaciam, vel inefficaciam auxilij, ex qua Deus poſsit moueri, vel retrahi. Sed Scientia Media eſſentialiter habet oſtendere efficatiam, vel inefficaciam auxilij, ex qua Deus poſsit moueri, vel retrahi. Ergo Scientia Media neceſſario eſt in ſigno apto ad mouendum. Minor, in qua eſt difficultas, probatur. In primis Scientia Media eſſentialiter habet oſtendere efficaciam, vel inefficaciam auxilij. Deinde, dato quod Deus poſsit moueri ex efficacia, vel inefficacia ſic propoſita, hoc *poſſe* intrinſecum eſt Deo: quando quidem ex ſe habet poſſe moueri ex notitia, quæ eſt in ſigno apto ad mouendum. Præterea Deus poteſt moueri ex Scientia Med a. Ergo de ptimo ad vltimum eſſentialiter habet eſſe in ſigno apto ad mouendum.

11 Iam vero poſſe Deum moueri ex Scientia Media ad collationem, vel negationem auxiliorum (quod negat P. Leſsius opuſculo de Prædeſtinat. & alij RR.) probatur. Deus poteſt moueri ex illa Scientia, quæ Deo proponit motiuum ex ſe habens vim allicitiuam, & illud proponit antequam Deus determinetur abſolute ad collationem, vel negationem auxilij. Sed antequam Deus determinetur ad dandum, vel negandum abſolutê auxilium, habet Scientiam Mediam proponentem Deo motiuum, habens vim allicitiuam ad tribuendum, vel negandum auxilium. Ergo Deus poteſt moueri ex Scientia Media ad conferendum, vel negandum auxilium. Probatur minor per partes. In primis ante quam Deus abſolutè determinetur ad concedendum, vel negandum auxilium, habet Scientiam de eius efficacia, vel inefficacia: nam cum hæc Scientia ſit independens à libertate diuina, non expectat, vt Deo affulgeat

geat, eius determinationem: conſequenterque eſt ante eius determinationem: ideſt, neque aduenit poſt determinationem, neque conſtituitur per ipſum ſignum determinationis.

12 Deinde hæc Scientia proponit Deo motiuum allicitiuum: nam auxilium fore efficax eſt motiuum ex ſe alliciens Deũ ex ſe inclinatum ad benefaciendum, vt illud conferat. Eſſe autem inefficax, eſt motiuum, propter eandem rationem, retrahens Deũ ab eius collationem. Ergo Scientia proponens efficaciam, vel inefficaciam auxilij, proponit motiuum ex ſe allicitiuum ad donationem, vel negationem auxilij.

13 Probatur ſecundo noſtra concluſio ratione potiſsima, & fundamentali. Deus dum Petrum v.g. prædeſtinat, tenetur conferre auxilia, quibus certo, & infallibiliter, obtineat beatitudinem, quibuſque certus reddatur Deus Petrum conſenſum ſalutarem finalem, beatitudinemque fore conſequuturum. At hoc nequit conſtare, ſemel ſtatuta Scientia Media, vt neceſſaria ad cognoſcendam efficaciam auxiliorum, niſi per Scientiam Mediam dirigatur, & illuſtretur ad eligendum hoc auxilium, potius, quam aliud. Ergo ſemel ſtatuta Scientia Media, debet eſſe inſigno apto ad mouendum Deum ad collationem, vel negationem auxiliorũ. Conſequentia eſt legitima: & maior certa: nam Deus dum prædeſtinat Petrum, præparat illi media, quibus certiſsimè liberetur: at præparare media, quibus certiſsimê liberetur, ſeu quibus certiſsimum ſit forê liberandum, dicit Deum eligere media cum certitudine infallibili de obtentione finis, ſcilicet vitæ æternæ. Ergo dum Deus prædeſtinat Petrum, tenetur conferre illi media, de quibus certus ſit Deus coniungenda eſſe cum vita æterna.

14 Iam vero minor illa prioris ſyllogiſmi: nempe non poſſe Deum ita ſe gerere, niſi Scientia Media dirigatur, probatur. Vt Deus præparet Petro auxilium, de quo certus ſit, quod, ſi exiſtat, coniungetur cum conſenſu, & non illi conferat auxilium aliud, quod coniungetur cum diſſenſu, ſi exiſtat, debet habere pro priori libertatis ſcientiam diſcernentem inter vnum, & alterum auxilium. At ſcientia inter hæc auxilia diſcernens, eſt Scientia Media, ſuppoſita exiſtentia Scientiæ Mediæ, vt neceſſariæ ad cognoſcendam efficaciam auxiliorum. Ergo non poteſt Deus præparare auxilia, & media cum certitudine de conſenſu, & beatitudine obtinendis, niſi Scientia Media præluceat oſtendens auxiliorum efficaciam.

15 **Hæc probatio, etiam apud Thomiſtas, efficax eſt:** quam

quam obrem illi ponunt, tum phyſicam prædeterminationem connexam cum conſenſu, tum decretum diuinum efficax ſubiectiuè abſolutum, & obiectiuè conditionatum: quo Deus, antecedenter omnino ad omnem Scientiam conditionatam contingentem, ſtatuat efficaciter fore conſenſum, ſi ponatur libertas: quod decretum, vel per ſe immediatè influat in conſenſum, vel per phyſicam prædeterminationem ad motam voluntati, iudicio indifferenti in eſſe liberæ conſtitutæ. Qua propter aſſerunt Deum non dirigi Scientia Media ad conferendam, vel libertatem, per modum actus primi, vel prædeterminationem, per modum actus ſecundi: quia ad conferendum actum primum, & etiam prædeterminationem, quæ ſe tenet ex parte actus ſecundi, ſufficienter dirigitur Deus Scientia neceſſaria, per quam cognoſcit, tum prædeterminationem connecti intrinſece eſſentialiter cum exercitio, ad quod prædeterminat, tum eſſe in ſua manu ad quodiibet exercitium liberum, phyſicam prædeterminationem. Qua Scientia naturali inſtructus Deus prudentiſsime, iuxta ipſos, decernit conſenſum Petri, quin opus ſit aliqua Scientia Media. Cæterum ipſi fatentur quod, ſi efficacia auxiliorum per Scientiam Mediam cognoſci neceſſario deberet, indigeret Deus Scientia Media ad prudentem, & prouidam auxiliorum collationem.

16 Verum, vt omnino abſolutè probaremus Scientiam Mediam neceſſariam eſſe in ſigno libertatis diuinæ ad conferenda auxilia, probandum nobis erat efficaciam auxiliorum non poſſe eſſe ipſis intrinſecam, nec à decreto efficaci immediatè influente poſſe prouenire. Cæterum hoc aſſumptum longiſsimam poſtulat diſcuſsionem. De quo partim tract. de Scientia Media, partim tractatu de auxiliorum efficacia, partim etiam dum de Prædefinitionibus ſermo ſit, agendum nobis erit. Quid dicendum de directione Scientiæ Mediæ, iuxta ſententiam propugnantem decretum comitans, per quod Deus determinet creaturam ad conſenſum, & viciſsim ab ea, vt conſentiente, determinetur, dicemus infra, dum de decreto comitante quæſtionem iuſtam inſtituamus.

(.·.)

SECT.

Digitized by Google

SECT: III.

Scientia conditionata liberorum debet exiſtere in ſigno apto ad mouendum Deum ad collationem, vel negationem auxiliorum.

17 PRobatur hæc concluſio. Primo ex D. Auguſt. qui tract. 73. in Ioannem ait *male vſurus eo, quod accipit, à Deo miſerante non accipit*. Ergo ex miſericordia Dei, qui præſcitur male vſurus beneficio, non accipit. Ergo Deus dirigitur ex Scientia conditionata de malo vſu futuro doni, ſub conditione quod detur, ad illud negandum. Ergo ea Scientia conditionata eſt in ſigno libertatis diuinæ ad conferendum, vel negandum donum. Ergo Scientia conditionata euentus auxilij eſt in ſigno indifferentiæ diuinæ ad concedendum, vel negandum auxilium.

18 Idem Aug. in epiſt. ad Rom. propoſit. 5. hæc habet. *Non omnes, qui vocati ſunt ſecundum propoſitum vocati ſunt: hoc enim propoſitum ad præſcientiam, & prædeſtinationem pertinet: nec prædeſtinauit aliquem* (attende quæ ſequuntur) *niſi quem præſciuit ſecuturum vocationem ſuam*. At iuxta Auguſtinum prædeſtinare eſt præparare, & diſponere media, quibus certiſsimè obtineatur beatitudo per bona opera. Ergo Deus diſponit ea media, & auxilia, directus præſcientia de eo, quod vocati vocationem ſequentur. Ergo dirigitur ex Scientia conditionata de efficacia diuinæ vocationis. Alios Auguſtini textus lege apud Aldrete 1. p. tract. de Prædeſtinat. diſp. 2. ſect. 1. & 2.

19 Dices forſam hæc teſtimonia non probare Deum dirigi Scientia conditionata contingente de eo quod ſi exiſtat libertas, erit conſenſus; ſed ſolum ſcientia conditionata naturali, & neceſſaria, de eo quod, ſi exiſtat auxilium intrinſecè efficax, exiſtet conſenſus: nam hac duntaxat ſcientia ſaluatur Deum vocare quo modo ſcit congruere, hoc eſt, auxilio de que ſcit eſſe cõgruũ.

20 In primis hoc ſufficiebat nobis in præſenti: nam directè ſolum contendimus Deum præcognoſcere efficaciam, vel inefficaciam auxiliorum in ſufficienti ſigno, vt poſsit Deum mouere, vel ad cõcedendum, vel ad negandum auxilium. Ex qua præmiſſa, ſimul cum alia de eo, quod auxiliorum efficacia non per ſcientiam

natu-

Digitized by Google

naturalem; ſed per Mediam cognoſci debeat (quam propoſitionem ad tract. de auxilijs remittimus) legitimè infertur Scientiam Mediam digere Deum ad collationem auxiliorum.

22 Deinde dico textus à nobis adductos, ſi recte conſiderentur, probare directionem Scientiæ conditionatæ contingétis: nam Aug. aſſerit malè vſurum beneficio, Domino miſerante, nõ accipere: ſed beneficium, de quo foret abuſus, non eſt auxilium efficax, ſed libertas: nemo enim abutitur auxilio reduplicatiuè vt efficaci, vel inefficaci; ſed indifferentia, vel libertate. Ergo Deus non ſolum beneficium connexum cum malo vſu; verum etiam beneficium indifferens ad bonum, & malum vſum, denegat directus ex ſcientia conditionata illius praui vſus. Sed ſcientia conditionata praui vſus beneficij indifferentis eſt Scientia conditionata cõtingens. Ergo loquitur Aug. de Scientia conditionata contingente. Idem dicendum eſt de alio textu Aug. in quo dicit Auguſtinus non aliter vocaſſe Deum conſenſuros, niſi præſciendo credituros, & conſenſuros fore. Ergo non ſolum præuidit Deus ante vocationem vocatos fore credituros, ſi auxilio efficaci donarentur; verum fore credituros, ſi miraculis, & alijs ſignis, ex ſe indifferentibus, vocarentur: quæ ſigna, miracula, & exortationes, vocatio appellãtur, iuxta communem modum loquendi Patrum.

23 Probatur ſecundo noſtra concluſio ex orationibus fidelium petentium à Deo aliquod donum: non petendo ſimul abſolutè, & quod illis conferatur, & quod illis proficiat; ſed petendo conditionatè donum, ſi animæ ſuæ ſit profuturum; ſecus è contra. Ergo petunt beneficia ſub hac conditione: ***Si ex ſuppoſitione, quod mihi conferatur, mihi profuturum ſit. Si vero ex ſuppoſitione, quod mihi donetur, non ſit profuturum, obſecro vt non concedatur.*** Sed prædictæ orationes fruſtraneæ eſſent, ſi Deus ex ſcientia conditionata contingenti dirigi non poſſet. Ergo Deus poteſt dirigi ex Scientia conditionata contingente de eo, quod ſi conferatur tale donum, vel noxium, vel proficuum erit. Minor probatur. Fruſtra petitur ab aliquo donum ſub cõditione, cuius cognitio nequit deſeruire benefactori, vt conferat, ſiuè neget donum poſtulatum. Sed ſi Scientia conditionata de bono, vel malo euentu doni petiti nequit dirigere Deum, cognitio de eo quod donum pro futurum ſit, ſi exiſtat, nequit deſeruire Deo ad conferendum, ſiuè negandũ donum petitum. Ergo fruſtra peteretur à Deo donum ſub conditione, quod ***caſu, quo exiſtat, ſit profuturum.***

24 Probatur tertio ex Patribus excitantibus quæſtiones

Digitized by Google

nes illas. Cur Deus hominem creauit, quem lapſurum eſſe cognouerat? Cur Angelum, quem etiam peccaturum eſſe præſciuerat? Cur mundum, in quo tot hominis præuidiſſet damnandos? Cur elegit Iudam ad Apoſtolatum, quem nouerat fore proditorem? Et plures alias, quas mouent Aug. Hieronym. Chriſoſt. Tertul. & alij, quos videre eſt apud Ruiz de Montoya diſp. 62. de Scientia. Ex quibus quæſtionibus hoc conficitur argumentum. Scientia, quam habebat Deus de his euentibus futuris, v.g. de peccato futuro hominis erat, iuxta hos PP. ſcientia, quæ poſſet Deo deſeruire ad non creandum hominem. Ergo erat ſcientia conditionata de peccato hominis ſub conditione ſuæ exiſtentiæ, quæ eſt indifferens ad peccatum, & non peccatum. Ergo Scientia conditionata contingens de aliquo euentu ſub conditione contingente poteſt dirigere ad ponendam, & non ponendam eam conditionem. Primum antecedens eſt certum: ſi enim hæc ſcientia eſſet inutilis ad retrahendum Deum, in promptu eſſet reſponſio: nimirum, ex eo condidiſſe hominem cum ſcientia peccati futuri, quia hæc ſcientia non poterat retrahere Deum ab hominis creatione. Sed nemo ex Patribus vtitur hoc reſponſo; ſed potius rationes, & congruentias inueſtigant in creatione mundi, quæ poſſent Deum allicere ad creationem mundi, adhuc obſiſtente ſcientia peccati. Ergo illa ſcientia apta erat ad retrahendum Deum ab hominis creatione. Sed Scientia de peccato hominis potens retrahere Deum ab illa creando, conſequenterque coniungibilis cum carentia peccati, non eſt ſcientia abſoluta; ſed conditionata, vt ex ſe videtur notum. Erga iuxta omnes Patres quæſtiones illas excitantes, ſcientia de euentu futuro ſub aliqua conditione contingente apta eſt, vt Deum moueat ad ponendam, vel non ponendam eam conditionē.

25 Reſpondet huic argumento Gonetus tract. de Scientia diſp. 6. art. 7. §. 3. SS. Patres loquutos fuiſſe in his locis de Sciētia Dei abſoluta: hoc eſt de præſcientia peccati Angelorum, & primorum parentum, quam conſtat fuiſſe abſolutam: nam SS. PP. ſolum loquuntur de præſcientia lapſus antecedente executionem creationis Angelorū, & hominum, nō autem de præſcientia antecedente decretum, & voluntatem eos creandi: non quærunt enim cur decreuerit, aut voluerit Deus creare Angelos, aut primos parentes, quos ſciebat peccaturos? Sed cur creauerit Angelos, &c. Cui doctrinæ fidens Gonetus ait: falſo igitur, & planē contra Sanctorum Patrum mentem Suarez, Ruiz, Petrus à S. Ioſeph, aliique RR. intelligunt PP. de Scientia Media, & de præſcientia

con-

conditionata lapſus Angelorum, & hominum, quam volunt præce dere ratione abſolutum decretum eos creandi.

26 Hæc ſolutio diſplicet valde. Etenim iuxta Gonetū quærunt PP. Cur Deus, ſemel decreta efficaciter creatione Angelorum, præuiſoque eorum peccato futuro abſolute, eos de facto creauerit Deus? Sed quis cordatus id interrogaret. Cur exequitur Deus quod efficaciter decernit, niſi quia efficaciter decernit? Aut quo pacto quod Deum à decernenda Angelorum creatione non retraxit, poſſet retrahere, ne exequeretur, ſemel determinata voluntate diuina vt exiſteret? Sic igitur ad hunc ſyllogiſmum premo huius ſolutionis impugnationem. PP. vt prudenter dubitent cur Deus creauerit hominem præſciens peccaturum, loquuntur de præſcientia, qua poſita, poſſet in ſenſu compoſito non creare: alioqui inepte interrogarent, vel ſaltem euidens eſſet reſponſio: nimirum quia iam nō poterat aliter facere. Sed poſito decreto de creatione Angeli, & Sciētia abſoluta de eorum peccato, nequit Deus retrahi ab exequutione Angeli. Ergo PP. vel inepte interrogant, vel loquuntur ante decretum de exiſtentia Angeli, & ante Scientiam abſolutam de peccato eorum.

27 Probatur 3. noſtra concluſio ex illis verbis Sapient. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius* conficiendo hoc argumentum. Deus propera morte rapuit iuſtum, quia vidit certo, & infallibiliter quod, ſi diutius viueret, mutaretur malitia intellectus eius, & peccaret. Sed Scientia, qua Deus vidit certo, & infallibiliter futurum lapſum iuſti, ſi diutius viueret, eſt Scientia cōditionata contingens. Ergo Scientia conditionata contingens retraxit Deum à conſeruatione vitæ illius iuſti. Sicut ergo ſcientia contingens conditionata contingens de lapſu iuſti ſub conditione diuturnioris vitæ retraxit Deum à conceſsione longioris vitæ, ita pariter ſcientia conditionata de fauſto, vel infauſto euentu libertatis creatæ, erit in ſigno apto ad mouendum, vel retrahendum Deum à conceſsione eius libertatis. Cætera conſtant, præter maiorem: quam aliqui negant, putantes Deum non motum fuiſſe ex ſcientia certa de peccatis iuſti futuris ſub conditione longioris vitæ; ſed tantum ex imminentia, vel certitudine morali talium peccatorum.

28 Verum hanc reſponſionem refellit idem Aug. lib. de corrept. & gratia cap. 8. prope finem his verbis. *Reſpondeant, ſi poſſunt, cur illos Deus, cum fideliter, & pie viuerent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum,*

& ne

& ne fictio deciperet animas eorum. Vtrum hoc in poteſtate non habuit, an eorum mala futura neſciuit? Nempe nihil eorum, niſi perverſiſsime, & inſaniſsime dicitur. In quibus verbis comparat Auguſtinus iuſtum propere raptum, ne in prouectiori ætate peccaret, cum alijs, qui cum iuſti ſint, & pie viuant, & de illis præuideat Deus quod, ſi viuant diutius, malitia mutabit intellectum eorum, non tamen rapiuntur: aſſeritque Aug. horum diſcrimen ad ſolam Dei voluntatem reuocari debere. Ergo dum de his dicit non poſſe negari, niſi inſaniſsime eorum peccata futura ſub conditione longioris vitæ à Deo certiſsime præuideri; & tamen eis non breuiaſſe vitam, ne peccarent, ſicuti breuiauit iuſto: plane ſupponit Deum habuiſſe ſcientiam certam de omnium eorum peccatis futuris ſub conditione longioris vitæ, potuiſſeque motum hac ſcientia omnes propera morte rapuiſſe. Ergo docet Auguſtinus quod, ſicuti rapuit iuſtum Deus, quia præuidit certe peccaturum, ſi viueret, potuit alios iuſtos rapere, quia, niſi inſaniſsime, negari non poteſt eadem ratione eorum peccata ſub conditione longioris vitæ, infallibiter cognouiſſe.

29 Idem Aug. in lib. contra Adimantum Manichæum cap. 17. docet Deum Dauidi ocaſiones obtuliſſe, quibus potuit Saulem occidere, quia præuidit Dauidem fore, vt ſe gereret recte in illis ocaſionibus. Etiam contra 2. epiſtolam Gaudentij cap. 17. aſſerit Deum efficaciter mouiſſe Regem Niniuitatum, vt ieiunium, & orationem ſuis indiceret, quia præuidit aliquos eorum non credituros, niſi regium accederet imperium. Etiam lib. 1. contra Greſconium Grammaticum cap. 18. ſupponit Chriſtum Dominum voluiſſe cum Samaritana diſputare, quia cognouerat credituram. Ex quibus, & alijs in numeris locis, hæc ſcientiæ conditionatæ præcedentia reſpectu abſoluti decreti conſtat ab Auguſtino fuiſſe ſemper aſſertam, & conſtanter propugnatum.

SECT; IV.

Soluuntur obiectiones.

30 OB. 1. Si Deus dirigeretur ex Scientia Media ad conferendum auxilium, collatio auxilij eſſet ex noſtris meri-

meritis. Ergo Deus nequit dirigi ex Scientia Media ad prædictā collationem. Probatur maior, in qua eſt difficultas. Si Deus dirigeretur ex Scientia Media, moueretur ex noſtris operibus conditionate præuiſis. At hoc eſt moueri ex noſtris meritis conditionatis. Ergo.

31 Reſpondetur Deum moueri ex noſtris meritis condi tionate præuiſis, non motione meriti; ſed præciſſe tanquam ex con ditione requiſita ad hoc, vt Deus tribuat auxilia, tanquam efficacia: ſicut etiam Deus ad conferendum auxilium dirigitur etiam cognitione poſsibilitatis operis, quod intendit Deus conſtituere in noſtra poteſtate: & tamen non mouetur ex operibus poſsibilibus, tanquam ex meritis; ſed præciſſe tanquam ex conditione requiſita, vt Deus decernat auxilium. Quem admodum mouetur etiam Deus, in ſententia Thomiſtarum, ex cognitione de eo, quod; ſi prædeterminauerit Petrum ad conſenſum, conſentiet: & tamen non mouetur ex hac veritate neceſſaria motione meriti. Pariter ergo in noſtro caſu.

32 Quando igitur D. Auguſtinus negat Deum, ſiue ad vocandum, ſiue ad prædeſtinandum, moueri ex noſtris operibus conditionate præuiſis, ſolum negat motionem in genere meriti; non motionem conditionis, ſiue motionem vtilitatis medij, nempe auxilij ad finem intentum, nimirum conſenſum: qui conſenſus intenditur, quando tribuitur auxilium vt efficax. Cæterum motio meriti, ſeu motio operis in genere meriti, non eſt quæcumque motio; ſed quæ fit ex opere tanquam ex exigenti bonum, quod confertur, in compenſationem dignitatis, ſeu valoris operis, & tanquam ex iure quodam, vt illi bonum illud, aut aliud æquiualens, conferatur. Cumque noſtra opera conditionate præuiſa non moueant hoc modo; ſed præciſſe tanquam conditio, vel tanquam vtilitas medij eligendi: inde fit non habere motionem, quam negat D. Auguſtinus.

33 Ob. 2. Cognitio pure apprehenſiua tendens in aliquod obiectum ad nihil poteſt mouere circa tale obiectum. Sed Scientia Media tendit pure apprehenſiue circa auxilium. Ergo nequit mouere ad poſitionem auxilij. Conſequentia eſt legitima, & minor videtur certa: ſiquidem de auxilio nihil affirmat, aut negat. Maior autem probatur. Cognitio pure apprehenſiua non iudicat rem apprehenſam habere potius hæc, quam illa prædicata. Sed cognitio huiuſmodi non proponit prædicata obiecti ſufficiēti modo, vt poſsint mouere. Ergo cognitio pure apprehenſiua nequit mouere.

34 Reſ-

34 Reſpondeo Scientiam Mediam, & iudicare omnia prædicata neceſſaria auxilij, & inſuper iudicare de auxilio quod, ſi exiſtat, coniungetur cum conſenſu: quod ſufficit, vt moueat: quia ad mouendum vt aliquid ponatur, non requiritur (imô communiter obeſt) cognitio abſoluta de exiſtentia; ſed ſolum requiritur iudicium conditionatum de eo, quod, ſi exiſtat, exequetur de facto munus, ad quod poſtea eligitur.

35 Ob. 3. Scientia Media cognoſcit euentum conditionatum in ſe ipſo. Ergo etiam quando purificatur conditio, & exiſtit euentus, Scientia Media, quæ etiam tunc datur, cognoſcit euẽtum in ſe ipſo. Ergo cognoſcit conditionate euentum in euentu abſoluto. Probatur hæc conſequentia. Euentus conditionatus, & abſolutus pro illo caſu idem ſunt. Sed tunc cognoſcit euentum conditionatum in ſe ipſo. Ergo cognoſcit illum in euentu abſoluto. Pergo vlterius. Ergo euentus abſolutus pro illo caſu determinat Scientiam Mediam, ac per conſequens eſt prior illa: conſequenter Scientia poſterior conſenſu. Sed Scientia poſterior conſenſu abſoluto nequit deſeruire ad conſenſum abſolutum dirigendo ad poſitionẽ auxilij. Ergo Scientia Media nequit deſeruire ad conſenſum abſolutum dirigẽdo ad poſitionem auxilij. Probatur Minor, ad quam reuocatur difficultas. Scientia dirigens, vt exiſtat auxilium efficax ad conſenſum, eſt prior immediate auxilio, & mediate conſenſu. Sed Scientia, quæ eſt poſterior conſenſu abſoluto, non poteſt, adhuc mediate, eſſe prior illo. Ergo Scientia, quæ eſt poſterior conſenſu abſoluto, nequit deſeruire ad conſenſum, dirigendo ad auxilium.

36 Reſpondeo inconueniens non eſſe dari mutuam prioritatem, dum vna ſit obiectiua, altera vero phyſica, ſeu quaſi phyſica: quia prioritas obiectiua, cum non ſit prioritas per modum influxus veri, ſed ſolum per modum determinationis in genere obiecti (quæ determinatio ex natura ſua non exigit exiſtere rem, quæ determinat; ſed tantum poſſe eſſe obiectiue in intellectu) non opponitur poſte prioritati veræ, & reali per modum phyſici influxus: ideoque poteſt conſenſus, quando abſolute exiſtit, determinare Scientiam Mediam, & tamen Scientia Media influere medio auxilio in conſenſum abſolutum. Ratio huius eſt: quia prioritas per modum determinationis obiectiuæ nihil aliud eſt, quam obiectum poſſe terminare cognitionem Dei, Deumque eſſe à ſe ipſo determinatum ad cognoſcendum omne cognoſcibile. Ex quo infertur hanc

determinationem in nullo alio conſiſtere, præter quam in capacitate obiecti, vt terminet cognitionem. Quod autem obiectum determinet cognitionem, quatenus præciſſe eſt capax vt cognoſcatur, non tollit ipſum cognitionem influere in exiſtentiam obiecti.

37 Duo hic obſeruanda ſunt. Primum: quando de facto exiſtit conſenſus, tunc conſenſum abſolutum non determinare Scientiam Mediam ratione Scientiæ Mediæ duntaxat: quando quidem per accidens eſt Scientiæ Mediæ indigere conſenſu abſoluto: quia eatenus indiget illo, quatenus purificatur conditio ſi enim non purificaretur, illo non indigeret. Qua propter non eſt eſſentiale Scientiæ Mediæ determinari à conſenſu abſoluto: potuit enim ab illo non determinari, in caſu, videlicet, non purificationis conditionis.

38 Secundo obſeruandum eſt Scientiam viſionis ex eo non poſſe influere immediate in obiectum aut conſtituere ſignum libertatis, non præciſſe quia determinatur ab obiecto; ſed quia cōnectitur intrinſece, & eſſentialiter cum obiecto, & nihil connexum cum vno extremo libertatis, poteſt immediate in illud influere, aut libertatis ingredi ſignum, abſque ipſius libertatis diſpendio. Cum autem Scientia Media non connectatur, ſecundum ſe accepta, cum vno potius, quam cum altero extremo, non eſt cur non poſſit ad conſenſum deſeruire.

39 Ob. 4. Si Scientia Media ſit neceſſario requiſita ad prouidam largitionem auxilij, Scientia Media de conſenſu ſub auxilio A erit eſſentialiter requiſita ad prouidentiam, qua Deus confert auxilium A prædeſtinato ad gloriam. Sed ſi hoc ita ſit, corruit obiectum Scientiæ Mediæ. Ergo non eſt ſimpliciter requiſita. Maior eſt certa: quia ſi aliqua Scientia Media debet exiſtere in illo caſu, ea debet eſſe, quæ eſt componibilis cum illo caſu. Sed cum caſu Prædeſtinationis per auxilium A. ſolum eſt componibilis Scientia de conſenſu ſub eo auxilio. Ergo neceſſario debet ea eſſe in illo caſu. Minor ſuperioris ſyllogiſmi, nempe, quod ſi Scientia Media de conſenſu ſub auxilio A ſit neceſſario requiſita ad prouidam largitionem auxilij A homini prædeſtinato per tale auxilium, corruat obiectum Scientiæ Mediæ, probatur. Si Scientia Media prædicta ſit eſſentialiter prærequiſita in tali caſu, non erit ſolum ex parte hypotheſis exiſtentia auxilij, verum etiam Scientia Media de conſenſu

ſub conditione auxilij. Sed ſi hæc Scientia Media ſit in hypotheſi, deficit obiectum Scientiæ Mediæ. Ergo ſi Scientia Media ſit requiſita, deficit obiectum Scientiæ Mediæ. Minor videtur certa: quia ſi Scientia Media ingrediatur hypotheſim, non erit Scientia Media; ſed neceſſaria: nam hæc conditionalis *Si exiſtat auxilium A cum Scientia Media de conſenſu ſub auxilio A, exiſtet conſenſus* non eſt conditionalis de obiecto contingente; ſed de obiecto neceſſario, cum aggregatum ex auxilio, & Scientia Media de conſenſu ſub conditione talis auxilij eſſentialiter connectatur cum conſenſu.

40 Quod vero ſi Scientia Media de conſenſu ſit eſſentialiter requiſita ad collationem auxilij factam prædeſtinato, debeat ingredi hypotheſim Scientiæ Mediæ, probatur. Quando Deus, vt prædeſtinet Petrum, cognoſcit in hypotheſi exiſtentiam auxilij, debet eam cognoſcere, vt poſſitam modo poſsibili pro tali caſu. Sed in eo caſu ſolum eſt poſſibilis exiſtentia auxilij prælucente Scientia Media de conſenſu. Ergo debet in hypotheſi cognoſci exiſtentia auxilij, vt coniuncta cum Scientia Media de conſenſu.

41 Pro reſponſione noto diſtinguendam eſſe duplicem prouidentiam. Alia eſt, quæ requiritur præciſſe, vt exiſtat auxilium: alia quæ requiritur, vt exiſtat auxilium in caſu conſenſus. Vt præciſſe exiſtat auxilium non requiritur determinate Scientia Media conſenſus, potius quam diſſenſus: quia auxilium cum qualibet ex illis ſcientijs coniungibile eſt. At vero prouidentia, quæ requiritur, vt exiſtat auxilium in caſu conſenſus, inuoluit Scientiam Mediam de conſenſu: quia Sciētia Media de diſſenſu eſt inconiungibilis cum auxilio, vt exiſtenti in caſu conſenſus.

42 Ex his duabus prouidentijs neutra ſe debet tenere ex parte hypotheſis in Scientia illa conditionata; ſed ſolum neceſsitas prouidentiæ requiſitæ, vt præciſſe exiſtat auxilium. Cumque, vt præciſſe exiſtat auxilium, ſolum ſit neceſsitas huius, vel illius Scientiæ Mediæ; nō vero hæc, vel illa Scientia determinate: ideo ex parte hypotheſis ſolum ſe tenet neceſsita huius, vel illius Scientiæ; non vero hæc, vel illa Sciētia determinate. Minor, quæ ſubſu nitur in hoc diſcurſu, probatur: quia ex parte hypotheſis ſolū debet cognoſci auxiliū ſecundum ſua intrinſeca: cumque ſolum ſit illi intrinſeca neceſsitas huius, vel illius Scientiæ; non ve-

ro illius determinate, quæ de facto erit, quando exiſtat conſenſus: ideo ſolum illa neceſsitas vaga debet cognoſci, non vero hæc, vel illa Scientia determinate. Quo fit vt cognoſcatur exiſtentia auxilij, vt poſita modo poſsibili: non ſecundum omnia, quæ dicit modus exiſtendi poſsibilis in caſu conſenſus; ſed ſecundum id, quod dicit intrinſecum auxilio. A reliquis vero auxilio extrinſecis, quæ involuuntur in modo exiſtendi auxilium in caſu cõſenſus, præſcinditur omnino ex parte hypotheſis.

43 Hinc ad argumentum in forma reſpondeo diſtinguẽdo illam maiorem: *Deus debet cognoſcere in hypotheſi auxilium vt exiſtens modo poſsibili pro caſu conſenſus*: ſecundum intrinſecum auxilij, concedo: ſecundum intrinſecum, & extrinſecum, nego maiorem: & diſtinguo minorem. Sed modus poſsibilis intrinſecus auxilio exiſtendi auxilium in caſu conſenſus inuoluit Scientiam Mediam conſenſus, nego: modus extrinſecus, à quo præſcinditur in hypotheſi, concedo minorem: & nego conſequentiam.

44 Sed inſtabis. Quidquid requiritur abſolute ad ſtatũ abſolutum auxilij pro caſu conſenſus, requiritur conditionate ad ſtatum conditionatum. At in ſtatu abſoluto auxilij, pro caſu conſenſus, requiritur per nos Scientia Media vt abſolute exiſtens. Ergo ad ſtatum conditionatum auxilij, pro caſu conſenſus, requiretur etiam Scientia Media de conſenſu vt abſolute exiſtens.

45 Omiſsis alijs ſolutionibus, quæ mihi non omnino expeditæ videntur, reſpondeo, aliud eſſe loqui de ſtatu conditionato, & abſoluto realiter, & à parte rei: aliud loqui de ipſis, vt intentionaliter exiſtentibus, ſiue vt cognitis à nobis, terminantibuſque noſtras propoſitiones. Ita ſtatus abſolutus realis à parte rei actionis intrinſece connexæ cum agenti, nequit eſſe realiter abſque eo, quod exiſtat realiter agens. At vero in ſtatu abſoluto mentali iudicatiuo bene poteſt exiſtere actio, quin exiſtat agens: optime enim poteſt affirmari exiſtentia actionis, quin affirmetur exiſtentia agentis, à cuius exiſtentia realiter dependet: non enim duntaxat eſt vera hæc propoſitio *Actio, & agens exiſtunt*; verum etiam hæc *Actio exiſtit*: in qua ſubiectum affirmationis ſolum eſt actio; non vero agens, à quo dependet eſſentialiter actio.

46 Clarius id cernitur in ſtatu conditionato: quia re vera, & à parte rei, ſi exiſtentia conſenſus ſub auxilio A requirat Scientiam Mediam, etiamſi exiſteret conſenſus ſub auxilio A requi-

requireret eandem Scientiam · quia quidquid requirit eſſentialiter aliquid quod exiſtés eſt, requireret id ipſum, ſi exiſteret. Et hoc eſt requiri conditionate realiter ad ſtatum conditionatum quidquid requiritur abſolute ad ſtatum abſolutum. At vero mentaliter bene poteſt affirmari conditionatē exiſtentia conſenſus, quin eodem modo affirmetur exiſtentia requiſitorum eſſentialium; quia non ſolum eſt vera hæc propoſitio *ſi daretur talis hypotheſis, daretur conſenſus, & omne requiſitum ad cōſenſum*; verumetiam hæc *ſi exiſteret talis hypotheſis, exiſteret conſenſus.*

47 Præterea demus ab eiſdem cauſis dependere conſenſum conditionatum in ſtatu conditionato mentali, à quibus dependet abſolute realiter. Cæterum neceſſe non eſt, quod hæc cauſæ ſe teneant ex parte hypotheſis; ſed ſufficit quod ſe teneant ex parte ipſius conditionati, vt cauſantes conditionatum. V.g. eo ipſo, quod conſenſus abſolutus ſub auxilio A, dependeat eſſentialiter à Scientia Media, ſolum infertur (etiam maiori admiſſa) quod eo ipſo, quod affirmem, quod ſi exiſtat auxilium, exiſtet conſenſus, ſimiliter affirmare teneor exiturum conſenſum dependenter à Scientia Media; non vero quod Scientia Media, aut aliæ cauſæ, debeant poni ex parte hypotheſis.

48 . Quapropter ad inſtantiam in forma reſpondeo diſtinguendo maiorem: Ab eiſdem cauſis, à quibus dependet neceſſario conſenſus abſolutus abſolute, ab eiſdem dependet conſenſus conditionatus conditionate: realiter, & à parte rei, concedo: mentaliter: ſub diſtinguo: ab eiſdem dependet, tenentibus ſe neceſſario ex parte hypotheſis, nego: tenentibus ſe ex parte conditionati, tranſeat. Et conceſſa minori, diſtinguendum eſt primum conſequens iuxta diſtinctionem maioris: deindeque neganda eſt vltima conſequentia: videlicet, debere cognoſci Scientiam Mediam ex parte hypotheſis.

49 Ob. 6. Si Deus dirigeretur ex Scientia Media conſenſus ad conferendum auxilium, poſſet eſſe verum Deum non collaturum auxilium, ſi præuideret inefficax. Tunc ſic. In hoc caſu nequit homo diſſentire. Ergo in hoc caſu non conſentit libere. Conſequentia eſt bona. Antecedens probatur. Non poteſt homo in hoc caſu diſſentire, niſi impediendo exiſtentiam auxilij, & libertatis. Sed nequit homo per diſſenſum impedire auxilium, & libertatem. Ergo nequit homo in prædicto caſu diſſentire. Conſequentia eſt bona, & minor certa: nullus enim habet libertatem ad ipſam libertatem impediendam. Maior autem probatur. Quando eſt verum

rum quod, ſi prævideatur diſſenſus, deficiet libertas, qui poteſt facere quod prævideatur diſſenſus, poteſt perinde facere, quod deficiat libertas. Ergo, ſi ſimul eſt verum non fore libertatem, ſi prævideatur diſſenſus, & etiam hominem poſſe facere quod prævideatur diſſenſus, homo poterit præſtare, ne exiſtat libertas. Ergo nequit homo in prædicto caſu diſſentire, niſi impediendo exiſtentiam auxilij, & libertatis.

50 Reſpondeo hanc veritatem *Non exiſtet auxilium, ſi prævideatur inefficax* eſſe impedibilem per diſſenſum liberum: qui enim poteſt facere, quod verum ſit *exiſtit auxilium præviſſum inefficax* poteſt ſimiliter facere, ne ſit verum non exiturum, ſi præui deretur inefficax. Ex quo iterum fit poteſtatem, quam homo habet ad diſſentiendum, eſſe ſimiliter poteſtatem ad impediendam illam veritatem. Cum ergo, quando diſſentitur, huiuſmodi veritas deficiat, non eſt, vnde inferatur, tunc non exiſtere libertatem: ſiquidem defectus libertatis infertur ex exiſtentia diſſenſus, & veritate illa conditionali. Poſſe ergo diſſentire non erit poſſe impedire libertatem; ſed poſſe impedire veritatem conditionalem: quæ ſi exiſteret ſimul cum diſſenſu, inferret defectum libertatis.

51 Vnde ad argumentum in forma. Suppoſito caſu, nego primum antecedens. Ad huius probationem nego maiorem. Ad probationem huius, diſtinguo antecedens. Quando datur illa veritas conditionalis, qui poteſt ponere diſſenſum in ſenſu compoſito illius veritatis, poteſt impedire libertatem, tranſeat. Qui, quãdo datur illa veritas, poteſt ponere diſſenſum, in ſenſu diuiſo illius veritatis, & illam impediendo, poteſt impedire libertatem, nego antecedens. Et deinde nego conſequentiam.

52 Sed inſtabis. Hæc veritas *Non exiſtet auxilium, ſi prævideatur inefficax* nequit impediri à libertate humana, niſi determinando oppoſitam, nimirum, *Exiſtet auxilium ſi prævideatur inefficax.* At hæc veritas nequit determinari à libertate humana. Ergo neque illa poteſt impediri. Minor probatur. Determinare hanc veritatem eſt præciſſe determinare exiſtentiam auxilij, cuius exiſtentiæ determinatio ſub humana libertate non cadit. Ergo libertas creata nequit determinare hanc veritatem. *Exiſtet auxilium ſi prævideatur inefficax.* Antecedens probatur. Ille ſolum determinat veritatem conditionatam, ſub cuius poteſtate cadit conditionatũ. Ergo illa libertas determinabit hanc veritatẽ conditionalẽ *exiſtet auxiliũ, ſi prævideatur inefficax*, quæ determinat exiſtentiã auxilij, quæ exiſtentia eſt conditionatũ ſub hypotheſi præuiſionis inefficaciæ.

53 Reſ-

53 Reſpondeo hanc veritatem *ſi exiſtat Scientia inefficacia auxilij, exiſtet auxilium* identificari, in caſu exiſtentiæ abſolutæ, cu n aggregato exiſtentiæ auxilij, & Scientiæ inefficaciæ: deinde hoc aggregatum determinari, tum à determinante auxilium, tũ à determinante ſcientiam inefficaciæ auxilij. Ratio eſt: quia ille determinat aggregatum ex duplici parte, qui, exiſtente vna, determinat aliam pro poſteriori. Ergo ille determinabit aggregatũ ex auxilio, & Sciẽtia, qui exiſtente pro priori vna ex his partibus, determinat aliam pro poſteriori. Sed qui determinat exiſtentiam auxilij (nempe Deus) ſuppoſita ſcientia inefficaciæ pro priori libertatis, determinat pro poſteriori aliã partẽ, hoc eſt auxilium: & qui determinat Scientiam (videlicet creatura) ſuppoſito auxilio in genere efficientis, determinat pro poſteriori in genere obiectiuo aliam partem, nempe Scientiam. Ergo tam qui determinat Sciẽtiã, quã qui determinat auxilium, determinat exiſtentiam illius aggregati. Cumque in illo aggregato conſiſtat, in illo caſu, veritas illa conditionata: ideo illa veritas *Exiſtet auxilium, ſi prævideatur inefficax*, non ſolum determinatur à Deo ponente auxilium; verum etiam à creatura determinante Scientiam.

54 Hinc ad argumentum in forma: conceſſa maiori, nego minorẽ. Ad probationẽ huius: nego antecedens. Ad huius probationẽ: diſtinguo maiorẽ: ille ſolũ determinat veritatẽ conditionatam, qui determinat conditionatum: quando veritas conſiſtit in coexiſtentia vtriuſque extremi (nempe hypotheſis, & conditionati) & quodlibet ex his extremis conſtituit ſignum indifferentiæ ad aliud, nego: in alijs caſibus omitto.

55 Reſtant duo argumenta reliquis difficiliora. Primũ deſumitur ab eo, quod, ſi Deus poſſet moueri ex Scientia Media, v.g. ex Scientia Media efficaciæ, Deus poſſet conferre auxiliũ per decretum intrinſece connexum cum conſenſu. Ex quo videtur inferri in illo caſu hominem non poſſe diſſentire: quia vt homo intelligatur poſitiue potens diſſentire, debet intelligi eius poteſtas exiſtens modo componibili cum diſſenſu. Sed auxilium, vt exiſtens per decretũ intrinſece cõnexũ cũ conſenſu, nõ exiſtit modo cõponibili cũ diſſenſu. Ergo nõ intelligitur homo poſitiue potẽs diſſẽtire.

56 Vt huic argumento occurrat P. Gaſpar de Ribadeneira, aſſerit auxilia ſemper debere conferri per decretum indifferens ad conſenſum, & diſſenſum. Vnde, ſi Deus moueatur ex Scientia efficaciæ ad conferendũ auxilium, habebit, iuxta hunc authorẽ, circa auxiliũ duplex ſimul decretũ: aliud indifferẽs, & libertatis cõſti-

Digitized by Google

tutiuũ: aliud eſſentialiter directũ ex ſciẽtia efficaciæ, & intrinſecè connexum cum conſenſu, & toti libertati ſuperadditum. Cæterum nos, cum pluribus Societatis authoribus, arbitramur hoc decretũ indifferens, ad iura libertatis illæſa ſeruanda, neceſſarium non eſſe. Quapropter hac ratione vim argumenti declinare non poſſumus.

57 Aliud argumentum, & apud me longe difficilius, oritur ex eo, quod, ſi Scientia Media ſit neceſſario in ſigno libertatis diuinæ ad conferendum auxilium, Deus ante collationem auxilij inefficacis habebit Scientiam inefficaciæ in ſigno apto, vt ex vi illius retrahatur à collatione auxilij inefficacis. Ex quo videtur inferri Deum, neque eſſe beneficum in collatione talis auxilij, neque conſenſum ſerio procurare, contra id, quod communiter Theologi tenent, & præſertim authores Societatis. Difficultas ſtatim ſe prodit: non enim facile apparet, qua ratione Deus reprobo benefaciat conferendo auxilium, cum quo præuidet fore damnandum: nec videtur Deus ſerio, & ex animo intendere conſenſum, quando apponit medium, quod fruſtrandum videt, potens facile aliud ponere, cum quo conſenſum obtineat. Hæc duo argumenta adeo grauia ſunt, vt quodlibet ex illis iuſtam quæſtionem expoſcat: & ideo eas ſubijciam, poſtquam prioritatem Scientiæ Mediæ oſtendam titulo prædictæ directionis.

SECT. V.

Vtrum Scientia Media eo ipſo, quod dirigat modo explicato, præcedat natura ad auxiliorum collationem?

58 SI ſemel ſupponatur actum liberum eſſe intrinſece, & eſſentialiter liberum ea libertate, quam de facto habet; actus liber Dei, quo vult auxilium, præuidens fore efficax, eſſentialiter connectetur cum prædicta ſcientia, conſequenterque dependebit à Deo, vt prædicta ſcientia inſtructo: ex indeque fiet eam ſcientiam, ſaltem vt conditionem, ſe tenere in priori ad huiuſmodi decretum. Quapropter omnia argumenta, quæ directe probant actus eſſe intrinſece liberos, etiam probant. Scientiam Mediam conſtituentem libertatem diuinam ad huiuſmodi decretum, neceſſario pro priori naturæ ea decreta præcedere.

59 Cæterum, independenter ab his argumentis, alia ſunt,

ſunt, quæ immediatè conuincunt Scientiam Mediam debere præcedere decretum de collatione auxiliorum. Si autem prioritas naturæ neceſſario inferat intrinſecam actuum libertatem, ſimul probabunt actus eſſe intrinſece liberos: non ita, vt intrinſeca libertas accipiatur vt medium ad naturæ prioritatem; ſed potius, ècontra, prioritas naturæ immediate noſtris argumentis probata medium ſit ad intrinſecam libertatem conuincendam. In hac ergo ſectione directe, & immediate oſtendam Scientiam Mediam debere præcedere collationem auxiliorum: conaborque hanc præcedentiam neceſſariam explicare, adhuc in ſententia conſtituente actus extrinſece liberos.

60 Argumentor igitur primo. Scientia Media, vel eſt cognitio alliciens ad collationem auxilij, vel retrahens ab ipſius auxilij collatione. Sed tam cognitio alliciens, quam cognitio retrahens, debent præcedere prioritate naturæ collationem auxilij. Ergo Scientia Media debet præcedere. Conſequentia eſt bona, & maior certa ex præcedentibus, quibus oſtendi Scientiam Mediam neceſſario dirigere ad collationem auxiliorum, quatenus neceſſario habet eſſe in ſigno apto, vt Deus ex illa moueatur ad dandum, vel negandum auxilium. Minor, quoad partem cognitionis retrahentis, in qua eſt potiſsima difficultas, probatur. Cognitio retrahens non conſequitur, neque pure comitatur exercitium liberum. Ergo antecedit illud. Conſequentia eſt bona: & prima pars antecedentis certa. Secunda probatur: videlicet cognitionem retrahentem ab aliquo exercitio libero non pure comitari prædictum exercitium liberum.

61 Si cognitio retrahens pure comitanter ſe haberet, peræque Deus, & creatura ad peccati exiſtentiam determinarent. Ergo æque Deus eſſet author peccati. Quod eſt abſurdum. Antecedens probatur. Exiſtentibus omnibus conſtitutiuis alicuius totius, præter duo, nempe A, & B æque comitanter ſe habentia, non magis determinat illud totum, qui determinat A, quam qui determinat B. Sed exiſtentibus omnibus conſtitutiuis peccati, (videlicet cognitione alliciente, præparatione concurſus, &c.) præter cognitionem retrahentem, & actum omnino comitanter ſe habentes, Deus determinat cognitionem retrahentem, & creatura determinat actum. Ergo æque Deus, & creatura, determinant peccatum. Conſequentia eſt bona, & minor eſt ipſa doctrina, quam impugnamus. Maior autem videtur euidens. Intellectis enim duabus vnitatibus, ſi Petrus ponat tertiam, & Paulus quartam omnino

comi-

comitanter, non magis Petrus, quam Paulus, determinabunt illum numerum quaternarium.

62 Confirmatur vlterius. Sicut creatura cognitione alliciente, & retrahente conſtituitur indifferens ad actum, obidque peccat quando pro ſuo libito ſe determinat ad id, quod, vltra hãc indifferentiam, addit *actualiter peccare*: ita Deus videns exiſtentiã cognitionis in Petro allicientis ad peccatum, & exiſtentiam ipſius actus, poteſt pro ſuo libito ſe determinare ad ponendam cognitionem retrahentem, quæ deeſt ad exiſtentiam peccati. Ergo determinabit exiſtentiam peccati. Antecedens probatur. Cognitio exiſtentiæ actus poteſt in Deo eſſe cognitio retrahens Deum à collatione cognitionis retrahentis Petrum. Ergo Deus per cognitionem exiſtentiæ actus Petri poteſt conſtitui indifferens ad conferendam Petro cognitionem retrahentem.

63 Itaque Petrus comitanter habet, & actum, & cognitionem retrahentem ab actu. Quamvis ergo Scientia cognitionis nequeat Deum conſtituere liberum ad conferendam hanc cognitionem, quando quidem per Scientiam viſionis de obiecto non cõſtituitur Deus liber reſpectu eius obiecti; cognitio tamen exiſtentiæ actus Petri non dependentis à cognitione retrahente, poteſt Deum conſtituere liberum ad conferendam cognitionem retrahẽtem: quia cognitio vnius extremi poteſt conſtituere libertatem ad ponendum aliud extremum comitanter ſe habens cum primo. Ergo Deus ad ponendam cognitionem retrahentem Petrum poteſt liber conſtitui per cognitionem de exiſtentia actus eliciti à Petro; ita tamen, vt hæc ſcientia de exiſtentia actus non præcedat ad poſitionem cognitionis retrahentis Petrum; ſed ſolum comitanter ſe habeat: quia reſpectu Dei eſt cognitio retrahens; non alliciens ad conferendam Petro cognitionem retrahentem.

64 Argumentor 2. Deus confert auxilium inefficax voluntarie voluntarietate permiſſiua inefficaciæ: ſiquidem Deus voluntarie permittit peccatum. Sed non poteſt inefficacia eſſe Deo voluntaria permiſſiue, niſi cognitio inefficaciæ præcedat pro priori naturæ. Ergo ad collationem auxilij inefficacis præcedit in Deo Scientia Media de inefficacia auxilij. Minor probatur. Sicut nihil volitum, quin præcognitum, ita nihil poteſt eſſe voluntarium, quin præcognoſcatur. Probatur iterum vrgentius. Niſi præcedat hæc cognitio, non poteſt Deo eſſe voluntaria inefficacia auxilij voluntarietate permiſſiua. Ergo præcedit. Probatur antecedens. Si neque præcedat hæc cognitio, neque

comi-

Digitized by Google

comitetur inefficaciam auxilij, non reddet voluntariam ineffi-caciam. Sed, ſi non præcedat, neque præcedet, neque comitabitur. Ergo neque reddet voluntariam inefficaciam. Conſequentia eſt bona, & maior certa apud omnes: cognitio enim pure conſequens obiectum (videlicet, quæ aduenit poſtquam poſitum eſt obie-ctum) non ſufficit ad voluntarietatem, vt patet in mittente ſagit-tam, qui, ſi ſolum, poſtquam illam emiſit, cognoſcat eſſe hominem id, in quod miſit ſagittam, non dicitur voluntarius homicida, ſiue voluntarie occidere hominem. Ergo notitia, quæ, neque antece-dit, neque comitatur actionem, nequit ipſam reddere volunta-riam.

65 Iam vero minor illa, videlicet, quod, ſi Scientia inef-ficaciæ auxilij non antecedat, neque adhuc comitabitur, proba-tur. Illa Scientia conſequitur inefficaciam auxilij. Ergo non co-mitatur ipſam inefficaciam. Antecedens eſt iuxta principia Scho-læ Societatis communiora, iuxta quæ indubitatum eſt Scientiam Mediam de aliquo euentu determinari ab ipſo euentu, caſu, quo purificetur hypotheſis. Ex quo fit ideo Deum videre Iudam diſ-ſenſurum, ſi illi conferatur auxilium A, quia, poſito auxilio A, re-re vera diſſentiet Iudas. Conſequentia vero, nempe exinde infer-ri huiuſmodi Scientiam Mediam non comitari inefficaciam auxi-lij, videtur certum: eſſe enim in ſigno comitanti dicit non eſſe in ſigno priori, aut poſteriori. Si ergo Scientia conſequitur in-efficaciam auxilij, eam comitari impoſsibile, & chimæricum erit.

66 Probatur 3. Tota libertas exiſtit pro priori ad quodlibet extremum libertatis, quod de facto ponatur. Sed Deus conſtituitur de facto liber ad collationem auxilij inefficacis per cognitionem inefficaciæ. Ergo cognitio inefficaciæ exiſtit pro priori ad collationem auxilij inefficacis. Conſequentia eſt bo-na, & minor certa. Maior probatur. Poteſtas libera ponendi A, v. g. perfectior eſt, cæteris paribus, in ratione poteſtatis, poteſta-te neceſſaria ponendi idem extremum A. Ergo poteſtas libera ponendi extremum A, conſtituta per cognitionem allicientem ad extremum A, & cognitionem retrahentem ab ipſo, perfe-ctior eſt, in ratione poteſtatis, poteſtate ponendi extremum A conſtituta per cognitionem allicientem, & carentiam cognitio-nis retrahentis, ſiquidem hæc poteſtas eſt poteſtas neceſſaria, & al-tera eſt poteſtas libera.

67 Tunc ſic. Ergo tota libertas præcedit prioritate

natu-

naturæ ad extremum A. Probo hanc conſequentiam. Totum id, quod ſe tenet hic, & nunc, ex parte poteſtatis ad A, præcedit prioritate naturæ hic, & nunc, ad A. Sed tota libertas ſe tenet ex parte poteſtatis hic, & nunc, ad extremū A. Ergo tota libertas præcedit hic, & nūc, pro priori ad extremū A. Minor probatur ex dictis hoc ſyllogiſmo. Quidquid perficit poteſtatem ad extremum A, in eſſe poteſtatis ad A, ſeu conſtituit illam in eſſe perfectioris poteſtatis ad A, ſe tenet ex parte poteſtatis ad A. Sed tota libertas cōſtituit poteſtatem ad A, perfectiorem in eſſe poteſtatis ad A. Ergo tota libertas ſe tenet ex parte poteſtatis ad A.

68 Probatur 4. In humanis cognitio retrahens à poſitione extremi A, conſtituit veram poteſtatem ponendi extremum A. Ergo etiam in diuinis. Antecedens, in quo eſt difficultas, probatur. In Petro, v.g. præſcindendo à cognitione retrahente, nulla eſt vera poteſtas, etiam intellectis omnibus alijs, quæ de facto habet. Ergo cognitio retrahens conſtituit de facto poteſtatem ad conſenſum. Antecedens probatur. Præſcindendo ab huiuſmodi cognitione retrahente (non præciſione abſtractionis inter prædicata realiter identificata; ſed præciſione inter realiter diſtincta, nempe cognitionem allicientem ex vna parte; & cognitionem retrahentem, eiuſque carentiam ex alia) Petrus non habet poteſtatem liberam, ſiquidem non intelligitur cognitio retrahens. Deinde neque habet poteſtatem neceſſariam, quando quidem non intelligitur defectus cognitionis retrahentis. Ergo in illa præciſione nullam habet poteſtatem. Conſequentia eſt bona: nulla eſt enim à parte rei vera, & realis poteſtas, quæ præciſione realis diſtinctionis, à poteſtate libera, & neceſſaria præſcindens ſit: alioqui realiter eſſent tres potentiæ ad conſenſum: alia neceſſaria inuoluens excluſionem cognitionis retrahentis: alia libera eam cognitionem includens: & alia realiter neque libera, neque neceſſaria, præſcindēs præciſione realis diſtinctionis, à cognitione retrahente, & eius defectu, quod hucuſque nemo dixit, quem ego legerim.

69 Confirmatur. Non intelligitur poteſtas in Petro ad extremum A, niſi intelligatur omnipotentia ſufficienter applicata. Sed præſcindendo à cognitione retrahente, non intelligitur omnipotentia ſufficienter applicata, niſi intelligatur Petrus poſitiue neceſſitatus ad extremum A. Ergo poteſtas dicit disiunctiue, vel cognitionem retrahentem, vel neceſſitatem extremi A. Minor probatur. Non eſt omnipotentia applicata, niſi, vel per decretum omnino abſolutum, & independens ab exercitio libero, vel per de-

cre-

cretum indifferens: quod decretum indifferens non applicat omnipotentiam, niſi pro caſu, quo voluntas poſsit libere ſe determinare. Ergo omnipotentia non applicatur, niſi, vel neceſsitando, vel conſtituendo liberam voluntatem creatam. Ergo omnipotentia non intelligitur ſufficienter applicata, niſi voluntas creata intelligatur, vel poſitiue libera, vel poſitiue neceſsitata.

70 Confirmatur iterum. Omnipotentia diuina eatenus intelligitur indifferenter applicata proxime, quatenus intelligitur, vel determinata à ſe, vel determinabilis à creatura. Sed determinata à ſe conſtituitur per decretum neceſsitans: determinabilis à creatura conſtituitur per ipſam libertatem creaturæ. Ergo non intelligitur omnipotentia ſufficienter proxime applicata, niſi intelligatur, vel decretum neceſsitans, vel poſitiua libertas in creatura.

71 Probatur quinto noſtra concluſio. Conſenſus non impeditur à conſentiente per cognitionem retrahentem à conſenſu, & allicientem ad diſſenſum, cum re vera detur poteſtas in conſentiente, conſtituta per cognitionem retrahentem, ad talem impeditionem. Ergo poteſtas diſſentiendi conſtituta per cognitionem retrahentem ſe exercet in non impediendo conſenſum, cum poſſit: agens enim, quod poteſt operari, & non operatur, ſe exercet in non operando. Ergo non impediri conſenſum dependet à cognitione retrahente permiſsiue. Sed vt aliquid intelligatur prius natura ad aliquod extremum, ſufficit permittere illud. Ergo cognitio retrahens, ſiue poteſtas conſtituta per cognitionem retrahentem, vt ita conſtituta, præcedit ad conſenſum, quatenus ipſum permittens. Aliqua ergo prioritas naturæ datur inter cognitionem retrahentem, & conſenſum.

72 Hac ratione explicatur (per peram aliter) qua ratione conſenſus liber imputetur iure toti libertati. Imputatur enim cognitioni allicienti poſitiue, vt conſenſum ponenti. Cognitioni vero retrahenti negatiue, nimirum, quatenus non impedienti cum poſsit.

73 Probatur vltimo concluſio. Prius aliqua ratione debet intelligi reſiſtentia, quam victoria illius reſiſtentiæ. Sed cognitio retrahens reſiſtit conſenſui. Ergo aliqua ratione debet intelligi prius cognitio retrahens, quam conſenſus. Probatur maior, in qua eſt difficultas. Id quod reſiſtit, in ſigno, in quo vincitur, ſe exercet negatiue cedendo alterius vi, ſiue libere, ſiue ex neceſsitate ſibi cótingenter illata. Sed id, quod cedit, debet intelligi prius,

quam

quam ipſum cedere. Ergo prius debet intelligi reſiſtentia, quam victoria. Probatur Minor. Cedere nihil aliud eſt, quam non operari id, quod, quatenus eſt ex ſe, aliqua ratione poteſt: ſeu ſe exercere vi alterius in non operando, cum quatenus eſt ex ſe habeat aliquam poteſtatem operandi, licet indifferentem. Sed omnis poteſtas aliqua ratione indifferens præſupponitur ad quodlibet ſuum exercitium, etiam negatiuum. Ergo prius debet intelligi id, quod cedit, quam ipſum cedere.

74 Confirmatur. Poteſtas ad aliquod exercitium indifferens aliqua ratione ad illud, vel pro ſequenti ſigno ſe exercet poſitiuè, vel pro ſequenti ſigno non ſe exercet poſitiue: & hoc eſt ſe exercere negatiuè. Sed ad quodlibet exercitium, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum, præcedit illa poteſtas, quæ exercetur. Ergo quælibet poteſtas, aliqua ratione indifferens ad opus, præcedit prioritate naturæ, tum ad opus, tum ad carentiam operis. At id, quod reſiſtit vi ſibi contingenter illatæ, eſt poteſtas aliqua ratione indifferens ad ſuum opus, vel ad eius carentiam. Ergo ad vtrumque præcedit.

SECT. VI.

Explicatur hæc præcedentia.

75 Reſtat modo explicare quo genere præcedentiæ præcedat cognitio retrahens in ſententia conſtituente actus extrinſecè liberos. Et ratio difficultatis eſt: quia in hac ſententia non apparet, qua ratione cognitio retrahens influat in actum, à quo retrahit: & prioritas non adeſt, vbi omnis influxus deeſt.

76 Verum ex vltimis probationibus noſtræ ſententiæ facile deducitur huius præcedentiæ explicatio. Dico ergo, noſtræ probationis Doctrinæ inſiſtendo, hanc prioritatem multipliciter explicari poſſe. Primo aſſerendo eam conſiſtere in influxu quodam negatiuo: videlicet, in eo, quod non impediat, cum impedire poſsit: ideoque dependere affectum à cognitione retrahente, tanquam à non impediente. Et ſicut hoc ſufficiens eſt fundamentum, vt, ſi alia adſint requiſita, tribuatur alicui effectus aliqua ratione imputabiliter, quia potens impedire non impediuit. Ita ſimiliter poteſt non incongrue

grue dici conſenſum aliqua ratione tribui homini; vt cognitione retrahente inſtructo: quia, vt ſic inſtructus, potuit conſenſum impedire, & non impediuit. Si ergo hæc poteſtas in cauſa eſt, vt imputetur conſenſus homini, vt determinanti, ideo eſt, quia ratione huius poteſtatis impeditiuæ aliquomodo eſt opus illius hominis. Qua ratione opus illius non eſſet, ſi tali poteſtate impeditiua careret. Illa ergo poteſtas eſt ratio dependendi aliqua ratione. Ergo eſt ratio influendi. Ergo ratio prioritatis naturæ.

77 Secundo poteſt explicari hæc prioritas ex ſupra dictis: videlicet quia poteſtas libera perfectior eſt in genere poteſtatis poteſtate neceſſaria. Cum autem tota poteſtas ſecundum perfectionem poteſtatis ſupponatur ad effectum, cuius eſt poteſtas: ideo tota libertas ſupponitur ad effectum liberum. Cæterum ſuppoſitio actualis, ſeu influxus illius cauſæ liberæ, vt ita perfectæ, conſtituendus eſt in aggregato ex actione ſupponente cognitionem allicientem, & ex ipſa cognitione retrahente. Quo fiet cognitionem retrahentem ſimul eſſe inadæquatê cauſam vt perfectam, & etiam inadæquatè cauſalitatem. In quo nullam reperio implicationem.

78 Tertio etiam ex ſupra traditis poteſt dici Petrum inſtructum cognitione allicienti compleri in eſſe abſolute, & ſimpliciter potentis conſentire per cognitionem retrahentem. Quoniam cum nulla ſit vera, & realis poteſtas, niſi vel libera, vel neceſſaria, & compleatur in eſſe potentis libere per cognitionem retrahentem: hinc fit per cognitionem retrahentem conſtitui vnicam realem poteſtatem, quæ eſt in illo caſu.

79 Deinde influxus ab hac cauſa libera poteſt explicari ea ratiône, qua explicatus fuit ſupra: nimirum aſſerendo influxum coaleſcere ex actione dependente à cognitione alliciente; & ex ipſa cognitione retrahente, ita vt cognitio retrahens ſimul ſit inadæquatê cauſa, & etiam inadæquatè cauſalitas. Etenim licet amor ſe ipſo dependeat à cognitione alliciente, nihilominus per cognitionem retrahentem conſtituitur ab ipſa cognitione retrahente dependens, vt iam explicatum eſt.

80 Dices 1. cognitio retrahens poſitiuê ex ſe obſtat illi extremo, à quo retrahit. Ergo non conducit ad illud. Reſpôdeo: id ipſũ, quod retrahit ab aliquo extremo, poſſe conducere ad illud; nô conducêtia inclinationis, ſed ſolũ côducêtia tribuêtis poteſtatem. Ipſa enim poteſtas ad vnum extremum poteſt inclinare ad

oppo-

negatiue, mortis Ioannis, & tamen, deficiente Franciſco, eſſet eadem mors. Ergo aliquid, quo deficiente, eſſet extremum, non inutiliter, & per accidẽs ſe habet ad extremum. Etenim pro caſu aſsiſtentiæ Franciſci iuuat permiſsio ab illo dependens.

QVÆST. III.

Vtrum ad libertatem cum auxilio efficaci ſeruandam, neceſſarium ſit quod auxilium per decretum indifferens conferatur.

EX accurato examine huius difficultatis plurima pendent, quæ ad pleniorem Prædeſtinationis, iuxta ſcholæ Societatis doctrinam, diſcuſsionem maximopere neceſſaria ſunt. ideo placuit circa hanc difficultatem integram quæſtionem inſtituere.

SECT. I.

Status quæſtionis, & non nulla præſuppoſita.

1 SVppono 1. Voluntatem debere inſtrui cogitatione alliecienti ad conſenſum, & cognitione ab ipſo conſenſu retrahente: ideoque ex parte cognitionis non eſſe voluntatem potius ad conſenſum, quam ad diſſenſum determinatam, ſed indifferentem ad vtrumlibet, quatenus eſt ex parte auxiliorum: ſimiliterque Deum paratum habere concurſum omnipotentiæ, voluntatemque carere principio immediate influxiue determinante: proindeque voluntatem habere omnia principia immediate influxiua in conſenſum, & diſſenſum, nullumque habere principium immediate influxiuum in vnam contradictionis partem, quod ſit cum illa determinate connexum.

2 Hoc ſuppoſito inquiritur. Vtrum decretum collatiuum auxilij debeat neceſſario eſſe indifferens, ne libertatem euertat; vel potius poſſit eſſe connexum cum aliquo ex extremis libertatis, quin ex eo defectus libertatis arguatur. Si requi-

ratur decretum indifferens, non ſaluabitur libertas ſine illo. Quare libertas non ſolum includet, quæ ſupra commemorauimus, ſed vlterius addet quod auxilia ſint collata per decretum componibile cum quolibet ex extremis libertatis. Si vero huiuſmodi decretum ad libertatem non neceſſario requiratur, eſſentia libertatis ab huiuſmodi decreto præſcindens erit.

3 Suppono 2. hic non inquiri vtrum decretum collatiuum auxiliorum connexum, v.g. cum conſenſu tollat libertatem? Sed an carentia decreti indifferentis libertatem euertat? Hoc eſt: an exiſtente vnice, & ſolitarie decreto auxiliorum connexo cum conſenſu, auferatur libertas: non præciſſe quia exiſtit decretum connexum, ſed quia non exiſtit decretum indifferens. Quod eſt idem, ac quærere: vtrum decretum indifferens ſit vnum ex conſtitutiuis libertatis?

4 Suppono 3. eſſe de ratione libertatis, quod nihil detur connexum cum vno extremo v.g. cum conſenſu, quod non ſit impedibile à voluntate per diſſenſum: alioqui eſſet in mea poteſtate id, cuius contradictorium eſſet mihi ineuitabiliter neceſſarium. Quod principium non diſputandum, ſed ſupponendum modo eſt. Si enim hoc principium non ſupponatur, fere non dabitur locus prædictæ quæſtioni: quæ præſertim inquirit: An decretum collatiuum auxiliorum connexum cum conſenſu ſit impedibile à voluntate per diſſenſum? Si enim ita ſit, proculdubio libertatis iura ſeruabit. Si vero in impedibile adſtruatur, minime cum libertate cohærebit.

5 Suppono 4. huiuſmodi decretum, quantumvis cum conſenſu connexum, nullo modo eſſe immediate in conſenſum influxiuum, ſed tantum influere mediate, quatenus ponit auxilia efficacia, licet ex modo tendendi intrinſece connectatur cum conſenſu: ſiue quia mouetur ex efficacia præuiſa, ſiue quia intrinſece ex alio capite connectatur cum efficaciæ præuiſione. His ſuppoſitis.

6 Prima ſententia aſſerit requiri ad libertatem quod decretum collatiuum auxiliorum indifferens ſit. Cumque ex alio capite non duo decreta, ſed vnicum duntaxat decretum circa auxilia apprehendant, facile inferunt non poſſe cum libertate componi decretum collatiuum auxiliorum, quod intrinſece moueatur ex efficacia auxilij, aut intrinſece, ſiue cum efficacia, ſiue cum inefficacia eiuſdem auxilij, quouis modo connectatur, ſed debere huiuſmodi decretum eſſe omnino indifferens ad conſenſum, & diſſen-

ſum;

ſum. Hanc ſententiam tenet P. Herize de Prædeſt. diſp. 7. cap. 5. Tenentque quotquot ex noſtris negant prædefinitiones efficaces, ratione connexionis cum extremo prædefinito: necnon qui negãt Scientiam Mediam dirigere ad collationem auxiliorum.

7 Secunda ſententia conuenit cum prima quatenus aſſerit requiri ad libertatem quod auxilia conferantur per decretum indifferens ad conſenſum, & diſſenſum. Vt tamen cum hac doctrina componat poſſe Deum decernere auxilium efficax, vt efficax; necnon poſſe Deum noſtros actus liberos prædefinire efficaciter, duo decreta in collatione auxiliorum meditatur. Aliud indifferẽs libertatis conſtitutiuum: aliud connexum (impedibile tamen per diſſenſum ortum ab auxilio, vt collato per decretum indifferens) quo Deus ſpeciali beneuolentia poteſt auxilia, vt efficacia conferre. Ita P. Ribadeneira tota diſp. 2. de Prædeſtinatione.

8 Tertia ſententia tenet non eſſe de ratione libertatis, quod conferantur auxilia per decretum indifferens, ſed poſſe libertatem ſeruari, licet decretum collatiuum auxiliorum connexũ ſit, ratione Scientiæ Mediæ, cum conſenſu v.g. & licet hoc decretum connexum cum conſenſu, ita vnice exiſtat, vt non detur aliud decretum indifferens. Ita P. Quiros diſp. 7. de Prædeſtinat. & etiã authores omnes Societatis, qui abſque mentione alterius decreti indifferentis præcedentiam Scientiæ Mediæ neceſſariam arbitrantur.

SECT. II.

Hæc vltima ſententia propugnatur.

9 SIt noſtra concluſio. Decretum vnice exiſtens collatiuum auxilij indifferentis non tollit libertatem, quamvis cum vno ex extremis eſſentialiter connectatur, v.g. cum conſenſu. Probatur primo hæc cõcluſio. Saluatur libertas abſque decreto indifferenti collatiuo auxiliorum. Ergo decretum connexum vnice exiſtens non tollit libertatem. Conſequentia eſt bona; Antecedens probatur. Tota eſſentia libertatis ſaluatur in exiſtentia principiorum, quæ vt immediate influxiua in conſenſum, & diſſenſum, requiruntur, & in carentia principij influentis immediate in vnum ex extremis, quod principium non ſit indifferens ad vtrumlibet. Sed totum hoc componitur cum carentia decreti indifferentis collatiui auxiliorum. Ergo tota

libertas ſaluatur abſque decreto indifferenti collatiuo auxiliorum. Conſequentia eſt legitima. Probo minorem, poſtea maiorem probaturus.

10 Decretum indifferens non requiritur vt principium immediate influens in conſenſum, & diſſenſum, vt eſt certum. Deinde neque requiritur vt excludens aliquod immediate influens, & connexum determinate cum aliquo ex extremis. Ergo abſque decreto indifferenti ſaluantur omnia principia immediata neceſſaria, & etiam carentia cuiuslibet principij immediati, & connexi cum aliquo ex extremis. Secunda pars minoris probatur. Carentia decreti indifferentis ad diſſenſum, exiſtente decreto connexo cum conſenſu, non influit immediate in conſenſum poſitiue, vt ex ſe patet. Deinde non influit negatiue. Ergo nullo modo influit immediate. Ergo decretum excludens hanc carentiam non excludit aliquid immediate influens in diſſenſum, ſiue poſitiue, ſiue negatiue. Quod vero carentia decreti indifferentis non influat immediate negatiue, probatur. Influere immediate negatiue in conſenſum eſt tollere aliquod principium requiſitum, vt influens immediate in diſſenſum. Sed decretum indifferens ad diſſenſum non influit immediate in diſſenſum, ſed ſolum medio auxilio. Ergo carentia huius decreti non tollit aliquod principium requiſitum, vt influens immediate in diſſenſum. Ergo prædicta carentia non influit immediate negatiue in conſenſum.

11 Iam vero maior illa, nempe. *Tota eſſentia libertatis ſaluatur in exiſtentia principiorum, quæ requiruntur vt immediatè influxiua in conſenſum, & diſſenſum, & in carentia principij immediatè influentis, & connexi.* Probatur non difficile. Tota eſſentia libertatis ſaluatur in poteſtate proxima ad vtrumlibet. Sed poteſtas proxima ad vtrumlibet ſolum dicit principia immediata ad vtrumque, & carentiam principij immediati, & connexi cum aliquo ex extremis. Ergo libertas ſaluatur in his duobus, præciſſo quocumque alio. Conſequentia eſt bona, & maior videtur certa ex terminis. Poteſtas enim proxima ad vtrumlibet eſt, quod vtrumque extremum ſit proxime conſtitutum in poteſtate alicuius. At id ipſum eſt eſſe liberum ad vtrumque. Ergo proxima poteſtas ad vtrumque eſt libertas ad vtrumlibet.

12 Quod vero poteſtas proxima ad vtrumque nihil aliud inuoluat, quam principia immediata requiſita, & carentiam cuiuslibet immediate influentis in vnum extremum, & cum ipſo connexum, probatur. Poſſe proxime aliquod

ag

extremum, v.g. conſenſum, eſt dari principia immediata illius neceſſario requiſita, & quod hæc principia expedita ſint à neceſsitate proxima antecedenti, & determinanti ad diſſenſum. Sed ſolum quod immediate influit in diſſenſum, & cum ipſo connectitur, poteſt eſſe neceſsitas antecedenter determinans ad conſenſum. Ergo poteſtas proxima ad vtrumque ſolum inuoluit principia immediata requiſita, & carentiam cuiuslibet immediate influentis in vnum extremum, & cum ipſo connexum.

13 Reſpondebis primo carentiam decreti componibilis cum diſſenſu determinare ad conſenſum negatiue, quatenus aufert decretum indifferens ad diſſenſum: quod decretum neceſſarium eſt vt voluntas diſſentiat, & quod decretum nequit à voluntate comparari. Sed contra. Hoc decretum indifferens nullo modo influit immediate in diſſenſum. Ergo carentia illius non eſt carentia alicuius tenentis ſe ex parte poteſtatis, ſeu potentiæ proximæ ad diſſenſum. Ergo defectus huius decreti non eſt defectus potentiæ proximæ ad diſſentiendum. Ergo neque adhuc negatiue hæc carentia decreti indifferentis determinat ad conſenſum. Probatur hæc conſequentia ex dictis. Illud determinat negatiue ad cõſenſum, quod tollit aliquid ſe tenens ex parte potentiæ proximæ ad diſſenſum. Sed carentia decreti indifferentis non tollit aliquid ſe tenens ex parte potentiæ proximæ ad diſſenſum: quando quidem decretum indifferens nullo modo influit immediate in diſſenſum. Ergo carentia decreti indifferentis ad diſſenſum non determinat, vel negatiue, ad diſſenſum.

14 Reſpondebis ſecundo decretum indifferens, ſiue componibile cum diſſenſu, dupliciter influere in diſſenſum. Primo tanquam cauſam: & hunc eius influxum mediatum eſſe: quatenus videlicet influit immediate in auxilia. Secundo tanquam conditionem: & hunc influxum, ſeu quaſi influxum eſſe immediatum: quia diſſenſus non ſolum indiget decreto ſecum componibili, quatenus indiget auxilijs per decretum conferendis: verum etiam quatenus per ſuam entitatem opponitur cum eo quod hæc auxilia exiſtant modo incomponibili cum diſſenſu.

15 Verum hic duplex influxus commentitius eſt. Decretum enim componibile cum diſſenſu non aliam exercet cauſalitatem, quam in auxilia. Sed hæc eſt mediata, & per modum cauſæ, & non conditionis. Ergo prædictum decretum ſolum habet mediatam cauſalitatem. Maior probatur. Hoc decretum indifferens nõ alio modo poteſt influere, niſi quatenus vult, & decernit ita vt ſo-

lum exerceat cauſalitatem, ſeu influxum, circa obiectum, quod vult, & decernit. Sed tantum vult, & decernit, auxilia ſecundum ſe, & non diſſenſum. Ergo tantum reſpectu auxiliorum habet influxum, ſeu cauſalitatem, & non immediate circa diſſenſum.

16 Neque ſe habet vt conditio immediata, quatenus au fert carentiam ſui, quæ eſſet determinatio immediata ad oppoſitum. Quia carentia decreti eatenus poteſt determinare immediate negatiue ad conſenſum, quatenus ipſum decretum haberet aliquem poſitiuum influxum immediatum, & requiſitum, ſaltem per modum conditionis, in diſſenſum. Sed, vt conſtat ex ſuperioribus, talis influxus poſitiuus immediatus non datur. Ergo neque decretum erit conditio immediata, quatenus talem carẽtiã excludens.

17 Probatur ſecundo noſtra concluſio. Hoc decretum connexum cum conſenſu vnice exiſtens, eſt impedibile à volunta te per diſſenſum. Sed eo ipſo non tollit libertatem. Ergo abſolute non tollit libertatem. Probatur maior, quæ ſola indiget probatione. Hoc decretum poteſt conſequi exercitium liberum conſentiendi. Ergo poteſt impediri per exercitium liberum diſſentiendi. Conſequentia eſt legitima, iuxta Societatis principia. Antecedẽs probatur. Hoc decretum non impeditur, quo minus conſequatur conſenſum, ex eo præciſſe, quod remote antecedat conſenſum: neque ex eo, quod neceſſario antecedat. Ergo ex nullo capite impeditur. Antecedens, quoad primam partem, v detur certum, iuxta hos authores. Quia ſi præcedentia remota obſtaret poſterioritati, nulla prædefinitio eſſet conſequens liberum conſenſum: ac per conſequens, neque impedibilis per diſſenſum. Item neque vlla poſſet eſſe collatio auxiliorum, vt efficacium: at per conſequens, ni fallor, rueret tota Scientiæ Mediæ directio.

18 Quod autem neque obſtet poſterioritati decreti præce dentia neceſſaria ipſius, probatur. Hæc mutua prioritas ita ſe habet, vt vna ſit in genere obiectiuo, alia vero in genere phyſico. Sed quod præcedat neceſſario phyſice ad cõſenſum, quod ſubſequitur obiectiue ad ipſum conſenſum, implicationem non inuoluit. Ergo neque hæc mutua præcedentia neceſſaria. Minor probatur. Quod tantum præcedit præcedentia obiectiua, ea ratione præcedit, vt verum, & realẽ influxum non habeat, neque veram, & realẽ cauſali tatẽ exerceat. Sed præcedentia adeo diminuta, vt verus influxus, aut cauſalitas non ſit, nõ opponitur cũ poſterioritate per influxũ (ſicut prioritas temporis, & maioris vniuerſalitatis, non opponũtur cum poſterioritate influxus) ergo quod præcedat neceſſario

phyſi-

phyſice ad conſenſum, quod ſubſequitur obiectiue ad ipſum conſenſum, implicationem non inuoluit.

19 Præterea neque adeſt implicatio in eo, quod voluntas per conſenſum adquirat aliqua ratione cauſam neceſſariam remotā ipſius conſenſus. Quia ſi ingenue, & ſincere res aſſumentur, adeo videtur communi rerum conceptioni opponi me poſſe per meum diſſenſum cōparare libertatem mei diſſenſus neceſſario requiſitam ad meum diſſenſum vt liberum, quam cauſam remotā ipſius diſſenſus liberi. Sed per meum diſſenſum poſſum cōparare libertatem remotam mei diſſenſus, ad meum diſſenſum liberum eſſentialiter requiſitam. Ergo, & potero comparare cauſam remotam neceſſario requiſitam. Conſequentia eſt bona. Probo maiorem; probaturus poſtea minorem. Adeo videtur ſubterfugere meum dominium libertas neceſſario requiſita ad cauſam immediatam diſſenſus, quam cauſæ neceſſario requiſita ad cauſam immediatā diſſenſus. Si enim implicat me per diſſenſum adquirere cauſam requiſitam neceſſario ad meam poteſtatem ad diſſenſum: cur non etiam repugnabit adquirere libertatem, qua ponitur mea poteſtas. Nam ſi in manu mea non eſt facere vt exiſtat cauſa, qua exiſtat mea poteſtas: longe minus erit in manu mea facere, vt exiſtat poteſtas libera ad reddendam exiſtentem meam poteſtatē. Fateor me nullā aliā probationē huius propoſitionis inuenire, quā terminorū propoſitionē.

20 Probo iam minorem illam, nempe ***Poſſum determinare vt exiſtat libertas ad reddendam exiſtentem in me potentiam diſſenſus coniungendam cum diſſenſu.*** Poſſum ego determinare exiſtentiam libertatis Dei ad ponendam in me poteſtatem diſſentiendi coniungēdam cum diſſenſu. Ergo poſſum determinare vt exiſtat libertas ad reddendam exiſtentem in me potentiam diſſenſus coniungendam cum diſſenſu. Antecedens probatur. Poſſum ego determinare Scientiam Mediam mei diſſenſus ſub auxilio A. Sed hæc Scientia Media neceſſario conſtituit libertatem Dei ad ponendum auxilium A coniungendum cum diſſenſu. Ergo poſſum per diſſenſum determinare libertatem Dei ad ponendam cauſam immediatam diſſenſus. Maior eſt certa. Minor probatur. Deus non intelligitur liber ad auxilium ponendum, vſque dum intelligatur cognoſcens euentum, quem ſortietur auxilium, ſi ponatur, vt ſupra oſtendimus. Ergo in caſu, quo auxilium coniungendum eſt cū diſſenſu, Sciētia quæ tūc eſt pro ſigno libertatis diuinę eſt Sciētia Media de diſſenſu. Sed homo per diſſenſum determinat Scientiā Mediā diſſenſus. Ergo homo per diſſenſū determinat cō-

ſtitutiuum libertatis diuinæ ad ponendum auxilium coniungendum cum diſſenſu.

21 Probatur tertio eadem concluſio. Qui non poteſt per diſſenſum determinare cauſam remotam diſſenſus, neceſſario ad diſſenſum requiſitam, neque determinare poterit per diſſenſum cauſam aliam remotiorem, eo modo, quo in remotiori gradu eſt eſſentialiter requiſita ad diſſenſum. Ergo nequit homo per diſſenſum determinare poteſtatem diuinam immediatam ad decretum componibile cum diſſenſu, modo quo hæc poteſtas decreti eſt neceſſario requiſita in caſu diſſenſus. Sed Deus vt liber per Scientiam Mediam diſſenſus eſt poteſtas immediata ad decretum indifferens in caſu diſſenſus: ita vt hæc libertas neceſſario prærequiratur in Deo ad decretum indifferens. Ergo nequit homo per diſſenſum determinare Scientiam Mediam conſtituentem libertatem neceſſario prærequiſitam ad decretum indifferens in caſu diſſenſus. Cum ergo iuxta aduerſarios hoc ſecundum poſsit homo per diſſenſum, poterit pariter, & illud prius.

SECT. III.

Potiſsimum argumentum diſſoluitur.

22 OB. 1. Decretum connexum cum conſenſu vnice exiſtens tollit poteſtatem ad diſſenſum. Ergo tollit libertatem. Probatur antecedens. Voluntas cum hoc decreto vnice exiſtente nequit ponere diſſenſum in ſenſu compoſito decreti, vt per ſe patet. Deinde nequit ponere diſſenſum in ſenſu diuiſo huius decreti. Ergo nullo modo. Probo ſecundam partem antecedentis. Poſſe ponere diſſenſum in ſenſu diuiſo huius decreti eſt poſſe voluntatem impedire hoc decretum. At hoc nequit voluntas. Ergo nequit voluntas ponere diſſenſum in ſenſu diuiſo huius decreti. Probo minorem, in qua eſt difficultas.

23 Id, quod datur omnino independenter à voluntate, vt abſolute operante, nequit impediri à noſtra voluntate, vt abſolute operante. At decretum collatiuum auxiliorum connexum cũ conſenſu vnice exiſtens, datur omnino independenter à noſtra voluntate, vt abſolute operante. Ergo huiuſmodi decretum nequit impediri à noſtra voluntate, vt abſolute operante. Maior eſt certa, & conſequentia legitima. Minor probatur. Si daretur dependen-

denter à noſtra voluntate, vt abſolute operante, daretur dependẽter à noſtra voluntate, vt abſolute ponente conſenſum. Hac ratione non datur. Ergo neque dependenter à noſtra voluntate, vt abſolute operante. Minor probatur. Quod antecedit neceſſario, vel ſaltem per ſe, ad voluntatem, vt abſolute ponentẽ conſenſum, non exiſtit per ſe à voluntate, vt abſolute ponente conſenſum. Sed decretum hoc antecedit neceſſario, vel ſaltem per ſe, ad cõſenſum, quia nõ eſt aliud decretum, & eſſentialiter præequiritur aliquod. Ergo hoc decretum non datur dependenter à voluntate creata, vt abſolute ponente conſenſum.

24 Omiſſa inſtantia, quæ poteſt fieri ex Scientia Media per ſe præſuppoſita ex parte libertatis diuinæ ad decretum, quæ Scientia inconiungibilis eſt cum extremo oppoſito. Reſpondeo: poſſe dari mutuam prioritatem, quarum vna ſit phyſica, & altera obiectiua, & determinatiua, vt patet in fine præintento: qui finis intentionaliter præcedit ad media: media vero præcedunt phyſice ad exiſtentiam finis. Hac ratione in noſtro caſu conſenſus abſolutus, in caſu purificationis hypotheſis, præcedit ad Sciẽtiam Mediam determinatiue. Et cum Scientia Media præcedat ad decretum collatiuum auxiliorum: quod decretum eatenus connectitur cum conſenſu, quatenus eſſentialiter ſupponit Scientiam: ſit inde conſenſum abſolutum, ratione Scientiæ Mediæ, præcedere in genere determinatiuo, & obiectiuo, ad decretum de auxilio connexum cum Scientia Media. Deinde cum hoc decretum præcedat in genere phyſico ad auxilium, auxilium vero ad conſenſum: deducitur legitime præcedentia mediata in genere phyſico decreti reſpectu conſenſus. Quapropter datur mutua prioritas: conſenſus ad decretum in genere obiectiuo: decreti vero ad conſenſum in genere phyſico, & efficiente.

25 Præterea quod ita antecedit phyſice ad conſenſum, vt nullo modo, nec in vllo genere ſubſequatur ad conſenſum, non exiſtit dependenter à voluntate, vt abſolute ponente conſenſum. At vero quod, licet per ſe, & neceſſario, antecedat in genere phyſico ad conſenſum, in genere tamen intentionali, & determinatiuo, ſubſequitur ad conſenſum abſolutum, reuera ponitur dependenter à voluntate, vt abſolute ponente conſenſum, & conſequenter dependenter à voluntate, vt abſolute operante: proindeque poterit impediri à voluntate, vt abſolute operante.

26 Inſtabis aduerſus hanc mutuam prioritatem. Auxilium, vt influxiuum in conſenſum, inuoluit decretum, à quo depen-
det.

det. Sed auxilium, vt influxiuum in conſenſum, nequit impediri à voluntate per diſſenſum. Ergo auxilium, vt inuoluens decretum connexum cum conſenſu, in impedibile eſt à voluntate per diſſenſum. Ergo non ſolum auxilium ſecundum ſe, verum, neque vt dependens ab hoc decreto, poteſt impediri. Ergo nequit impediri à voluntate, quod auxilium dependeat ab hoc decreto: proindeque decretum erit in impedibile à volũtate. Omnes illationes legitimæ ſunt. Minor primi ſyllogiſmi probatur. Nam libertas ad cõſenſum, & diſſenſum, nequit, ſiue per conſenſum, ſiue per diſſenſum, à voluntate impediri. Sed auxilium, vt influxiuum in conſenſum, eſt conſtitutiuum libertatis ad conſenſum, & diſſenſum. Ergo auxilium, vt influxiuum in conſenſum, nequit à voluntate impediri per diſſenſum.

27 Maior illa: nempe *auxilium, vt influxiuum in conſenſum, inuoluit decretum, à quo dependet*, probatur. Auxilium, vt dependens ab hoc decreto, influit in conſenſum. Auxilium, vt dependens à decreto, inuoluit decretum. Ergo auxilium, vt inuoluens decretum, influit in conſenſum. Conſequentia eſt bona, & minor certa. Maior probatur. Auxilium influit in conſenſum, vt exiſtens à parte rei extra ſuas cauſas. At hoc eſt influere vt exiſtens dependenter à decreto, quod eſt illius cauſa immediata. Ergo auxilium influit in conſenſum vt dependens à decreto.

28 Reſpondeo auxilium poſſe conſiderari vt dependens radicaliter à cauſa, & vt dependens formaliter. Vt dependens formaliter inuoluit actualem dependentiam. Vt dependens vero radicaliter ſolum dicit ſuam entitatem exigentem dependentiam actualem. Cumque hoc ipſum auxilium non dependeat neceſſario ab hoc decreto determinato, ſed ſolum habeat eſſentialiter indigere hoc, vel illo: inde fit hoc auxilium non dependere radicaliter ab hoc decreto determinate, ſed disiunctiue ab hoc, vel illo. Præterea auxilium non influit vt dependens formaliter, ſed ſolum vt dependens radicaliter: nam influit ſecundum ſuam entitatem, quæ ſolum eſt dependentia radicalis. Quoniam dependentia formalis non ſe tenet in ſigno auxilij, vt influxiui, ſed in ſigno priori ad ipſum auxilium.

29 Hinc ad argumentum in forma: nego maiorem, nempe auxilium vt influxiuum, ſiue vt influens, inuoluere decretum. Ad huius probationem diſtinguo maiorem. Auxilium, vt dependens formaliter à decreto, influit in conſenſum, nego: vt dependens radicaliter ab hoc decreto determinate, etiam nego: disiunctiue ab

hoc,

hoc, vel illo decreto, concedo maiorē. Et diſtinguo ſimiliter minorē. Auxilium, vt dependens formaliter à decreto, inuoluit decretum, concedo: vt dependens radicaliter, nego minorem. Qua doctrina patet auxilium, vt exiſtens, non habere dependere formaliter, ſed ſolum radicaliter, à ſuis cauſis.

30 Inſtabis ſecundo aduerſus hanc mutuam prioritatem. Si cauſalitas determinatiua poſſet exerceri ab effectu in cauſam mediatam, poſſet etiam in immediatam, & proximam. Sed hoc eſt impoſsibile. Ergo, & primum. Conſequentia eſt bona. Minor conſtat. Tum: quia, ſi cauſa proxima caderet ſub effectus determinatione, poſſet etiam cadere phyſica prædeterminatio. Tū etiā: quia poſſet cadere prima gratia. Iā vero maior probatur. Primo: quia cauſatio phyſica non minus repugnat in cauſam mediatam, quā in immediatā: alias ex ordine cauſarū nō veniremus in notitiā vnius cauſæ in cauſatæ: nam tertia cauſaretur à ſecunda, ſecūda à prima, & prima à tertia. Ergo ſi cauſa determinatiua, quia intentionalis eſt, ſoluitur à legibus cauſæ phyſicæ, quoad influxum effectus in ſuam cauſam mediatam: cur adſtringetur legibus cauſæ phyſicæ, quoad influxum in cauſam immediatam.

31 Reſpondeo hic non eſſe ſermonem de qualibet cauſatione, ſiue determinatione, ſed de cauſatione determinatiua libera. Quidquid igitur ſit de cauſatione, & determinatione neceſſaria (de qua alibi) modo aduertendum eſt duplicem poſſe conſiderari libertatem in determinatione alicuius extremi. Nam, & poteſt eſſe libertas, quæ verſetur circa extremum, & carētiam extremi: & poteſt eſſe libertas, quæ non verſetur circa extremū, & eius carentiā, ſed circa determinationē extremi, & carentiam determinationis eiuſdē extremi. V. g. quando Deus confert auxiliū, quia præuidet efficax, tunc qui, exiſtente auxilio, habet libertatē ad inefficaciam, habet ſimiliter libertatem: non quidem ad hoc, vt non exiſtat auxilium, ſed ad hoc, vt exiſtat aliunde, quam à præuiſione efficaciæ: ſiue ad hoc, vt non exiſtat quia præuidetur efficax.

32 Imo poteſt eſſe libertas, quæ adhuc non extendatur ad determinationem, & non determinationem, ſed quæ præciſſe verſetur in hac determinatione, vel illa, licet abſolute non ſit poteſtas ad carētiā omnis determinationis. Hac ratione, ſi Deus me neceſsitaret ad amorē, quia negaret cōcurſum ad actū oppoſitū, & relinqueret libertatē ad ponendū amorē, ſiue per actionem A, ſiue per actionem B: in hoc caſu neque eſſet libertas ad amorē & non amorem: neque ad determinandum, & non determinandum amorē. Sed

præ-

præciſſe eſſet libertas ad determinandum hac determinatione, vel illa.

33 Præterea hic, vel poteſt eſſe ſermo de determinatione immediata, vel de mediata. Immediate ſolum per exercitium liberum poteſt determinari cognitio. Reliqua enim, quæ per cognitionem obiectiuè determinantur, ſolum modo determinantur media cognitione, quæ immediate ab obiecto determinatur. Vnde infero principia immediata conſtituentia libertatem poſſe determinari libere à voluntate per conſenſum non libertate, quæ verſetur circa principium immediatum, & eius carentiam. Sed quæ verſetur circa hanc determinationem, & circa carentiam huius determinationis. Voluntas enim per conſenſum determinat decretum auxilij componibile cum conſenſu, ita vt, ſi non conſentiret, exiſteret idem principium immediatum aliunde, quam ab hac determinatione. Ex quo infertur prædicto genere determinationis poſſe determinari primam gratiam: licet non poſsit in genere meriti.

34 Addo inſuper poſſe dici, quod etiam, ſi diſſentiret, acquireret etiam remote hoc ipſum principium immediatum, quatenus adquireret decretum; vel connexum cum Scientia de inefficacia, vel ſaltem componibile cum ea: à quo decreto de facto dependeret libertas immediate: remote vero à diſſenſu: non tanquã à ratione mouente, ſed ſolum tanquam à ratione determinante hanc cauſam immediatam libertatis, nempe hoc decretum, præ alia cauſa immediata, vtique alio decreto: quod ſufficit vt dicatur diſſenſus adquirere remote ſuum principium immediatum: non libertate quoad principium, & carentiam principij, neque quoad determinationem, & carentiam omnis determinationis à ſuã libertate procedentis. Sed libertate quoad hanc determinationem ſingularem, & carentiam huius in ſingulari. In quo ſenſu admittimus poſſe determinari principium immediatum, quin ex inde inferatur poteſtas impediendi illud. Solum enim infertur poteſtas impediẽdi hanc ipſam determinationem in ſingulari.

35 Ad phyſicam prædeterminationem reſpondeo eſſe indeterminabilem à me: non præciſſe, quia eſt principium immediatum, ſed quia eſt etiam connexum cum conſenſu. Quippe ad hoc, vt ego poſsim determinare libere per determinationem A (nempe per conſenſum) principium immediatum, debet poteſtas eſſe coniungibilis cum hac determinatione, & cum eius carentia: hoc eſt cum conſenſu, & cum diſſenſu. Quod non habet voluntas,

quan-

quando phyſice prædeterminatur: præſertim in ſententia Thomiſtarum aſſerentium phyſicam prædeterminationem eſſe neceſſario antecedenter immediate requiſitam.

Deinde prædeterminatio pendens à noſtro libero arbitrio, ita vt pro noſtra libertate poſſit impediri, non eſt prædeterminatio Thomiſtica, de qua tàm acris eſt concertatio. Nam prædeterminatio Thomiſtica ponitur à ſuis authoribus omnino independens à libero arbitrio.

36 Præterea Scientia Media, à qua dependeret phyſica prædeterminatio, cognoſceret conſenſum ſub hypotheſi indifferenti. Si vero poſtea ſuperadderetur phyſica prædeterminatio, cũ eſſentialiter antecedat, eſſet iam noua hypotheſis connexa eſſentialiter cum conſenſu. Qua propter non purificaretur hypotheſis illius Scientiæ Mediæ, à qua penderet Prædeterminatio: ideoque non eſſet conſequens ad conſenſum, vt Scientia Media præuiſſum.

37 Si tamen aduerſarius ſolum velit phyſicum prædeterminationem poni à Deo pro poſteriori ad poſitionem liberam effectus: deindeque prædeterminationem per nouam actionem eundem effectum neceſſario cauſare: tunc non erit phyſica prædeterminatio ad actionem, qua ſe determinauit Petrus, ſed ad aliam. Quod autem pro poſteriori ad vnam actionem detur phyſica prædeterminatio ad aliam, inconueniens non eſt.

38 Sed inſtabis. Quod exiſtit pro determinatione libera alicuius, deficere poteſt pro ipſius libera determinatione. Sed auxilium exiſtit, in hoc caſu, pro libera determinatione, ſaltem remota, Petri. Ergo pro determinatione remota Petri poteſt deficere. Conſequentia eſt bona, & minor à nobis conceditur. Maior autem videtur euidens in principijs ſcholæ Societatis. Quia poteſtas determinandi aliquod extremum eſt libertas ad illud. Sed eo modo, quo datur libertas ad vnum extremum, datur poteſtas ad eius contradictorium. Ergo eo modo, quo datur poteſtas determinandi aliquod extremum, datur perinde poteſtas determinandi extremum oppoſitum.

39 Reſpondeo diſtinguendo maiorem. Quod exiſtit pro determinatione libera: libertate verſata inter exiſtere, & non exiſtere prædictum extremum, deficere poteſt pro ipſius libera determinatione, concedo: libertate verſata ſolum inter determinare, & non determinare: vel inter hanc, & illam determinationem, nego maiorem. Ad huius probationem diſtinguo maiorem. Poteſtas determinandi aliquod extremum eſt libertas ad illud determina-

te, nego: libertas ad illud, vel libertas ad determinandum, & non determinandum, ſiue ad hanc, vel illam determinationem, concedo maiorem. Et deinde conceſſa minori, nego conſequentiam. Vbi aduertendum eſt hanc poteſtatem determinandi auxilium eſſe poteſtatem determinandi remote phyſice auxilium; non vero moraliter, & imputatiue. Non enim mihi tribuitur (adhuc data hac determinatione remota) habere abſolute auxilium, ſed ſolum illud habere vi huius decreti, potius quam alterius.

40 Inſtabis vltimo contra poteſtatem humanam determinandi Deum per diſſenſum ad habendum decretum componibile cum diſſenſu. Nequit homo per diſſenſum determinare Deum ad decretum componibile cum diſſenſu ut Deo neceſſarium. Deinde non poteſt Deum determinare ad decretum, vt ipſi Deo liberum. Ergo nulla ratione poteſt Deum determinare ad decretum. Maior eſt certa, & conſequentia bona. Minor probatur. Et in primis non poſſe creaturam Deum determinare vt neceſſario concipiat decretum, certum eſt: ſiquidem Deus nō poteſt non eſſe liber in decernendo exiſtentiam auxilij. At vero neque poſſe creaturam determinare Deum ad habendum libere decretum de auxilio, probatur.

41 Primo: quia de conceptu agentis liberi eſt vt, dum eſt liberum ad vtrumlibet, ſe determinet à ſe ſolo ad vnum, nec poſſit impediri ab agente extraneo, quo minus ponat illud, vel oppoſitum. Ergo cum Deus libere omnino concipiat decretum componibile cum diſſenſu, nequit à creatura ita determinari ad ponendum illud, vt ab ea impediatur, quo minus ponat oppoſitum. Secundo. Ex eo quod homo ex ſuppoſitione mediorum indifferentium ſit plene indifferens ad conſenſum, vel diſſenſum; neque à Deo determinari, ex ſuppoſitione illorum mediorum, ad conſenſum, potius quam ad diſſenſum, neque vice verſa potius ad diſſenſum, quam ad conſenſum. Ergo quia Deus eſt plene indifferens ad decretum componibile cum diſſenſu, & ad decretum oppoſitum, non poterit à creatura ad vnum potius, quam ad alterum vlla ratione determinari.

42 Tertio: quia implicat hominem per diſſenſum determinare Deum ad carentiam decreti connexi cum conſenſu. Quod ſic probatur. Nam in primis poſitio diſſenſus non eſt determinatio antecedens ad carentiam decreti componibilis cū diſſenſu: alioqui homo per ſuum diſſenſum tolleret Deo libertatem ad carentiam eius decreti. Neque poteſt eſſe determinatio comitans. Nos

enim

enim hanc comitantiam reijcimus. Nec demum poſitio diſſenſus poteſt eſſe determinatio ſubſequens ad eam carentiam: quia id nõ eſſet hominem ſuo diſſenſu adquirere, & determinare carentiam decreti, ſed potius eam ſupponere iam aliunde acquiſitam, & determinatam. Ergo implicat hominem per ſuum decretum adquirere carentiam decreti connexi cum conſenſu.

43 Reſpondeo optime poſſe hominem ex ſuppoſitione libertatis determinare Deum ad decretum componibile cum diſſenſu vt liberum Deo. Neque rationes allegatas oppoſitum efficaciter probare.

Ad 1. dico de conceptu agentis liberi eſſe à nemine determinari determinatione omnino antecedente, & phyſica: minime vero eſſe de ratione agentis, quamtumvis liberi, à nemine determinari determinatione non ſimpliciter antecedenti, neque phyſica; ſed ſimul antecedente, & ſubſequenti, & non phyſica, ſed logica: Quando enim determinatio huiuſmodi eſt, non eſt determinatio oppoſita libertati. Quemadmodum Deus per prædefinitionem efficacem conſenſus determinat hominem ad conſenſum liberum vt talem; non determinatione phyſica, & omnino, & ſimpliciter antecedenti, ſed determinatione inferente logice cõſenſum, & ſupponens ratione Scientiæ Mediæ conſenſum pro caſu libertatis.

44 In noſtro autem caſu maximopere aduertendum eſt diſcrimen inter determinandã praciſſe carentiam decreti libertatis A connexi cum conſenſu, & determinandum decretum componibile cum diſſenſu. Etenim creatura ita determinat Deum ad carentiam libertatis A, vt efficacis, ſiue ita impedit hoc decretum vt non relinquat Deo libertatem ad prædictum decretum. Nam cum Deus non ſit proxime liber, & indifferens ad decretum de auxilio A, vt efficaci, niſi dum intelligitur cum Scientia Media eius efficaciæ, poſsitque homo per diſſenſum præſtitum auxilio A impedire Scientiam Mediam de illius auxilij efficacia: conſequenter poteſt impedire libertatem diuinam ad habendum tale decretum, qua propter determinabit Deum ad neceſſario non habendum decretum de auxilio A, vt efficaci.

45 Cæterum cum, adhuc ex ſuppoſitione quòd Deus, ob defectum Scientiæ Mediæ de efficacia auxilij A, impotens ſit concipere decretum efficax de auxilio A, vt efficaci, adhuc, inquam, in hoc caſu indifferens ſit ad decernendum,

vel non decernendum auxilium A: ideo, licet neceſſario non habeat decretum auxilij efficacis, libere tamen concipit decretum de auxilio præuiſo inefficaci, cum poſſet illud abſolute non decernere. Quando ergo homo per diſſenſum determinat Deum ad decretum componibile cum diſſenſu, determinat Deum ad illud decretum libere habendum: non libertate, quæ verſetur inter decretum auxilij A componibile cum diſſenſu, & decretum eiuſdem auxilij connexum cum conſenſu, ſed inter decretum componibile, & defectum aliquem talis decreti, qui defectus non ſit decretum connexum cum conſenſu.

46 Hæc determinatio, qua homo ex ſuppoſitione libertatis A determinat Deum per diſſenſum ad decretum componibile cum diſſenſu, eſt determinatio partim antecedens, quatenus determinat Scientiam Mediam de inefficacia auxilij ingredientem libertatem diuinam ad decernendum. partim ſubſequens, quatenus ſubſequitur ad auxilium A de facto collatum per illud decretum componibile cum diſſenſu. Deinde hæc determinatio non eſt phyſica: quia neque immediate phyſice, & realiter determinat decretum: neque phyſice, & realiter mediate illud determinat: ſiquidem non determinat phyſice, & realiter aliquod extremum, quod ſit determinatio phyſica immediata talis decreti. Solum ergo determinat illud decretum logice, & illatiue: quatenus determinando conſenſum determinat extremum, quod metaphyſice infert extitiſſe pro ſigno priori decretum componibile cum conſenſu.

47 Ad 2. probationem reſpondeo creaturam indifferentem ad conſenſum, & diſſenſum, à Deo determinari ad conſenſum determinatione, non phyſica, aut omnino antecedenti, ſed determinatione illatiua, & ſolum antecedenti ſecundum quid: nam eſt determinatio conſequens ratione Scientiæ Mediæ. Etenim Deus per decretum prædefinitiuum conſenſus determinat creaturam ad conſentiendum: non determinatione phyſica, aut determinatione ſimpliciter antecedenti, ſed determinatione illatiua, & determinatione ſupponente pro caſu auxilij conſenſum liberum ratione Scientiæ Mediæ, per quam prædefinitio conſenſus regulatur. Hoc igitur modo poteſt creatura determinare Deum.

48 Ad 3. probationem reſpondeo: diſſenſum neque eſſe determinationem decreti componibilis cum illo omnino antecedentem, neque eſſe determinationem purè conſequentem, ſed eſſe determinationem ſecundum quid antecedentem, & ſecundum quid conſequentem. Eſt enim antecedens, quatenus per diſſenſum de-

ter-

terminatur Scientia Media diſſenſus ingrediens libertatem decernendi. Eſt etiam determinatio conſequens: quia diſſenſus conſequitur auxilium, ad quod hic, & nunc præſupponitur decretum componibile cum diſſenſu.

SECT: IV.

Reliqua argumenta ſoluuntur.

49 OB. 2. In ſtatu abſoluto non datur vere vllum ſignum, in quo auxilium ſit indifferens ad Scientiam Mediam. At ſine tali ſigno non datur vera libertas. Ergo in ſtatu abſoluto non datur vera libertas. Conſequentia eſt bona, & minor certa. Si enim, quando ego exiſto, non ſum vere indifferens, quid refert indifferentia pro ſtatu conditionato? Maior probatur. Omne ſignum abſolutæ exiſtentiæ auxilij eſt ſub hac Scientia Media determinata: cum enim auxilium ſit quid creatum, implicat abſolute exiſtere ſine ſua cauſa. Hæc autem eſt libertas Dei conſtituta per hanc, vel illam Scientiam Mediam determinate: ſed ſtatus abſolutus formaliſsime inducit exiſtentiam abſolutam auxilij. Ergo non datur vllum ſignum in ſtatu abſoluto, pro quo auxilium ſit indifferens ad Scientiam Mediam.

50 Reſpondeo ſignum abſolutæ exiſtentiæ auxilij eſſe ſignum vere, & realiter indifferens ad hanc, vel illam Scientiam Mediam. Quia cum ſit vere indifferens ad conſenſum, & diſſenſum (quæ exercitia abſolutè, pro caſu exiſtentiæ auxilij, determinant Scientiam Mediam) eandem indifferentiam veram, & realem, quã habet auxilium ad hæc exercitia, quæ determinatiua ſunt Scientiæ Mediæ, eandem debet habere ad Scientiam, quæ per hæc exercitia debet determinari. Nec obſtat ratio arguentis. Quia licet ſignum abſolutæ exiſtentiæ auxilij ſit ſub hac Scientia Media determinata, ideſt, ſubſequatur natura in genere effectiuo aliquam Sciẽtiam Mediam determinatam: cum tamen in genere determinatiuo præcedat auxilium, vt eliciens conſenſum, ad ipſam Scientiam, nõ tollet ſubſequutio in genere effectiuo quod auxilium ſit indifferẽs ad determinandam hanc Scientiam Mediam præ oppoſita.

51 Præterea id, quod dicitur, nempe ſignum abſolutum auxilij eſſe ſub hac Scientia Media determinate, vel poteſt intelligi reduplicatiue, prout ſignũ antecedẽs ad cõſenſum, vel ſecundũ ſe. Si primum, eſt falſum: nam auxilium non cauſat conſenſum, prout

formaliter depēdens ab hac Scientia Media determinate, ſed cauſſat conſenſum auxilium ipſum ſecundum ſe: ac proinde, vt influens in conſenſum non connectitur intrinſece cum conſenſu. Si vero ſolum dicatur ſignum auxilij ſecundum ſe, id eſt ipſum auxilium, ſecundum ſe acceptum, ſubſequitur ad illam Scientiam Mediam determinatam, quæ de facto exiſtit, verū eſt. Sed ex hoc, vt diximus, perperam infertur non eſſe indifferens ad Scientiam oppoſitam: quia auxilium indifferens eſt, vt dependeat ab hac Scientia Media, potius quam oppoſita.

52 Ad argumētū in forma nego maiorem. Ad probationē huius diſtinguo etiā maiorem. Omne ſignū abſolutæ exiſtentiæ auxilij eſt ſub hac Scientia determinata: ſignum exiſtentiæ abſolutæ auxilij ſecundum ſe, quod quidē antecedit cōſenſum, concedo: ſignū abſolutæ exiſtētiæ auxilij: nō ſecūdū ſe, ſed reduplicatiue vt cauſantis cōſenſum, nego maiorē. Et cōceſſa minore, nego cōſequētiā.

53 Ob. 3. Poteſtas diſſentiendi inuoluit omnia prærequiſita eſſentialia immediata ad diſſenſum. Sed decretum coniungibile cum diſſenſu eſt prærequiſitum eſſentiale immediatum ad diſſenſum. Ergo hoc decretum inuoluitur in poteſtate diſſentiendi. Ergo, deficiente decreto coniungibili cum diſſenſu, deficit poteſtas ad diſſenſum, conſequenterque libertas ad conſenſum. Maior videtur euidens. Nam poteſtas ad diſſentiendum inuoluit totam potentiam proximam diſſentiendi. Hæc autē nihil aliud eſt, quam quod eſſentialiter prærequiritur immediate, ſeu quod requiritur in ſigno immediate antecedente ad diſſenſum. Minor probatur. Vel dato auxilio A præciſſe per decretum connexum cum conſenſu, deficienteque decreto exequente tale auxilium coniungibili cum diſſenſu, dantur omnia prærequiſita immediata ad coniungendū diſſenſum cum auxilio A, vel non dantur. Si hoc vltimum, conſtat aperte hoc decretum eſſe prærequiſitum immediatum ad coniungēdum diſſenſum cum eo auxilio. Quia ſi deeſt aliquod immediatum prærequiſitum ad hanc coniunctionem, deficiente præciſſe eo decreto, manifeſtum eſt tale decretū eſſe ad id præſtandū immediatū prærequiſitū. Si dicatur primū. Ergo cū exiſtentibus omnibus immediate prærequiſitis ad eam coniunctionē faciendā, exiſtant etiā omnia, quæ requiruntur ad exiſtentiā taliū prærequiſitorū: fiet, deficiente prædicto decreto coniungibili cū diſſenſu, exiſtere omnia, quæ proxime, & remote, prærequiruntur ad coniungendū diſſenſum cū auxilio A. Vnde neque proxime, neque remote, prærequiretur decretum exequens auxilium A eſſe coniungibile cum diſſenſu.

Digitized by Google

54 Pro reſponſione huius ingenioſæ obiectionis, noto hunc terminum *prærequiſitum eſſentiale mediatum* dupliciter intelligi poſſe. Vel quia eſſentialiter requiratur ad prærequiſitum immediatum diſſenſus, vel quia, licet non requiratur eſſentialiter ad prærequiſitum immediatum diſſenſus, requiritur tamen ad diſſenſum, vt exiſtens in ſigno antecedenti ad prærequiſitum immediatũ diſſenſus. Primo modo intellectus eſt prærequiſitum eſſentiale mediatum ad diſſenſum: quia intellectus eſſentialiter prærequiritur ad cognitionem retrahentem, quæ eſt immediatũ prærequiſitum ad diſſenſum. Secundo modo ſunt prærequiſita eſſentialia mediata ad diſſenſum, tum Scientia Media diſſenſus ſub auxilio, tum decretum auxilij coniungibile cum diſſenſu. Quia licet decretum, & Scientia Media, non prærequirantur eſſentialiter ad cognitionem retrahentem, quæ eſt immediatum prærequiſitum: requiruntur tamen eſſentialiter ad diſſenſum vt exiſtentia antecedenter ad cogitationem retrahentem, quæ eſt prærequiſitum immediatum.

55 Ex quo fit in his terminis *prærequiſitum eſſentiale mediatum ad diſſenſum* ly *mediatum* dupliciter accipi poſſe, vel reduplicando ſupra rationem *requiſiti*, vel ſupra rationem *præcedentiæ*. Si appellet ſupra rationem *requiſiti eſſentialis*, eſſe prærequiſitum eſſentiale mediatum, erit eſſe aliquid antecedenter eſſentialiter requiſitum ad immediatum prærequiſitum, modo quo diximus de intellectu reſpectu cogitationis retrahentis. Si ly *mediatũ* appellet ſupra *præcedentiam* eſſe prærequiſitum eſſentiale mediatum ad diſſenſum, erit requiri eſſentialiter ad diſſenſum, vt exiſtẽs in ſigno antecedenti ad cognitionem retrahentem, licet ad illam non eſſentialiter requiratur.

56 Hinc ad argumentum in forma reſpondeo diſtinguendo maiorem. Poteſtas diſſentiendi inuoluit omnia prærequiſita eſſentialia immediata ad diſſenſum, appellando ly *immediata* ſupra *præcedentiam*, concedo, ſupra rationem *requiſiti*, nego maiorem. Et deinde diſtinguo minorem. Decretum coniungibile cum diſſenſu eſt prærequiſitum immediatum ad diſſenſum, appellando ly *immediatum* ſupra rationem *requiſiti*, concedo: ſupra rationem *præcedendi* nego minorem: & nego conſequentiam. Etenim in poteſtate immediata, ſeu in potentia proxima, ſolum inuoluitur illud requiſitum, quod & requiritur, & immediate antecedit, non vero inuoluitur illud requiſitum, quod licet requiratur eſſentialiter ad diſſenſum; nõ tamen immediate an-

tecedit ad diſſenſum: quia hoc requiſitum eſt immediatū in ratione requiſiti ad diſſenſum, quatenus requiritur ad diſſenſum; nō verò ad eius principium immediatum. Non tamen eſt immediatum in præcedendo: cum hoc decretū non influat immediate in diſſenſum. Et ſolum illud requiſitum ad diſſenſum, quod immediate antecedit ad diſſenſum, inuoluitur in poteſtate proxima diſſentiendi.

57 Ob. 4. Si Petrus v.g. poſſet per libertatē A impedire decretum, à quo defacto pendet prædicta libertas, poſſet etiam per conſenſum, aut per diſſenſum, impedire libertatem A. Hoc non cōcedimus. Ergo neque illud cōcedere debemus. Probatur maior, in qua conſiſtit difficultas. Ex eo poteſt Petrus, per libertatem A impedire decretum, quia ea libertas non pendet eſſentialiter ab eo decreto, ſed ſignum libertatis omnino ab eo decreto præſcindit. At conſenſus non pendet eſſentialiter ab hac numero libertate, ſaltem iuxta probabiliſsimā plurimorū ſententiā. Ergo ſimiliter poterit Petrus per conſenſum, aut diſſenſum, impedire libertatē, quā defacto habet, facereque, vt loco illius, alia libertas exiſtat.

58 Reſpōdeo negando paritatē. Ratio diſparitatis eſt: quia eatenus Petrus poteſt per libertatē A impedire decretū, à quo defacto pendet ea libertas, quatenus ea libertas eſt poteſtas immediata, & expedita, ad aliquod exercitium v.g. diſſenſum, incomponibile cum decreto connexo cum conſenſu. At vero conſenſus, aut diſſenſus non eſt poteſtas immediata ad aliquod extremum incomponibile cum libertate A. Qua propter nequit Petrus per talem conſenſum impedire libertatem, quam habet.

59 Itaque dupliciter poteſt excogitari vnum extremum impediri per aliud, vel per aliud, tanquam per poteſtatem ponendi impedimentū actuale, vel per aliud, tanquam per actuale impedimentum. Primo modo impeditur decretum connexū cum conſenſu per libertatem diſſentiendi. Quia, nimirum, poteſtas diſſentiendi eſt poteſtas ponendi diſſenſum, qui eſt actuale impedimentū decreti connexi cum conſenſu. Secundo modo impeditur decretum connexum cum conſenſu per diſſenſum: quia, videlicet diſſenſus eſt actuale impedimentum decreti connexi cum conſenſu.

60 Neutro modo poteſt libertas ad cōſenſum, & diſſenſum, impediri per conſenſum, aut diſſenſum. Nō quidē tanquā per actuale impedimentū, quia neque cōſenſus, neque diſſenſus opponuntur libertati ad illos. Deinde neque tanquā per poteſtatē ad ponēdū impedimentū aliquod. Conſenſus enim, & diſſenſus, nō ſunt poteſtas ad aliquid incōponibile cū libertate A ad conſenſum, & diſſenſum.

61 Hinc

61 Hinc ad argumentum in forma. Nego maiorem ob diſparitatem traditam. Ad probationem maioris, diſtinguo maiorem. Ex eo præciſſe poteſt Petrus per libertatem A impedire decretum, quia ea libertas non pendet eſſentialiter ab eo decreto, nego: ex eo, quod non pendeat, & etiam, quia eſt poteſtas ponendi extremum incomponibile cum decreto, concedo maiorem. Et deinde diſtinguo minorem, maioris claritatis gratia, Conſenſus non pendet eſſentialiter à libertate A, neque eſt poteſtas ad extremum incomponibile cum libertate A, concedo. Non dependet, & eſt proxima poteſtas ad tale extremum incomponibile, nego minorem: & nego conſequentiam.

QVÆST. IIII.

Vtrum, & qua ratione, præuidens Deus auxilij inefficaciam in ſigno ſuæ libertatis ad prædictum auxilium conferendum, illud præſtans, & conſenſum ſerio procuret, & ſe benefactorem exhibeat?

HÆc difficultas, vt ſupra dixi, maxima eſt: eam hic ita ſoluere conabor, vt opus non ſit eam iterum examinare, cum de voluntate ſeria, quam Deus habet de reproborum ſalute, ſermo inſtituatur. Duplicem partem continet præfata difficultas. Prima eſt: qua ratione Deus ſerio procuret conſenſum, quando medium apponit, quod præuidet inefficax ad illud obtinendum? Secunda: qua ratione Deus in collatione auxilij inefficacis beneficus ſit? Vnam, & alteram difficultatem, ſigillatim diſcutiam.

SECT. I.

Proponitur prima difficultatis pars.

1 EA ſic ſe habet. Vt Deus ſerio intendat, ſuadeat, & procuret ſalutem illius, qui vocatur, requiritur ne habeat Scientiam de inefficacia mediorum, quæ adhibet, pro

ſigno indifferentiæ ad illa media adhibenda. At Deus nequit non habere Scientiam de inefficacia mediorum pro ſigno indifferentiæ ad illa conferenda. Ergo Deus nequit ſerio intendere, & procurare conſenſum illius, qui ineſficaciter vocatur. Conſequentia eſt legitima. Minor à nobis traditur. Maior igitur varie ab authoribus probatur.

2 Primo. Qui videt auxilium A infallibiliter coniungendum eſſe cum diſſenſu, ſi ponatur, videt abſolute non coniungendum eſſe cum conſenſu, quia, ſi non exiſtat, non coniungetur, & ſimiliter etiam, ſi exiſtat, quando quidem coniungetur cum diſſenſu. Tunc ſic. Qui videt abſolute non fore coniunctionem, nequit prudēter, & ſincere ſuadere huiuſmodi coniunctionem: nemo enim ſincere, & ſerio, ſuadet id, cuius ſuaſionem videt infallibiliter fruſtrandam eſſe. Ergo Deus nequit ſuadere vere coniunctionem auxilij A cum conſenſu, præuidens infallibiliter huiuſmodi coniunctionem non futuram: conſequenterque ſuaſionem fore fruſtrandam.

3 Confirmatur hoc à paritate orationis. Nemo enim poteſt orare Deum pro euentu, quem certo præſcit non futurum. Ergo neque ſuadere: ſuaſio enim aliquod genus orationis, ſeu petitionis eſt. Antecedens probatur, tum ab experientia: nemo enim orat pro ſalute æterna illius, quem ſcit damnatum eſſe: cuius nulla alia poteſt eſſe ratio, niſi certo præſciri ſaluationem non eſſe futuram. Tum etiam probatur authoritate D. Auguſtini l.b.12. de Ciuit. cap.24. prope medium, vbi hæc habet. *Si de aliquibus ita certa Eccleſia eſſet, vt, qui ſint illi, etiam noſſet, qui, licet adhuc in hac vita ſint conſtituti; tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oret, quam neque pro ipſo.* Hoc ipſum colligi videtur ex Scriptura: Deus enim ita Hieremiæ orationem pro populo interdicit. Hierem.7. *Tu noli orare, pro populo hoc. & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Deus etiam 1. Reg.16. Samueli prohibet orationem pro Saule. *Vſque quo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum.* Ergo nequit oratio eſſe pro euentu, qui præſcitur infallibiliter non futurus. Ergo neque ſuaſio.

4 Secundo: quia imprudenter deſideratur id, quod euidenter cognoſcitur non futurum. Sed Deus cognoſcit euidenter non coniungendū eſſe conſenſum cum auxilio A. Ergo imprudenter conciperet deſiderium de tali coniunctione. Ergo quando Deus confert diſſenſuro auxilium A, non illud confert vere deſide-

ſiderans quod medio illo auxilio ponat conſenſum: hoc enim eſt formaliſsime coniungere vtrumque. Confirmatur: quia euidentia de non conſequutione futura finis impedit ſpem conſequutionis. Ergo, & deſiderium.

5 Tertio difficilius: nam imprudens, proindeque Deo impoſsibilis eſt conatus ad conſequutionem finis, quando certo, & euidenter præcognoſcitur huiuſmodi connatum fruſtrandum eſſe. Sed Deus certo, & infallibiliter, præcognoſcit ſe non obtenturum conſenſum ſalutarem Iudæ v.g. per auxilium A. Ergo infallibiliter cognoſcit conatum per auxilium A ad conſenſum fruſtrandum eſſe. Ergo imprudenter conabitur Deus, conferendo auxiliũ A, vt exiſtat cõſenſus per illud. Ergo nequit Deus ſerio procurare exiſtentiam conſenſus per auxilium A, quod inefficax eſſe euidenter præcognoſcit.

6 Propoſui ſimul has obiectiones præter meum morem, & vt melius difficultas cognoſcatur, & quia omnes fere in idem recidunt: nempe, qua ratione cum notitia certa carentiæ euentus poſsit intendi ſincere, & ingenue ipſe euentus.

7 Hæc difficultas in varias ſolutiones diſtraxit authores: præcipuæ eo tendunt, vt negent pro ſigno immediato indifferentiæ diuinæ ad conferendum, & non conferendum auxilium inefficax, eſſe in Deo Scientiam de inefficacia auxilij, vt ita defendant Deum poſſe ſincere per auxilium inefficax conſenſum ſalutarem procurare: cum enim, iuxta illos, Scientia de inefficacia auxilij A perinde ſe habeat, in ordine ad retardandum Deum à collatione auxilij, ac ſi non exiſteret, fit inde nullum eſſe impedimentum, quo minus Deus conſenſum diſſenſuri ſerio, & ſincere, procuret. Recentiorum meditationes infra breuiter refellam. Nunc vero, iuxta propria principia, ſuperiores obiectiones ſoluendas ſuſcipiam.

SECT. II.

Propoſitæ obiectiones ſoluuntur.

8 PRo ſolutionis intelligentia explicandum eſt quid ſub nomine volũtatis ſinceræ, & feriæ procurationis, veniat intelligẽdũ: tota enim quæſtionis reſolutio, & difficultatis explanatio

pendet, ni fallor, ex explicatione huius termini *ſincera pro curatio conſenſus*. Igitur authores, qui Deo ſeriam intentionem conſenſus diſſentientis negant, ex eo eſt, quod ad ſeriam intentionem aliud exigant, quod re vera ad huiuſmodi ſeriam intentionem non requiritur. Quod quidem incomponibile videtur cum collatione auxilij inefficacis. Si vero ſemel quid per ſeriam intentionem intelligatur, recte explicetur, plurimum præſentis difficultatis minuetur.

9 Duplex eſt voluntas apud omnes recepta: alia eſt efficax; alia omnino inefficax. Voluntas efficax eſt illa, quæ ex modo vehementi tendendi in obiectum, connectitur cum obiecto, quatenus eſt ex parte volentis: hoc eſt, illa voluntas, virtute cuius tenetur, qui illam habet, ad ponenda media efficacia, vt exiſtat obiectum: adeo, vt nequeat ſimul cum tali voluntate coniungi permiſſio de eo quod non ſit, ſi poſsit aliquomodo facere quod ſit. Hoc modo decernit Deus plura obiecta, vt dicitur tractatu de voluntate diuina.

10 Alia voluntas eſt inefficax, quæ vocatur ſimplex complacentia, qua adeo leuiter, vel adeo ſegniter (liceat ita loqui) fertur quis in aliquod obiectum, vt, quamvis vi illius aliquatenus inclinetur in illud obiectum, poſsit tamen componi cum ea voluntate inefficaci efficax voluntas de non exiſtentia eius obiecti, & de defectu cuiuslibet medij in ordine ad talem finem, conſequenterque determinatio ad oppoſitum. Ita modo dicunt plures Theologi Deum neceſſario amare poſsibilitatem omnium creaturarum: ita, vt Deus hac voluntate inefficaci velit quod exiſtant creaturæ, quæ malitiam moralem non important; licet Deus ſimul efficaciter velit plures illarum non exiſtere, ſicuti de facto non exiſtunt.

11 Inter has voluntates poſſunt eſſe aliæ, quæ, neque omnino connectantur cum poſitione obiecti, ſicut efficax voluntas, neque omnino poſsint abſtinere à poſitione alicuius medij: nec cõiungi cum determinatione ad oppoſitum, ſicut pura ſimplex complacentia: poteſt enim aliquis ita, quaſi temperate, amare aliquod obiectum, vt, ex vi huius voluntatis, non determinetur neceſſario ad ponendum illud, determinetur tamen ad non illud poſitiue impediendum: imo, & ad poſitionem poſitiuam mediorum, quæ ſufficiant ad exiſtentiam finis. V. g. Deus multifariam poteſt velle cõſenſum liberum Petri. Primo: ita efficaciter, vt teneatur adhibere media, quibus infallibiliter obtinebitur conſenſus. Secundo: ita inefficaciter, vt poſsit ſimul negare Petro poteſtatẽ ad cõſenſum. Tertio: media alia ratione: voluntate nimirum, qua teneatur Deus

ad

ad præſtandam Petro poteſtatem liberam, & expeditam ad eliciendum conſenſum; licet non teneatur ad præſtandam poteſtatem, qua infallibiliter conſentiet.

12 Addo inſuper quod inter voluntatem efficacem, & puram ſimplicem complacentiam, poſſunt excogitari diuerſi gradus voluntatis magis, & minus intenſæ, vt cernere eſt in creatis: in quibus præter voluntatem efficacem conſequendi aliquem finem, & voluntatem pure inefficacem, dantur aliæ, etiam inæquales: quarum vna ad maiores difficultates ſuperandas, licet non omnes, ſufficiens ſit: alia vero ad minores ſolum vincendas ſufficiat. Dicimus ergo voluntatem ſeriam, quam Deus habet circa conſenſum bonum, in ordine ad quem Deus confert homini liberam poteſtatem, eſſe ſeriam intentionem boni operis, ſinceramque procurationem illius, huiuſmodique intentionis, deſiderij, & procurationis ſinceritatem, & veritatem conſiſtere in eo, quod ea ratione Deus amet bonam operationem, vt vi huius amoris reddatur illi impoſsibilis denegatio poteſtatis liberæ, & expeditæ: ita, vt non ſtet per Deum defectus boni euentus; ſed ſolum per creaturam. Cum igitur cum affectu huius genij, & naturæ, recte cohæreat Deum conferre poteſtatem liberam conſentiendi cum Scientia infallibili nō futuri euentus, ita ſimiliter ſtare poteſt cum ſeria, ſinceraque intentione boni operis, & ſaluationis Iudæ v. g. illi tribuere poteſtatē ad opus præceptum, ſciendo pro ſigno indifferentiæ ad conferendam, & non conferendam talem poteſtam, Iudam prædicto auxilio diſſenſurum, in æternumque fore damnandum.

13 Præterea animaduertendum eſt quid inuoluat *conſilium*, & *ſuaſio* in ſuo conceptu, vt poſsimus ex vnius, & alterius natura, colligere vtrum cum præſcientia non futuri euentus componi valeant. Igitur ſuaſio, vt recte notat P. Ribadeneira, qua Deus regulariter ſuadet hominibus recte operari, ſaluatur ſufficienter in eo, quod Deus notificet hominibus ſe bene gerere, ſi auxilio cōſentiant, facturoſque, ſi ita operentur, rem Deo maximopere gratam: & etiam, ſi velis, dicito ſuaſionem diuinam eſſe actum, vel intellectus, vel voluntatis diuinæ tendentis hac ratione *Facias hoc opus*.

14 Ex hac doctrina ad primum argumentum reſpondeo: totum, quod diximus ad ſuaſionem, & conſilium requiri, recte componi cum præſcientia diuina de non futuro conſenſu per auxilium A. nam manifeſtatio bonitatis operationis ſalutaris, necnon complacentiæ diuinæ de bono opere, ſi detur, nullo modo

oppo-

Digitized by Google

opponitur cum eius modi præſcientia, & longe minus, me iudice, eidem præſcientiæ opponitur tendentia illa diuina *Faciat hoc* per modum conſilij, & ſuaſionis. Quod videtur conſtare à paritate præcepti, quod modo imperatiuo idem dicat.

15 Ad confirmationem deſumptam ab oratione: reſpondeo: admittendo paritatem. Nego tamen, abſolute loquendo, non poſſe orationem fundi pro euentu aliquo, quem certo cognoſcimus non eſſe futurum. Aliter dicendum eſt de euentibus præteritis: nam oratio, niſi irregulari, & mira prouidentia, non exercet ſuas vires circa tempus præteritum, ſed circa futurum. Hæc igitur ratio eſt, quare non oramus pro rebus præteritis; non vero notitia de earum præteritione, quaſi notitia de non conſequutione obiecti petendi reddat impoſsibilem orationem.

16 Hoc probatur ab ipſa experientia, qua, licet nobis non conſtet aliquem, qui iam è viuis diſceſsit, damnatum fuiſſe, cum nos lateat, an tempore mortis Deus illi auxilium congruum præbuerit, vt actum perfectæ contritionis elicuerit; non tamen Deum oramus, vt illi auxilium efficax in vltimo inſtanti vitæ contulerit: quis enim orat pro ſuis parentibus iam defunctis, vt in gratia decedant? Nemo ſane, quem ego nouerim. Et tamen neſcimus an noſtri Parentes ſaluati, an damnati fuerint. Ergo non ratione certitudinis de euentu non futurò; ſed præciſſe ratione præteritionis ceſſat orario. Præterea: licet nobis conſtet plures damnandos eſſe; poſſumus tamen pro ſaluatione omnium orare. Sed in hoc caſu cognoſcimus certo hanc orationem, prout ad omnes extenditur, fruſtrandam eſſe, cum aliquis damnandus ſit. Ergo certitudo de euentu non futuro non impedit orationem, licet oratio impediatur ex præteritione. Cuius ratio eſt, quam ſupra dedi, nempe orationem, niſi de lege extraordinaria Dei, non acceptari, niſi in ordine ad futurum in tempore: ideoque cõmendari excellentiã meritorum Chriſti Domini, quia non ſolum ad euentus futuri temporis; verum etiam, & præteriti, ſuam vim, & efficaciam protendebunt.

17 Ad teſtimonium D. Aug. ſupra obiecti numero 3. reſpondeo: id dixiſſe Auguſtinum, non in ſenſu intento ab obijciente; ſed in alio longe diuerſo. Etenim Auguſtinus in illo cacapite agit contra errorem aſſerentium pœnas damnatorum poſt diem iudicij tandem finiendas eſſe propter Sanctorum orationes: abſoluerat enim Auguſtinus caput præcedens his verbis. *Vnde quia vita æterna Sanctorum ſine fine erit, ſuplicium*

clum quoque æternum finem non habebit. Ex hac propoſitione infert tunc reprobos non fore liberandos à ſuis pœnis propter Sanctorum orationes: neque ipſos Sanctos pro reprobis oraturos, vt à pœnis ſoluantur, quaſi, vel decretum diuinum fuiſſet reuocabile, vel non omnino abſolutum. In eodem igitur ſenſu negat orandum eſſe pro eis, qui certo, vt reprobi cognoſcuntur: hoc eſt: non eſſe orandum pro eis, vt Deus, vel mutet voluntatem, vel non adimpleat, quaſi non foret abſoluta. Minime vero loquitur Auguſtinus in ſenſu à nobis intento, videlicet, vt impediatur eorũ reprobatio.

18. Ad alia Scripturæ loca reſpondeo eodem modo: Deum prohibuiſſe orationem Samueli, & Hieremiæ, quatenus ab illis ad Deum fundebatur. Cæterum ipſi non Deum orabant, vt antecedenter impediret decretum de proiectione Saulis à regno, & deuaſtatione populi, exiſtimantes prædictum decretum iam exiſtere: de hac enim impeditione pro diuerſitate ſignorum exiſtimo antiquos Prophetas parum cogitaſſe. Sed putantes illud decretum non eſſe omnino abſolutum, ſed comminatorium, optabant, Deoque ennixe petebant, ne exequeretur quod comminatus fuerat: ſicut propter Niniuitarum pœnitentiam non ſequuta eſt ciuitatis euerſio: cuius terror, minacibus Ionæ Prophetæ verbis incuſus, Niniuitas inuaſit, & eorum animos ad pœnitẽtiã inſexit.

19. Ad ſecundum argumentum, ex deſiderio petitum, reſpondeo præſcientiam de euentu abſolute non futuro impedire deſiderium efficax prudens de illo euentu; non vero deſiderium inefficax, quamvis verum, & ſincerum: non enim eſt contra prudentiam diuinam cõcipere libere deſiderium cum præſcientia de eius fruſtratione, quando huiuſmodi deſiderium, ne affectiue quidem eſt efficax reſpectu ſui obiecti. Hoc confirmatur: quia prudenter, & meritorie deſideramus nullum hominem peccare; & tamen ſcimus, iuxta illud *neceſſe eſt, vt veniant ſcandala* aliquem peccaturũ, conſequenterque hoc deſiderium fruſtrandum eſſe, & idem dico de deſiderio vitandi omnia peccata venialia. Ergo non eſt contra prudentiam habere deſiderium inefficax, quamtumvis ſerium, & ſincerum, cum præſcientia de eius fruſtratione.

20. Ad paritatem deſumptam ab ſpe, omitto (non enim eſt huius loci exacta eius diſcuſio) non poſſe componi ſpem cum certitudine de non futuritione euentus. Nego tamen recte ſumi paritatem ad deſiderium inefficax: ſpes enim addit ſpecialem modum tendendi, quem non habet deſiderium inefficax à nobis

nobis explicatum: imo poteſt dici actum ſpei eſſe voluntatem efficacem affectiue. Quæ ergo paritas intercedere poteſt inter affectus, quorum vnus efficax; alter autem inefficax eſt.

21 Ad tertium argumentum, quod validiſsimum ab aduerſarijs reputatur, reſpondeo ex doctrina ſupra ſtabilita, duplicem eſſe conatum: alium efficacem affectiue, alium inefficacem, licet ſerium, & ſincerum. De ratione conatus affectiue efficacis eſt non poſſe coniungi cum præſcientia ſuæ fruſtrationis. At vero de ratione conatus inefficacis non eſt ita non poſſe coniungi. Nec video aliquam rationem afferri pro hac impoſsibilitate, præter terminorum propoſitionem. Cæterum neſcio quo iure, ſemel admiſſa in Deo voluntate inefficaci cum præſcientia ſuæ fruſtrationis, cur non poſsit ſimiliter admitti conatus inefficax cum eiuſdem fruſtrationis præſcientia: præſertim cum omnis intentio, ſiue efficax, ſiue inefficax, aliquis conatus ſit in obiectum intentum.

22 Dices aduerſus has ſolutiones: non poſſe apponi medium in ordine ad finem ex intentione præciſſe inefficaci, ſed debere intentionem eſſe efficacem: quia, qui iam progreditur ad ponenda media, videtur deſiderare efficaciter finem.

23 Verum hoc falſum eſt: quia non omnis, qui ponit medium ad finem, ponit illud medium, quod iudicat determinate, & certo obtenturum eſſe finem, quamuis habeat tale medium. Etenim poteſt cognoſcere eſſe duo media conducentia ad finem: ex quibus medium A certo obtinebit finem; verum nimis difficile, & aſperum ſit, & pluribus incommodis obnoxium; medium autem B cognoſcitur talis eſſe naturæ, vt tantum probabile ſit cum illo finem eſſe conſequendum; eſt tamen medium facile, nulliſque damnis, aut incommodis patens. His cognitionibus aliquis inſtructus poteſt eligere medium B, omiſſo medio A: ita vt ſimul, adeo tepide erga finem afficiatur, vt apud ſe ſtatuat hac ratione. *Non eligerem medium A adeo arduum, & aſperum, quamuis certus eſſem nullum aliud mihi ſuppetere: nunc autem appono medium B quia forte cum fine coniungetur.* Hic affectus finis apud omnes inefficax eſt, cum ex vi illius non ſit paratus, qui illum habet ad ponendum aliud medium, quod neceſſarium reputetur. Ergo ex intentione inefficaci poteſt apponi medium ad finem.

24 Dices 2. conatum per aliquod medium ſaltem inuoluere quod ponantur media, de quibus certo non conſtet eſſe fruſtranda, cum ex ipſa experientia conſtet nullum prudentem ad conſequendum finem adhibere conatum, quem ad eam conſequu-

tio-

tionem clare videt futurum eſſe inanem: quemadmodum experimur nullum ſperare bonum illud eſſe euenturum, quod euidenter cernit euenturum non eſſe.

25 Reſpondeo diſparem eſſe rationem inter Deum, & homines: homines enim nunquam adhibent conatum apponendo media in ordine ad finem, niſi ſuperando aliquam difficultatem, & ad ſuperandam difficultatem requiritur aliqua ſpes alliciens, & mouens: hoc eſt cognitio alicuius boni, vt ſaltem forte futuri. At vero Deus cum abſque omni prorſus difficultate conatum adhibeat, non requirit aliquam ſpem, quæ difficultatem emolliat. Ex quo fit, quod ſi homo nullam difficultatem in adhibendo conatu experiretur, poſſet prudentiſsime illum adhibere cum præſcientia fruſtrationis illius. Ad id, quod vltimo additur de ſpe iam in ſuperioribus diximus.

26 Ob. 4. à paritate hac ratione. Neceſſarium eſt ex lege Dei non peccare mortaliter in vltimo inſtanti vitæ ad conſequendam vitam æternam. Rurſus, vt ex auxilio A procedat bona operatio, neceſſe eſt non dari in circunſtantijs, quibus infallibile eſt non eſſe coniungendum cum bona operatione. Sed propter primum non vult ſerio ſaluari, qui peccat mortaliter in vltimo inſtanti vitæ cognoſcens tale peccatum coniungendum eſſe cum æterna damnatione. Ergo, propter poſtremum, non vult ſerio procedere bonam operationem ex auxilio A, qui confert illud in prædictis circunſtantijs, ſciens non eſſe coniungendum cum bona operatione.

27 Reſpondeo aſsignando diſparitatem inter Deum vocantem auxilio cognito vt coniungendo cum peccato, & hominem committentem peccatum cognitum vt coniungendum cum æterna damnatione. Stat ergo diſparitas in eo, quod Deus ponendo auxilium inefficax, ponit ſufficientiam, ita vt Deo debeatur, quod homo poſsit elicere conſenſum, & ei defectus conſenſus humani tribui non poſsit, quia ad nihil amplius tenetur, quam ad ſufficientiam homini præſtandam. At vero homo, quando ponit peccatum, nihil ponit conducens ad conſequendam ſaluationem: imò ponit quod ex natura rei mouet, vt illi denegetur: quapropter nullum adhibet medium, vt ſaluetur; ſubindeque fiat per illum non ſaluari: ſiquidem tenebatur ad ponenda media, quæ minime ponit. Præterea: quando homo peccat in vltimo inſtanti vitæ tollit quod eſt neceſſarium vt immediate mouens, alliciens, & efficiens moraliter gloriam. At vero, quando Deus non dat auxilium in

eis

proinde quemlibet præſcitum trahit Pater quantum in ſe eſt, vt incipiat venire ad Chriſtum. Et iterum ibi, *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo*: Ergo datur à Patre poſſe homines venire ad Chriſtum. Ergo qualibet ſufficientia veniendi ad Chriſtum per opera ſalutaria datur à Patre. Ergo datur à Patre ſufficientia, quam habet reprobus in vltimo inſtanti vitæ. At à Patre non datur, niſi beneficium, quo dato poteſt homo accedere ad Chriſtum. Ergo ſufficientia, quam habet tum reprobus in vltimo inſtanti vitæ, tum quilibet diſſentiens in inſtanti, in quo poteſt ſalutariter conſentire, eſt beneficium. Idem patet ex Proſpero lib.2. de vocat. gentium cap.13. per hæc verba. *Quæ beneficia, licet obduratis nihil remedij, & emendationis attulerint*, &c. Ergo dantur beneficia, quæ obduratis nihil remedij, & emendationis afferant. Hæc ſunt auxilia ſufficientia collata reprobis. Ergo auxilia ſufficientia collata reprobis ſunt beneficia Dei.

31 Quod autem collatio horum auxiliorum non impediatur à præſcientia mali euentus, quo minus ſit beneficium, & donum miſericordiæ Dei, conſtat ex Hieronymo dialogo 3. contra Pelagianos colum.5. vbi hæc habet. *Tantæ bonitatis eſt, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & ſcit malum futurum, dans ei poteſtatem conuerſionis, & pænitentiæ iuxta illum ſenſum Apoſtoli: ignoras quia benignitas Dei ad pænitentiam te adducit*. Eodem modo loquitur Chriſoſtom. homil. 38. in Matth. *Deus enim, quamuis ſciat nihil boni vos facturos; cura tamen, ac prouidentia ſumma erga vos vtitur ita, vt etiam his, qui impudentiſſimi ſunt, ne vmbram quidem dubiæ, atque ingratæ dubitationis relinquat.*

32 Verum, quamvis hæc ita vera ſint, non parum laborant Theologi, vt explicent, qua ratione Deus benefice ſe gerat in collatione auxilij, præſciens illius inefficaciam, necnon æternam damnationem eſſe ſequuturam. Etenim videtur non eſſe beneficiũ conferre donum homini v. g. Petro præſciendo illud donum adeo exitiale Petro fore, vt illi æternam mortẽ ſit allaturum. Qua enim ratione eſt Petri beneficium auxilium in circunſtantijs, in quibus melius Petro eſſet prædicto auxilio carere? Ob hanc, & alias rationes, quas infra efficacius ſubijciemus, negant aliqui Deum poſſe ex Scientia Media ad auxiliorum collationem dirigi. Alij vero media via incedunt. Aliquos hic breuiter refellemus.

teſtas impediendi hanc voluntatem non ſe retrahendi per voluntatem immediate indiuiſibiliter volentem ſe retrahere, & ſe retrahentem, eſt poteſtas immediata ſe retrahendi. Sed voluntas non ſe retrahendi non tollit poteſtatem immediatam impediendi voluntatem ſupra aſsignatam per voluntatem indiuiſibiliter, & ſe volentem retrahere, & ſe retrahentem. Ergo hæc voluntas non tollit poteſtatem immediatam ſe retrahendi. Conſequentia eſt legitima, & maior certa: quia poteſtas immediata impediendi decretum per retractionem eſt poteſtas immediata ad retractionem. Minorem vero: nempe decretum ab aduerſarijs aſsignatum non tollere poteſtatem impediēdi illud per aliud decretum, per quod Deus indiuiſibiliter, & ſe retrahat ex inefficacia auxilij, & ſimul velit, ſe retrahere, probo. Ex parte libertatis immediatæ, vt Deus concipiat huiuſmodi decretum de retractione, quod decretum ſit ſimul non retractio, non ſe tenet carentia nolitionis ſe retrahendi. Ergo decretum de non ſe retrahendo non tollit poteſtatem immediatam ſe retrahendi.

36 Verum quia hæc eſt eadem difficultas, ac quæ communiter examinatur circa libertatem immediatam actus imperati, & hæc difficultas accuratius examen deſiderat: ex alio capite hæc doctrina impugnatur.

37 Sic igitur argumentor 2. Deum velle non ſe retrahere ab inefficacia, quo minus conferat auxilium, eidem beneuolentiæ opponitur, cui opponitur conferre auxilium, non ſe retrahendo, cum immediatè poſsit. Ergo ſicut hoc ſecundū negatur, attēta diuina beneuolētia: propter eādē rationē debet negari illud primū. Antecedens probatur. Idem motiuum, quod auertit Deum à collatione auxilij, ſuadet ne habeat voluntatem de nō ſe retrahendo. Ergo contra idē obiectum operatur Deus, dum confert auxilium non ſe retrahendo, contra quod operatur dum vult non ſe retrahere. Probatur antecedens. Idem motiuum, quod retardat hominem v.g. à furto, idem ipſum ſuadet eadem vi, ne habeat voluntatem de non ſe retrahendo propter illud motiuum à peccato furti, vt eſt notum. Ergo pariter in noſtro caſu.

38 Declaratur hæc ratio. Cum furari ſit peccatum propter iniuſtitiam, quæ committitur, & quia iuſtitia prohibet furari; pariter peccatum eſt hab[illegible] voluntatem efficacem de non ſe retrahendo à furto ex m[illegible] ſtitiæ. Ergo idem motiuū, quod ſuadet non furari, ſuadet qu[illegible] ne habeatur illa voluntas reflexa de non ſe retrahendo ex motiuo iuſtiti[illegible]; alioqui nolle ſe retrahere

non eſſet contra iuſtitiam. Ergo eadem oppoſitio, quæ eſſet contra beneuolentiam Dei in collatione auxilij præuiſi inefficacis in ſigno immediatè antecedenti, erit ſimiliter in voluntate de non ſe retrahendo à collatione auxilij ex illo motiuo. Primum antecedens probatur. Si voluntas de non ſe retrahendo à furto ex motiuo iuſtitiæ non eſſet peccatum iniuſtitiæ, facilis eſſet, & compendioſa via ad furandum ſine peccato: habendo, nimirum, prius illam voluntatem non ſe retrahendi à furto ex motiuo iuſtitiæ: quia neque eſſet peccatum in voluntate de non ſe retrahendo, nec poſtea in ipſa voluntate formali: quia cum iam ratio iuſtitiæ non eſſet in ſigno apto ad retardandum, neque ad mouendum: non poſſet imputari homini quod ei rationi opponeretur. Ergo neque peccaret in ſigno voluntatis reflexæ de non ſe retrahendo, vt videris ſupponere: neque in ſigno furti non ſe retrahendo: quando quidem iam reſpectu huius ſigni motiuum iuſtitiæ ſuam vim exercere non valet.

39 Ab oppoſito etiam confirmatur eadem ratio: quia ſi rationes, quæ retardant ab aliqua actione, non ſimiliter retardarent ab affectu efficaci de non ſe retrahendo ex illis rationibus, nulla eſſet difficultas in vincenda qualibet tentatione. V.g. de non ignoſcendo offenſore: quia poſſet homo prius habere hanc voluntatem reflexam, *Nolo me retrahere ab ignoſcendo ex dolore iniuriæ.* Quæ voluntas non vincit difficultatem ignoſcendi inimico ſecundum hanc doctrinam: quia quod retrahit à voluntate directè ignoſcente inimico non retrahit ab hac voluntate reflexa. Deinde ſuppoſita hac voluntate efficaci de non ſe retrahendo ex dolore iniuriæ, iniuria, & eius dolor non ſunt in ſigno apto ad retrahendum ab ignoſcendo. Ergo abſque difficultate orta ex dolore iniuriæ poterit homo, quantumvis iniuriæ dolore percitus, ignoſcere inimico. Cum igitur hoc ex terminis ipſis falſum ſit, id circo erit, quia omnia motiua, quæ contra aliquam militant voluntatem, militant ſimiliter contra voluntatem reflexam de non ſe retrahendo ex illis motiuis. Ergo eadem beneuolentia, idemque ſerium deſiderium ſalutis æternæ illius, qui vocatur, quæ Deum retrahunt à collatione auxilij præ[illegible] inefficacis, retrahunt ipſum à voluntate non ſe retrahe[illegible] illis motiuis à tali collatione.

40 Argumentor 3. Si ſem[illegible] Deus ex beneuolentia erga

erga Iudam teneretur illi impedire damnum, perinde, ac homo tenetur alteri homini damnum præcauere, non ſolum imputaretur Deo damnum præuiſum in ſigno immediato ad collationem; verumetiam damnum præuiſſum in ſigno mediato reſpectu eiuſdem inſtantis realis. Ergo, licet Deus ratione illius voluntatis reflexæ de non ſe retrahendo, non præuideret in ſigno immediato ad collationem auxilij inefficacis damnum ſequuturum; cum tamen illud præuideret in ſigno mediato, imputaretur illi prædictum damnum. Antecedens, in quo ſtat difficultas, probatur à paritate mihi efficaci. Qui præberet enſem alicui, quem ſcit ſe cum illo interfecturum, quamvis pro ſigno immediato ad oblationem enſis haberet voluntatem efficacem non ſe retrahendi à dando enſe ex præuiſsione illius mortis, & per hanc voluntatem redderetur præuiſsio mortis inepta ad retrahendum; ſufficeret nihilominus poſſe retrahi pro ſigno anteriori, vt illi imputaretur mors: alioqui, quamvis homo præuideat quodlibet damnum, ex eo præcisè, quod nolit ſe retrahere ex notitia illius, non illi imputabitur. Ergo non ſolum damnum præuiſſum in ſigno immediato ad occaſionem; verum etiam in ſigno mediato, ſufficit vt damnum imputetur ponenti illam ocaſionem. Ergo etiam in caſu auxilij inefficacis, niſi ex alio capite excuſetur Deus ab obligatione euitandi peccatum.

41 Ex quibus infertur quod licet Deus poſsit velle non ſe retrahere à cognitione inefficaciæ, quo minus velit conferre auxilium; attamen non poteſt velle non ſe retrahere à voluntate beneuola (ex ſuppoſitione quod ex alio capite non excuſetur ab obligatione impediendi peccatum hominis) quia eo ipſo quod præuideat in inſtanti collationis damnum antecedenter, ſiuè mediatè, ſiuè immediatè, ſufficienti modo, vt ex tali præuiſsione poſſit retrahi, titulus datur, vt ei damnum imputetur: niſi, vt ſæpe dixi, ob aliam rationem ab obligatione impediendi damnum eximatur. Præter quam quod ipſa voluntas non ſe retrahendi ex cognitione damni eſt voluntas non attendendi ad vtilitatem illius, quæ voluntas nequit componi cum voluntate benefaciendi.

42 P. Bernardus de Aldrete tract. de Prædeſtinat. diſput. 11. ſect. 7. & 8. aliter tentat hanc difficultatem expedire. Pro cuius doctrinæ explicatione ſupponendum eſt

G 2 Deum

Deum (apud hunc anthorem) non ſolum habere Scientiam Mediam de ſuis actibus liberis ; verum etiam hanc Scientiam Mediam identificari virtualiter cum Scientia Media aliorum obiectorum: qua ptopter cenſet per eundem virtualiter actum Deum cognoſcere euentum auxiliorum, & etiam quid ipſe Deus facturus, & decreturus ſit, ſi detur hæc, vel illa hypotheſis. Hoc ſuppoſito docet Deum inſtructum Scientia Media, de inefficacia auxilij A poſſe habere aliquam complacentiam inefficacem, qua velit dare auxilium A ex fine boni operis : quia licet Scientia de inefficacia auxilij A incomponibilis ſit cum voluntate conferente de facto auxilium A ex fine conſenſus ; non tamen eſt incomponibilis cum affectu inefficaci eiuſdem auxilij ob finem conſenſus: vel (maioris claritatis gratia) cum affectu inefficaci habente pro obiecto voluntatem conferentem auxilium A ex fine conſenſus.

43 Hæc complacentia ſimplex, ſiuê hæc voluntas inefficax voluntatis conferentis auxilium A ex fine conſenſus, inclinat in eam voluntatem efficacem: qua propter intellecta iam hac complacentia inefficaci, debet intelligi in Deo aliqua poteſtas ſaltem inadæquata ad voluntatem collatiuam auxilij ex fine conſenſus: alioqui hæc inclinatio non poſſet coniungi cum voluntate illa collatiua, ad quam voluntatem inclinat. Si ergo Deus poſita hac complacentia collaturus eſt auxilium A ex fine conſenſus, habebit Deus Scientiam Mediam ita enuntiantem. *Si habuero voluntatem inefficacem voluntatis collatiuæ auxilij A, conferam auxilium A ex fine conſenſus*. Si vero non collaturus ſit, habebit Scientiam oppoſitam.

44 Verum cum omnis Scientia Media ſit vnica virtualiter formalitas, fiet inde, quod, ſi collaturus ſit Deus illud auxilium ſub hypotheſi illius complacentiæ, per eandem Scientiam Mediam attingat Deus, tum inefficaciam auxilij A (ſupponimus enim eſſe inefficax) tum quod Deus collaturus ſit illud auxilium A ex fine conſenſus, ſi habeat complacentiam erga eam voluntatem collatiuam.

45 Ex his infert in ſigno libertatis ad illam voluntatem collatiuam auxilij A ex fine conſenſus, (quam libertatem ingreditur illa complacentia) non poſſe intelligi Scientiam Mediam inefficaciæ auxilij A: quod ex dictis manifeſtè conuincitur. Etenim in ſigno libertatis ad voluntatem collatiuam auxilij A ex fine conſenſus non poteſt intelligi Scien-

Scientia Media de eo, quod, ſi detur talis libertas conſtituta per illam complacentiam, dabitur voluntas collatiua auxilij A ex fine conſenſus. Sed Scientia Media de inefficacia auxilij A eſt eadem virtualiter, vt conſtat ex prima ſuppoſitione, cum Scientia Media de voluntate collatiua auxilij, ex ſuppoſitione illius complacentiæ, ſiue libertatis conſtitutæ per illam. Ergo Scientia Media de inefficacia auxilij non intelligitur in ſigno libertatis conſtitutæ per illam complacentiam ad concipiendam voluntatem collatiuam auxilij. Conſequentia eſt bona, & minor iam in antecedentibus ſuppoſita. Maior vero eſt euidens: quia Scientia Media de euentu ſub conditione libertatis, & ipſa libertas, ſunt quid connexum cum euentu: qua propter, ſi libertas includeret Scientiam de euentu ſub conditione libertatis; eſſet libertas connexa cum euentu: quod eſt implicatorium: nam de ratione libertatis eſt indifferentia ad vtrumlibet.

46 Hac ratione componit hic author collationem auxilij inefficacis, & eſſe beneficium, & poſſe eſſe ſerio ex fine conſenſus: quia pro priori ad eam voluntatem collatiuam minime intelligitur Scientia de inefficacia: conſequenterque Scientia, quam Deus habet de inefficacia auxilij A, non eſt in ſigno apto ad retrahendum Deum à voluntate collatiua auxilij A ex fine conſenſus, nec ad auferendam rationem beneficij à collatione auxilij inefficacis.

47 Plura ſunt in hac explicatione, quæ mihi maximopere diſplicent: qua propter eam reputo non ſolum falſam; verum impeditiſsimam, alienamque à recto ſenſu circa plures Theologicas veritates. Breuiſsime vnam, vel alteram impugnationem perſtringam.

48 Primo falſum eſt, ex ſuppoſitione quod Deus habeat Scientiam Mediam ſuorum decretorum ante omne exercitium ſuæ libertatis, hanc Scientiam Mediam identificari virtualiter cum Scientia Media actuum creaturarum. Etenim ſi ea identitas virtualis daretur, tolleretur, vel libertas diuina ad collationem auxilij efficacis, annuendo orationibus fidelium, vel directio Scientiæ Mediæ efficaciæ auxilij ad eius collationem. Quod ſic oſtendo. Supponamus Petrum petere à Deo in inſtanti A, quod ipſi cōferat perſeuerantiam finalem, hoc eſt auxilium efficax in vltimo inſtanti vitæ. Vt Deus annuat huic orationi, debet moueri ex ea, vt abſolute præuiſa, ad conferendum auxilium, quod præuidet efficax. Ergo in ſigno libertatis ad hoc auxilium conferendum an-

50 Secundo diſplicet mihi hæc cogitatio, quatenus abſolute aſſerit Deum conferre auxilium inefficax de facto ſine directione Scientiæ Mediæ. Etenim hoc non eſt ſatisfacere; ſed cedere difficultati: non enim ſaluatur perfecta Dei prouidentia abſque hac Scientiæ Mediæ prælucentia: præſertim quia etiam poſſet Deus in caſu efficaciæ auxilij habere ſimiliter complacentiam in collatione auxilij ex fine conſenſus: in quo caſu ob eandem rationem poſſet Deus conferre auxilium efficax ex intentione cōſenſus abſque directione Scientiæ Mediæ efficaciæ. Cæterum concedere Deo poſſe omnibus hominibus tribuere auxilia, ſiue efficacia, ſiue inefficacia abſque directione Scientiæ Mediæ, eſt Deo concedere modum operandi cæcum, & caſuale. Verum de hoc iam diximus in ſuperioribus.

SECT. V.

Explicatur noſtra ſententia.

51 VT clarius procedamus, præmittendum eſt quid ad rationem beneficij requiratur. Dico ergo ad beneficium requiri quod conferatur aliquid ex ſe bonum, per quod, qui confert, non afferat tantum mali, quantum confert boni. Explicatur. Tunc aliquis dicitur benefacere alicui, quando, ita ſe gerit cum illo, vt magis illi proſit, quam noceat. Sed qui confert v.g. Petro aliquid ex ſe bonum, per quod non affert Petro tantum mali, quantum confert boni, magis prodeſt, quam nocet Petro. Ergo qui confert bonum Petro, per quod non infert Petro tantū mali, quantum affert boni, benefacit Petro. Conſequentia eſt legitima, & maior naturæ lumine nota. Minor etiam videtur certa; quia qui confert bonum, & non affert tantumdem mali, plus fauet, quam nocet; cum inferre malum ſit nocere, & conferre bonum ſit benefacere, & fauere. Ergo qui confert bonum, per quod non infert Petro tantum mali, quantum affert boni, benefacit Petro.

52 Deinde Deus, quando confert auxilium inefficax Iudæ v.g. confert aliquid ex ſe bonum: & præterea per hoc auxilium non infert Iudæ tantumdem mali, quantum confert boni. Ergo Deus benefacit Iudæ conferendo auxilium inefficax. Hæc minor probatur. In primis certum eſt auxilium inefficax

eſſe in ſe aliquid bonum: eſt enim gratia ſupernaturalis conducens in vitam æternam. Iam vero Deum per auxilium inefficax non inferre Iudæ tantum mali, quantum confert boni, probatur. Si aliquid mali inferret, maxime prauum diſſenſum, quatenus aliquo modo imputaretur Deo tribuenti auxilium in circunſtantijs, in quibus præuidet Iudam diſſenſurum. Sed hoc non ſufficit, vt aliquomodo diſſenſus Iudæ Deo imputetur. Ergo Deus conferendo auxilium in his circunſtantijs, nihil mali infert Iudæ. Conſequentia eſt bona, & maior videtur certa: ſi enim Deo nullo modo imputetur Iudæ peccatum, nihil reſtabit mali, quod poſsit dici per auxilium inferri, ſeu cauſari.

53 Minor, in qua conſiſtit difficultas, probatur. In hoc caſu eatenus poſſet imputari Deo diſſenſus Iudæ, quatenus Deus non impediret illum diſſenſum, cum poſſet, negando auxilium ſufficiens, quod præuidet fore inefficax. Sed non impedire diſſenſum hoc modo, non ſufficit, vt imputetur Deo diſſenſus. Ergo in hoc caſu nequit imputari Deo diſſenſus. Maior eſt doctrina aduerſariorum, & conſequentia eſt legitima. Minor probatur. Qui non tenetur vitare aliquod damnum, non eſt cauſa moralis illius damni, cum illud non vitat, neque illud damnum illi imputatur. Sed Deus non tenetur vitare culpam, negando auxilium ſufficiens, quando præuidet eius inefficaciam. Ergo Deus non eſt cauſa culpæ, & diſſenſus Iudæ, neque prædictus diſſenſus imputatur Deo, quamvis conferat auxilium ſufficiens, præuidens ſuam inefficaciam. Maior eſt certa: qui enim non tenetur vitare nauis ſubverſionem, non cenſetur ſubverſionis cauſa, quamvis naui periclitanti non ſubveniat. Idem dicendum eſt de fœmina, quæ, quia non tenetur domi manenere, & templum ad audiendum ſacrum non adire, quamvis præuideat à iuuene turpiter amandam, non ideo cenſetur cauſa moralis lapſus alterius: & tamen poterat illum lapſum domi manendo impedire. Ergo damnum, & culpa, illi ſolum imputantur, qui, cum teneatur, ea non impedit.

54 Quod autem Deus non teneatur impedire culpas hominum negando libertatem, dum præuidet ex ea libertate fore vt culpæ ſequantur, certum omnino eſt: quia ratione ſupremi dominij ab hac obligatione immunis eſſe debet. Hoc conſtat ex conſenſu tot Patrum, qui rationem conantur reddere, quare Deus Angelum, & homines creauerit, quos peccaturos eſſe cognouerat? Quare mundum condiderit, tum tot flagitia perpetranda eſſe præſciuiſſet? Et ex pluribus alijs huius generis quæſtionibus,

guas

quas Eccleſiæ Patres, & ſibi obijciunt, & obiectas diſſoluunt.

55 Hinc patet diſparitas, quare homo non ſit beneficus reſpectu alterius conferendo enſem, quo in ſui perniciem vſurum præcognoſcit; & tamen Deus beneficus ſit reſpectu Iudæ conferendo illi auxilium, quo in ſui damnum præuidet abuſurum. Ratio diſparitatis ex doctrina tradita ſatis aperte deducitur. Ea igitur eſt, Ioannem donantem Petro enſem cognoſcendo illo male vſurũ conferre Petro aliquid ex ſe bonum; ita tamen, vt Ioannes per illud donum cauſet Petro maius malum, quam eſt bonum, quod illi confert: nam Ioannes eſt cauſa moralis mali vſus illius enſis, quia tenetur illud damnum euitare. Qua propter, licet cõferat aliquod bonum Petro; influit in aliud, quod eſt malum ipſi Petro: nempe influit in peccatum mali vſus: qui influxus conſiſtit in donatione enſis cum illa præſcientia, & ſimul cum obligatione illum non donandi, ſiue illud malum euitandi.

56 Cum vero Deus, quamvis præſcientiam mali vſus auxilij habeat; careat tamen obligatione vitandi illud malum: & influxus in malum vſum, quando non impeditur, vltra non impeditionem, addat inſuper obligationem ad huiuſmodi impeditionem: fit ex his Deum eſſe cauſam boni, nempe auxilij, quin ſit cauſa mali, nimirum mali vſus illius; Petrum vero cauſam eſſe boni, nempe poſſeſsionis enſis; ſed cauſando moraliter maximum malũ: hoc eſt malum vſum enſis: quando quidem ratione non impeditionis, & obligationis ad impeditionem, influit moraliter in prauum vſum. Quare Deus magis fauet, quam nocet Iudæ; Ioannes vero plus longe nocet, quam fauet Petro.

57 Inſtabis. Deus conferens auxilium inefficax Iudæ eſt neceſsitatus ad conferendum auxilium in circunſtantijs, in quibus eſt inefficax, vel impediendum peccatum Iudæ per negationem auxilij ſufficientis. Sed Deus ita neceſsitatus non eſt beneficus erga Iudam, conferendo auxilium ſufficiens. Ergo Deus conferens auxilium ſufficiens Iudæ, non eſt beneficus erga Iudam. Conſequentia eſt bona, & maior certa. Minor probatur. Ex his duobus bonis, nempe ſufficientia ad recte operandum in circunſtantijs, in quibus futura eſt inefficacia, & impeditione peccati melior eſt impeditio peccati, quam ſufficientia ad bene operandum. Sed qui neceſsitatus eſt ad conferendum vnum ẽ duobus bonis æqualibus, nõ eſt beneficus in collatione minoris. Ergo Deus neceſsitatus ad ſufficientiã operis in circunſtantijs inefficaciæ, vel ad impeditionẽ peccati, non eſt beneficus in collatione ſufficientiæ in illis circunſtantijs.

58. Ma-

cato: qua ratione non cauſatur à Deo, concedo maiorem. Ad probationem maioris diſtinguo etiam maiorem. Ex eo Ioannes tenetur ad non prabendum enſem Petro in circunſtantijs mali vſus futuri, quia melior eſt impeditio, quam ſufficientia ad bonum vſum, ſumpta ſufficientia in circunſtantijs ſpecificatiue: nego: reduplicatiue ſub diſtinguo: eo præciſe, nego: eo, & quia malus vſus enſis cauſatur à Ioanne præbendo enſem Petro: concedo maiorem. Et iuxta hanc doctrinam, reliquæ propoſitiones intelligendæ ſunt.

62 Inſtabis 2. Maximum beneficium eſt Deum rapere iuſtum, quem præuidet lapſurum, ſi diutius viuat: & ideo commendatur bonitas diuina, necnō eius voluntas erga iuſtum prope ra morte præreptum, iuxta illud Sapient.4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius*. Ergo non eſt æquale beneficium prorogare illi vitam, & ſufficientiam ad bene, & male operandum. Ergo neque eſt beneficium collatio auxilij ſufficientis cum præſcientia peccati: ſiquidem oppoſitum eſt maximum beneficium: qui autem eſt neceſſitatus ad conferendum vnum è duobus, nequit eſſe beneficus, niſi melius ſe gerat cum donatorio conferendo vnum, quam conferendo oppoſitum. Vel ergo melius ſe gereret, cum homine Deus nō negando auxilium ſufficiens, quam tollendo eum è medio, ne peccet: & hac ratione non erit beneficium rapere iuſtum, ne malitia mutet intellectum: vel potius è contra: & hoc modo non erit beneficium auxilium ſufficiens: vel æque bene ſe gereret: & ſi hoc ſit, neutro modo ſe benefactorem exhibebit.

63 Reſpondeo dupliciter poſſe Deum negare auxilium ſufficiens: vel ex intentione impediendi peccatum homini, quem diligit, vel ob aliud motiuum adæquate diſtinctum à benefaciendo illi homini. Si primo modo, erit Deus maxime beneficus: quia impedit homini ex illius amore maximum malum: & hoc eſt formaliſsime benefacere: imo maius erit beneficium hoc, quam collatio auxilij ſufficientis: ſi ſecundo modo neget Deus auxilium ſufficiens, non erit beneficus: quia licet re vera impediat peccatum; non tamen illud impedit amando impeditionem, vt bonam homini: qua propter non habet rationem benefactoris; quia non habet pro motiuo formali benefacere.

64 Quando igitur Deus confert auxilium ſufficiens non eſt beneficus, quia melius ſe gerat cum homine illud

tri-

tribuendo, quam ſe gereret illud conferendo ex motiuo impediendi illimitum culpæ; ſed quia melius ſe gerit, quam ſe gereret ſi negaret auxilium ſufficiens ex alio motiuo diſtincto omnino à benefaciendo: quod ſufficit, vt abſolute & ſimpliciter beneficus ſit in collatione auxilij inefficacis.

65 Inſtabis 3. Supponamus reum aliquem ad capitalem pœnam à iudice quæri. Si Petrus eum in ſuam inuitet domum, vt cœnet, certiſsime præſciens eum ibi à iudice comprehendendum, poſteaque vltimo afficiendum ſupplicio, nemo dicet eum eſſe beneficum erga reum illum: & nihilominus eum ad cœnam inuitare bonum eſt: deindeque Petrus non tenetur illi impedire malum pœnæ, ob ſua flagitia infligendæ: quapropter neque phyſice, neque moraliter imputatiue cauſat illi mortem. Ergo non ſufficiunt ad beneficium hæc duo, ſed vlterius requiritur, quod non præuideatur ſequuturum damnum præponderans bono, quod confertur. Non ergo aſsignamus ſufficiens fundamentum, vt Deus in collatione auxilij inefficacis ſe benefactorem exhibeat.

66 Triplici modo poteſt aliquid eſſe cauſa: vel phyſice, vel imputabiliter philoſophice, vel imputabiliter Theologice. Primo modo carnifex eſt cauſa mortis, licet carnifici non imputetur ad culpam. Secundo modo eſt cauſa Iudex: quia licet phyſice non occidat, imputabiliter philoſophice occidit; tametſi non ei imputetur ad culpam. Tertio modo eſt cauſa mortis qui non ſubuenit extreme periclitanti, cum ad id teneatur. Vt igitur aliquis ſit cauſa peccati, aliquo ex his tribus modis debet in illud influere. Hoc ſuppoſito.

67 Reſpondeo quod, ſi his, qui reum inuitauit ad cœnam, conſtituit reum in diſcrimen, à quo reus non ſe poſſet liberare, quãtumvis vellet, tunc, qui eum inuitauit, non eſſe beneficus, quia licet non eſſet cauſa mortis illius imputabiliter ad culpam, eſſet tamen imputabiliter philoſophice, modo quo Iudex eum iubens affici extremo ſupplicio. Si vero reus pro ſua libertate ſe fineret comprehendi, cum poſſet elabi, tunc, qui eum inuitauit, nulla ratione eſſet cauſa ſuæ mortis, cum non teneretur eam euitare: conſequenterque ſi reũ inuitaret ſine odio, & nullatenus ex intentione eum tradendi iudici, licet præſciret comprehendendum fore, dummodo præſciret id eventurum pro ipſius delinquentis voluntate: in tali in quam caſu, qui eum inuitaret, vt cibum caperet, quo indigebat, benefice ſe gereret cum illo.

68 Obijc. 2. Non poteſt eſſe beneficium elargitio rei, cu-

ius

ius carentiam ego prudentiſsimè mallem: atqui nemo prudenter mallet auxilium inefficax, quam eius carentiam, quin potius deberet à Deo petere carentiam libertatis, ne potiretur illa interventu auxilij inefficacis: igitur auxilium inefficax nequit eſſe Dei beneficium: nam contra rationem beneficij eſt, quod, qui illud recipit, potius æſtimare debeat illo carere, quàm ipſum recipere.

69 Reſp. 1. nondum mihi ſatis exploratum eſſe poſſe rationabiliter Iudam v.g. ſuppoſito, quod cognoſceret ſe abuſurum auxilio ſupernaturali, ſi illi conferretur, prudentius deſiderare, ne illi tribueretur, poſſeque prudentius Deum orare, ne illum auxilio ſupernaturali vocaret. Hoc autem mihi certum non eſt: imò in partem oppoſitam vehementer inclino: quia, ſi Deus mihi reuelaret, quod ſi Deus adeo me amaret, vt propter me in terram deſcenderet, mortem ſubiret, & alijs ſignis, & beneficijs ſuum erga me amorem oſtenderet, ego committerem peccatum ingratitudinis, quo hunc amorem, & hæc beneficia paruipendens, nollem Deo gratias pro tam eximio amore, & beneficijs referri, poſita hac reuelatione, non facile credam poſſe me rationabilius petere à Deo, ne me diligeret ex toto corde, ne pro me carnem aſſumeret, & mortem ſubiret. Quis enim poterit rationabilius optare carentiam amoris diuini; ne dum à Deo illam poſtulere? Difficile credam hûc affectum magis rationi conſentaneum eſſe.

70 Rationabilius apparet hominem illum, cui Deus reuelat diſſenſum futurum, ſub conditione auxilij A, non poſſe rationabilius optare, ne ſit auxilium, & multo minus ab eo petere, ne ponat tale auxilium, licèt vehementiſsime in id deſiderandum inclinet: modo quo, ſi Deus Petro reuelet ex vna parte, quod, ſi mendacium leue proferat, ex hoc mendacio occaſionem deſumet ad ſe humiliandum, & maximos in virtute progreſſus faciendos, & tandem in gentem gloriam conſecuturum; ex alia verò parte reuelet, quod, ſi feruentiſsimum amorem Dei eliciat, ex hoc amore auſum arripiet ad ſuperbiendum, & denique damnandum eſſe. Sicut ergo poſitis his reuelationibus, tenetur Petrus ad carentiam mendacij, & poterit amorem Dei rationabiliter exercere, quamvis in oppotum vehementiſsimè propendeat: ſic ſimiliter in noſtro caſu, ſuppoſito conditionatè peccato diſſenſus, poterit Iudas amare prudentius exiſtentiam auxilij, & ſi coniungendam cum peccato, & inferno. Sed quid dicendum eſt de his, qui mortem deſiderant, ne vlterius peccent? Reſp. eos deſiderare rationabiliter, ſed non rationabilius propter rationem ſuperiorem.

71 Hinc

Digitized by Google

quod, quamvis obiectiuè præſupponat aliud; in genere tamē indifferentiæ, & libertatis, præcedit ad illud aliud, non eſt, cui tribuitur imputabiliter cōplexū, niſi adſit obligatio impediendi tale cōplexū: cum illi potiori iure cōplexū imputari debeat, qui re vera, & non ſolū obiectiuè præexiſtentibus alijs conſtitutiuis, ponit vltimum, & eſt obligatus ad impediendum complexum: cum verò ita ſe habeat diſſentiens in caſu exiſtentiæ auxilij, ideo in caſu exiſtentiæ auxilij ipſi diſſentienti, & non Deo, tribuitur inefficacia auxilij, ſeu auxilium in eſſe inefficacis.

76 Ob. 3. Sicut præuiſio infallibilis bonorū, quorū erit occaſio auxiliū efficax, auget auxiliū efficax in eſſe beneficij, ita præuiſio infallibilis malorū, quorū erit occaſio auxiliū inefficax, minuet rationē beneficij, ſi huiuſmodi ſciētia detur. Ergo, ſi detur praſciētia tot malorū, quæ infallibiliter ſequentur, vt vincant cōueniētiā, quā præſtat ipſum auxilium, non ſolum in auxilio minuetur ratio beneficij; ſed penitus extinguetur. At mala, quæ ſequuntur auxiliū inefficax, ſunt peccata, quæ ſuperant quālibet conuenientiā. Ergo in collatione auxilij inefficacis beneficij ratio penitus extinguitur.

77 Reſpondeo, ex ſupra dictis, bonū euentū auxilij efficacis augere rationē beneficij, non ſolū in affectu, quatenus cōmuniter confertur ex intentione efficaci boni euentus conditionatè præuiſi; verùm etiam in effectu: quia ipſe bonus euentus prouenit ab auxilio: & Deo, vt auxilianti, tribuitur, quod non accidit in diſſenſu; ideoque bonum vſum augere rationem beneficij vltra id, quod ex ſe dicit collatio auxilij. Vſum verò malum nihil detrahere beneficij collationi auxilij ſecundū ſe: hoc tamē nō tollit, quod præuiſio inefficaciæ auxilij tollat à collatione illam rationem ſpecialis beneficij, quam habet collatio auxilij efficacis; inde tamen ſolùm infertur non dari ſpecialitatem in ratione beneficij; non verò omnem beneficij rationem extingui. Vnde ad argum. in forma reſp. conceſſo ant. quoad diminutionem beneficij in ratione ſpecialitatis, & negando conſeq. quia tot illa mala, quæ auxilij cōuenientiam ſuperant, nullo modo auxilio imputantur. Sed ipſi voluntati recipienti auxilium, & eo in ſui perniciem abutenti.

78 Ob. 4. Si ſufficeret ad rationem beneficij in collatione auxilij malum euentum illius auxilij non debere tribui Deo, fieret inde Deum eſſe benefactorem reſpectu Iudæ, ſi illi talem libertatem phyſicam ad bene, & malè operandum tribueret, vt ipſum moraliter neceſſitaret ad male operādum: at hoc eſt falſū. Ergo, & illud, ex quo infertur. Mai. videtur certa: nā nullus

malus euentus auxilij ſufficientis ad bene operandum tribuitur Deo; ſed imputatur ipſi, qui liberè operatur: ergo licèt moraliter ſit neceſsitatus, dummodo verè, & realiter, libere operetur, ipſi Iudæ, & non Deo tribuetur diſſenſus peccaminoſus. Minor autem, videlicet, non eſſe beneficum Deum, cum moraliter ad peccatum neceſsitat, probatur. Non eſt beneficium Dei, quod Deus tribuit homini, ſuppoſita præſcientia infallibili, quod moraliter neceſſe eſt eſſe magis nociuum, quàm proficuum. At Deus ſic tribuit cogitationem ſufficientem ab intrinſeco coniunctam cum neceſsitate morali praui vſus: ergo non eſt beneficus in eius collatione. Maior in qua eſt difficultas probatur: Non eſt beneficium, quod independenter à prauo vſu prudenter non eſt eligibile. Sed independenter ab eo, quod aliquis prauè vtatur auxilio, & conſiderata ſolùm neceſsitate morali ad prauè vtendum, non eſt prudenter eligibile auxilium ſufficiens. Ergo non eſt beneficium.

79 Omiſsis ſolutionibus aliorum reſp. neceſsitatem moralem, quæ non tollit imputabilitatem, nec tollere ab auxilio rationem beneficij: quia quamtumvis difficile ſit bene operari; attamen datur ſufficiens libertas, vt iuſtè puniatur homo propter peccatū commiſſum, quando ergo hæc libertas ſufficiens datur, tota inefficacia auxilij ſufficientis diſſentienti, & non Deo, vitio verti debet: quapropter dum homo cognoſceret moraliter neceſsitari ad peccandum, ſi illi prædicta poteſtas conferretur; liberum tamen abſolutè manſurum ad bene operandum, & maximum præmium obtinendum, prudentius (iuxta dicta) & propius ad regulam rationis, licèt longe difficilius, eliget ita neceſsitari, quam prorſus ad bene operandum ſuſicientia carere. Sed ſi hoc non admittatur, manebit tamen ratio beneficij, quia quamvis non ſit magis eligibile auxilium, hoc prouenire debet ab aliquo extrinſeco, non Deo, ſed prauè vtenti, imputabili.

80 Vnde ad argum. in forma reſp. conc. maior, & nego minor. Ad prob. diſt. mai. non eſt beneficium, quod præcognoſcitur neceſſe eſſe moraliter, quod ſit magis nociuum ex abuſu libertatis nego, quod præcognoſcitur aliter eſſe neceſſarium quod ſit nociuum, omitto maiorē, & conceſſa minori ſub eadem diſt. neg. cōnſ. Ad vltimam prob. maioris, concedo maiorem, & nego minorem: quia ſolum attenta neceſsitate morali ad malè operandum, præſcindendo ab eo, quod de facto praua operatio futura ſit, non eſt magis eligibilis carentia poteſtatis ad bene operandum, quàm ipſa poteſtas ad bonā operationē, licet coniuncta cū neceſsitate morali ad oppoſitum.

81 Vnum

81 Vnum tamē hìc non omittam aduertere, videlicet, hic non ſumi neceſsitatem moralem ſecundum omne, quod prædicti termini ſignificare videntur, nempè pro carentia poteſtatis moralis, prout moralis poteſtas dicit imputabilitatem: quia, ſi in hoc ſenſu careret aliquis poteſtate morali, perinde ſe haberet in ordine ad imputationem operis, ac ſi poteſtate phyſica careret, cùm verò, ſi ita ſe haberet, nec laude, nec vituperio in ſua operatione dignus eſſet, non peccaret in poſitione extremi, ad quod eſſet moraliter neceſsitatus: non ergo de hac neceſsitate morali ſermo eſt, ſed de alia in genere moris mitiori, nempe de morali neceſsitate, quæ ſolùm ſit tāta propenſio ad vnum extremum, & difficultas ad aliud, vt prudenter iudicari poſsit rariſsimè in illis circunſtantijs aſſenſum extiturum eſſe; imò vt prudenter non poſsit iudicari hìc, & nunc, aſſenſum futurum eſſe; quia ad hoc ſufficit, vt in illis circunſtantijs ferè ſemper ſit diſſenſus, & ferè nunquam conſenſus.

82 Obijc. vltimo. Non eſt voluntas beneuola voluntas punitiua. Sed voluntas Dei conferens auxilium inefficax ſæpè ſæpius eſt voluntas punitiua. Ergo ſæpè ſæpius non eſt voluntas beneuola. Conſequentia eſt legitima, & minor certa, ſiquidem ob præterita peccata ſæpè Deus confert auxilium, quod præuidet coniungendum cum diſſenſu. Mai. autem probatur. Quia voluntas punitiua infert ſupplicium, vt malum, & diſconueniens illi, cui infligitur, vt pœna: voluntas autem beneuola confert donum gratioſe, & vt donum, & conueniens: at conferre aliquid vt bonum; & vt malum; vt pœnam; & vt fauorem, opponuntur inter ſe. Ergo pariter opponuntur voluntas beneuola, & punitiua.

83 Reſp. eandem voluntatem reſpectu eiuſdem obiecti poſſe eſſe punitiuam, & beneuolam, prout obiectum amatum diuerſis terminis comparatur: poteſt enim quod eſt bonum, cum alio maiori bono incomponibile eſſe, conſequenterque eſſe beneficium poſitiuum, quatenus bonum in ſe ipſo eſt, & ſimul eſſe ſupplicium negatiuum, quatenus aliud maius bonum excludit: nihil enim obſtat, quo minus Deus ſimul decernat Petro auxilium ſufficiens: quia bonum eſt Petro poſſe ſaluari, & ſimul nolit conferre auxilium, quod præuidet efficax, propter alia peccata præterita: velle enim concedere Petro bonum vt duo omnino liberaliter, & propter vtilitatem, quam habet bonum, vt duo: & nolle illi cōferre bonum, vt quatuor, quia eſt indignus poſitiuè tanto bono, nullam inter ſe oppoſitionem inuoluit.

QVÆST. V.

Vtrùm Deus de facto moueatur ex efficacia, vel inefficacia auxilij ad illud conferendum?

DIximus in præcedentibus Scientiam Mediam dirigere, quatenus eſt in ſigno apto ad mouendum: reliquum eſt explicare, an ita dirigat, vt de facto Deus ex efficacia, vel inefficacia præuiſſa moueatur?

SECT. I.

Prima pars noſtræ ſententiæ.

I. MOueri ex obiecto conditionatè præuiſo ad collationem auxilij, nihil aliud eſt, quàm Deum tribuere auxilium propter efficaciam, vel inefficaciam præuiſſam, v. g. tunc Deus mouebitur ex efficacia præuiſſa, quando confert auxilium, quia efficax eſt ad conſenſum, hoc eſt, quia de facto, ſi exiſtat, coniungetur cum conſenſu. Eadem ratione moueri Deum ex inefficacia (ſi hæc motio poſſibilis eſt) erit decernere auxilium, quia inefficax eſt: hoc eſt, quia de facto non coniungetur cum conſenſu, ſed cum diſſenſu. Hæc motio poteſt excogitari extrinſeca, & intrinſeca. Si ſolùm ſit extrinſeca, decretum non intrinſecè feretur in efficaciam, aut inefficaciam: ſed efficacia, aut inefficacia præuiſſa determinabit, modo, quo dicitur ab aliquibus dari electionem medij in ordine ad finem, quæ non intrinſecè reſpiciat finem. Sin verò hæc motio intrinſeca dicatur, decretum collatiuum auxilij intrinſecè reſpiciet efficaciam, aut inefficaciam, ex qua mouetur. Decretum ergo auxilij efficacis tendet hoc modo *decerno auxilium, quia efficax*, & decretum auxilij inefficacis tendet etiam pari modo in inefficaciam, ita dicens *volo auxilium, quia inefficax*. Dubium ergo eſt: vtrum Scientia Media efficaciæ, vel inefficaciæ, ita dirigat, vt Deus in electione auxilij, debeat illud velle propter efficaciam,

vel inefficaciam præuiſam, ſiue quia decretum intrinſecè tendat in efficaciam, ſiue, quia extrinſecè ſolùm moueatur ab illa, vt à ratione, propter quam auxilium eligit?

2 Sit 1. noſtra concluſio. Deus non neceſſario moueri debet ad collationem auxilij ex efficacia, vel inefficacia auxilij. Probatur. Si propter aliquam rationem Deus teneretur moueri ex efficacia, v. g. præuiſſa, vel eſſet, quia efficacia neceſſario raperet Deum in ſui amorem efficacem, vel quia in auxilio nulla eſſet ratio, propter quam poſſet à Deo amari, & decerni, diſtincta adæquatè ab efficacia. Ex neutro capite tenetur Deus ad amandum auxilium vt efficax, adhuc ex ſuppoſitione, quod illud decernat, ergo abſolutè non tenetur Deus ad amandum auxilium, quia efficax, adhuc ex ſuppoſitione, quod illud decernat. Conſeq. eſt bona, & mai. videtur certa. Si enim neque bonitas efficaciæ neceſſario rapiat Deum in ſui amorem, & prætetea in auxilio non deſint aliæ rationes, quibus à Deo poſſit eligi, non eſt vnde inferatur Deum non poſſe illud eligere adæquatè propter aliquam rationem diſtinctam ab efficacia.

3 Iam vero minor quoad ſecundam partem (in qua eſt difficultas) probatur: quia in auxilio plures ſunt rationes, quibus poteſt à Deo eligi, nempè conſtituere hominem liberum: eſſe ex ſe intrinſecè vtile ad conſenſum, & etiam hominem conſtitui à Deo in ſtatu indifferenti ad vitam æternam, ita vt non ſit penes Deum, quod illam homo non conſequatur, & hæ rationes, & plures aliæ, quæ ab efficacia, vel inefficacia præſcindunt, poſſunt efficaciter mouere Deum, vt eligat auxilium efficax, quin illud propter efficaciam decernat. Ergo non eſt ratio, quare Deus teneatur ad eligendum auxilium efficax, propter efficaciam illius, ex ſuppoſitione, quod eligat.

4 Obiicies, Deum moueri ad decretum auxilij ex præſcientia efficaciæ, non eſt aliud, quàm hoc decretum exiſtere cum illa præſcientia. Ergo implicat illa coexiſtentia ſine illa motione. Antecedens probatur, quia in ſententia admittente puram omiſſionem, pura omiſſio furti v. g. ſufficienter mouetur ex notitia oſtendente placere Deo, eo præciſè quod coexiſtat cum illa notitia exiſtente independenter ab illa omiſſione: non enim apparet aliud, in quo poſſit ſtare talis motio. Ergo ſimiliter decretum conferendi auxilium efficax mouetur ſufficienter ex præſcientia efficaciæ, eo præciſè quod exiſtat cum illa præſcientia exiſtente independenter ab illo decreto.

Digitized by Google

5 Confirmatur à paritate. Amor Dei exercitus propter diuinam bonitatem, ſufficienter mouetur ex hac numero cognitione bonitatis diuinæ, eo præciſe quòd coexiſtat cum hac cognitione hìc, & nunc exiſtente independenter ab eo amore, ergo decretum auxiliorum efficacium ſufficienter mouetur ex ſcientia media repræſentante efficaciam, eo purè, quod coexiſtat cum illa ſcientia exiſtente independenter à decreto.

6 Reſpondeo 1. Iuxta mea principia repugnare puram omiſsionem liberam, potiſsimumque argumentum deſumi ex eo, quòd nequeat habere motiuum: quare quod in ſententia admittēte puram omiſsionem inferatur dependentiam à motiuo in coexiſtentia conſiſtere, non mihi probat veritatem huius conſequentis, ſed potius huius conſequentis falſitas, oſtendit falſitatem antecedentis, nempè poſſe dari puram omiſsionem liberam.

7 Reſpondeo 2. Plures authores aſſerentes dari puram omiſsionem liberam ad influxum motiui ſuperaddere aliquid diſtinctum à coexiſtentia: alij enim addunt veritatem conditionalē de eo, quod non exiſteret omiſsio, ſi non proponeretur eiuſmodi motiuum. Ita Ripalda, & eius ſectatores. Alij verò tenent omiſsionem propter motiuum A intrinſecè, & eſſentialiter dependere à tali propoſitione: qua propter in hac ſententia non conſiſtet motio in coexiſtentia notitiæ obiecti cum omiſsione ex ſe indifferenti, vt ab hac notitia procedat; ſed in ipſa omiſsione intrinſecè, & eſſentialiter connexa cum hoc motiuo: ita vt licèt ſint propoſita duo motiua ad omiſsionem, & de facto exiſtat omiſsio, non dependeat omiſsio ab vtroque motiuo, ſed ſolùm ab illo, à quo, eſſentialiter habet dependere: ſi enim moueretur homo ad ommittendum furtum ex alio motiuo, exiſteret alia omiſsio eſſentialiter diſtincta ab ea, quæ modo exiſtit. Ex quo fit adhuc in ſententia admittente puram omiſsionem non neceſſario dicendum eſſe influxum motiui in ſola coexiſtentia conſiſtere.

8 Ad confirmationem reſpondeo amorem, quo Deus ſe amat propter ſuam bonitatem ſe ipſo moueri ex cognitione bonitatis diuinæ: amorem verò, quo creatura amat Deum propter ſuā bonitatem, vel ſe ipſo dependere intrinſecè, & eſſentialiter à cognitione bonitatis, vel dependere per influxum ſuperadditum, quin vnquam verificatur amorem indifferentem, vt moueatur ex bonitate diuina, moueri ex illa, eo præciſè, quod illius cognitioni coexiſtat.

(***)

SECT.

Digitized by Google

SECT. II.

Statuitur ſecunda Concluſio.

9 SIt 2. concluſio. Licet Deus non teneatur abſolutè ad decernendum auxilium efficax propter eius efficaciam; tenetur tamen, vt ſit ſpecialis benefactor conferendo auxilium efficax. Probatur hæc concluſio. Non exercetur formaliter virtus circa obiectum conſtitutum obiectiuè amabile in ſpecie alicuius virtutis, niſi virtus tendat ad obiectum ex motiuo talis amabilitatis. Ergo vt Deus exerceat ſpecialem beneficentiam in collatione auxilij efficacis conſtituti obiectiuè in eſſe magis amabilis, quam auxilium inefficax, opus eſt ſpecialem beneficentiam diuinam moueri ex ſpeciali amabilitate auxilij efficacis. Antecedens eſt certum apud Theologos, & apud Philoſophos morales. Conſequentia vero probatur. Non minus pertinet ad virtutem beneficentiæ collatio exceſſus illius auxilij efficacis, quam collatio auxilij vt ſic. Sed non exercetur beneficentia erga rationem auxilij vt ſic, niſi ametur vt abſolutè conducens ad conſenſum. Ergo neque ſaluabitur ratio beneficentiæ reſpectu ſpecialis conducentiæ ad conſenſum repertæ in auxilio efficaci, niſi ametur vt ſpecialis conducentia eſt ad conſenſum. Ergo, vt Deus ſit ſpecialis benefactor in collatione auxilij efficacis, opus eſt illud conferre motū ex eius efficacia.

10 Confirmatur. Virtus non ſumit, aut ſpecificationem, aut differentiam moralem penes obiectum materiale, ſed penes obiectum formale. Ergo vbi ex parte obiecti formalis nulla ſit, aut diuerſitas, aut ſpecialitas, nulla erit in virtute beneficentia diuerſitas moralis. Sed dum confertur auxilium efficax, non propter efficaciam, aut propter maiorem vtilitatem ad conſenſum reſpectiuè ad auxilium inefficax, nulla eſt diuerſitas ex parte obiecti formalis, reſpectiuè ad collationem auxilij inefficacis. Ergo nulla beneficentia moraliter diuerſa eſt in collatione vnius auxilij præ alterius auxilij collatione.

11 Reſpondebis primo quod, tametſi, vt aliquis ſit beneficus requiratur, tum quod conferatur bonum, tum quod conferatur quia bonum: at vero ad augmentum in ratione beneficij non requiritur, quod creſcat beneficentia ex omni capite, ſed ſufficit

quod creſcat ex aliquo. Cumque in collatione auxilij efficacis, licet non quia efficacis, creſcat ex parte doni, quia confertur auxilium vtilius: ideo licet non creſcat ex omni capite beneficium, creſcit abſolutè in eſſe beneficij, & Deus abſolutè eſt magis beneficus.

12 Sed hæc reſponſio eſt inſufficiens. Nam vt creſcat beneficium in ratione formali beneficij opus eſt quod augmentum induat etiam rationem beneficij. Cum vero nullum donum beneficium ſit, niſi conferatur quia tale: ideo augmentum non habebit rationem beneficij, niſi conferatur quia eſt tale vtilitatis augmentum. Vnde, cum in caſu prædicto non conferatur hoc augmentum quia tale, prædictum augmentum rationem beneficij non ſortietur: conſequenterque neque augebit beneficium in ratione formali beneficij. Qua propter dum propter idem omnino motiuum confertur maius bonum, creſcet materialiter; non verò formaliter beneficium.

13 Sed dices. Qui ex miſericordia in pauperem largitur illi centum nummos, formaliter eſt magis beneficus, & miſericors quam qui ſolum decem largitur ex eodem omnino motiuo. Ergo poteſt creſcere virtus ex augmento obiecti materialis ſub eodem obiecto formali. Ergo pariter in noſtro caſu.

14 Reſpondeo largientem pauperi ex motiuo miſericordiæ centum debere, vt magis beneficus ſit, quam ſi decem largiretur, largiri centum propter vtilitatem quam pauper habebit ex illis centum: alioqui ſolum materialiter; non vero formaliter, erit magis miſericors. Quando autem dicitur conferentes inæqualia ſubſidia, ea conferre ex eodem motiuo miſericordiæ, hoc intelligendum eſt de identitate ſpecifica; non vero de identitate omnimoda morali: nam qui largitur centum beneficè, ea largitur ex motiuo benefaciendi vtilitate vt centum: quod *benefacere* intra genus miſericordiæ diſtinguitur à *benefacere* vtilitate vt decem.

15 Dices ſecundo vt Deus ſit ſpecialis benefactor ſufficit quod ſpeciali modo ſit Deo voluntaria, & imputabilis efficacia auxilij, quo non eſt ei imputabilis, aut voluntaria inefficacia auxilij. Sed ad hoc ſufficit non retrahi ex efficacia, deſiderando conſenſum ſincerè. Ergo hoc ſufficit, vt Deus ſit ſpecialis benefactor in collatione auxilij efficacis. Maior videtur certa; & conſequentia eſt legitima. Minor probatur. Auxilium inefficax ſolum eſt Deo voluntarium negatiuè, quare-

tus præuidendo inefficaciam, non ſe retrahit ex huiuſmodi præuiſione, quo minus auxilium conferat. Etenim illud confert deſiderando ſerio, licet inefficaciter, eius efficaciam. At vero auxilium efficax, licet non conferatur poſitiuè vt efficax; tamen vltra id, quod eſt non retrahi, Deum ex efficacia eius, quo minus conferat, habet etiam conferri cum poſitiuo affectu diuino erga efficaciam, & ex intentione ſeria de eo, quod efficax ſit. Ergo ſpeciali modo afficitur voluntas diuina circa auxilium efficax, & peculiari iure tribuitur Deo auxilij efficacia, quo non tribuitur illi inefficacia, quamvis non conferatur auxilium poſitiuè quia efficax.

16 Reſpondeo 1. non ſufficere ad ſpeciale beneficium in collatione auxilij efficacis, quod Deo ſit diuerſo modo imputabilis efficacia efficacis, quam inefficacia ſufficientis. Vlterius enim requiritur, quod Deus ſit propriè, & in rigore donator efficaciæ. Quando vero Deus conferret auxilium efficax, non quia efficax, ſed præciſe, quia intrinſecè vtile ad conſenſum, quamvis tunc Deus haberet deſiderium inefficax efficaciæ: hoc tamen non ſufficeret vt Deus diceretur eſſe author in actu ſecundo efficaciæ illius auxilij, ſed ſolum in actu primo, & quatenus eſt ex ſe. Quo etiam modo etiam, dum confert auxilium inefficax, eſt author efficaciæ nimirum quatenus eſt ex ſe: quia Deus confert ex ſeria intentione conſenſus auxilium ex ſe vtile, & ſufficiens ad conſenſum.

17 Vnde ad argumentum in forma neganda eſt prima maior. Vt enim Deus ſit ſpecialis benefactor in collatione auxilij efficacis, non ſufficit, quod diuerſo modo ſit Deo voluntaria efficacia, quam inefficacia auxilij: ſed vlterius requiritur, quod quatenus eſt ex parte Dei, & ex vi ſuæ voluntatis, magis ſit author conſenſus, & eius cauſa, dum confert auxilium efficax non motus ex eius efficacia, quam dum confert auxilium inefficax ex ſeria intentione, & voluntate conſenſus.

18 Reſpondeo 2. non ſufficere ad ſpeciale beneficium in collatione auxilij efficacis præ inefficaci, etiam quod Deus ſit vtcunque author efficaciæ in actu ſecundo, ſed vlterius requiri eſſe authorem cauſatione inducenti debitum ſpeciale gratitudinis. Ad quod debitum requiritur exceſſum vtilitatis amari, qua talem, & v[illegible] conuenientem ſubiecto, cui confertur auxilium. Nam ſi Petrus v[illegible] conferat donum Paulo præciſſe quia

id rogat Ioannes, & nulla ratione propter Paulum, nec quia vtile Paulo. In hoc caſu verè Petrus eſt cauſa illius doni, illiuſque vtilitatis. Et nihilominus non confert illud donum collatione inducente debitum gratitudinis in Paulo, quia non confertur vt vtile Paulo. Ergo ad rationem ſpecialis beneficij non ſufficit quauis ratione eſſe imputabilem, & voluntarium Deo exceſſum beneficij. Sed requiritur eſſe imputabilem cum exceſſum imputabilite inducente debitum gratitudinis. Ad quod debitum requiritur exceſſum vtilitatis conferri, quia exceſſus vtilitatis eſt. Quod eſt idem, ac conferre auxilium efficax, quia efficax eſt.

19 Dices tertio. Beneficium in ratione formali beneficij dicit duo: nempè, & voluntatem benefaciendi perſonæ ex amore perſonæ, & collationem doni vtilis. Ergo ex quocunque ex his capitibus poteſt creſcere beneficium in ratione formali beneficij. Sed dum confertur auxilium efficax, licet non vt efficax, creſcit abſolutè donum collatum. Ergo creſcit beneficium in ratione beneficij.

20 Reſpondeo diſtinguendo primum antecedens. Beneficium in ratione beneficij dicit voluntatem benefaciendi perſonæ, & collationem doni vtilis, vt vtilis perſonæ: concedo, & doni vtilis ſecundum ſe, nego antecedens. Et deinde diſtinguo conſequens. Ergo ex quocumque ex his capitibus, modo quo conſtituunt beneficium in ratione formali talis, creſcet beneficium in ratione formali beneficij, concedo: Ex quocumque ex his capitibus, aliter quam ea ratione, qua conſtituunt beneficium: nego conſequentiam. Deinde diſtinguo minorem ſub ſumptam. Dum confertur auxilium efficax, licet non vt efficax, creſcit donum collatum, qua ratione conſtituit beneficium in ratione talis, nego: aliter concedo minorem. Et nego conſequentiam.

SECT. II.

Secunda pars noſtræ ſententiæ.

21 Dico 3. Probabilius eſt Deum quodlibet auxilium efficax conferre, quia efficax eſt. Probatur. Imprimis quodlibet auxilium tribuitur à Deo ex intentione ſalutaris cōſenſus: ſicut enim deſiderat Deus omnes homines ſaluos fieri per bona opera, ita etiam vult omnes homines rectè operari. Imò quia

Deus

Deus vult ſalutem hominum, ideo illis confert auxilium, vt ſpecia lis bene factor reſpectu illorum, qui conſentiunt: deſiderat ergo bonum conſenſum. Præterea Deus videt auxilium efficax eſſe maximè vtile ad finem intentum, propter ſuam efficaciam. Quamvis ergo non teneatur neceſſario ad ponendum auxilium, quia efficax; connaturalius tamen eſt, ſemel poſita intentione ſeria finis, & præuiſione efficaciæ medij, quod, ſi ex tale intentione ponat medium, illud ponat, propter maximam, & præcipuam vtilitatem; nempe quia eſt, & præuidetur, efficax ad prædictum finem cōſequendum.

22 Sed obijcies ex Patre Leſsio. Si omnia auxilia efficacia decerneret Deus, quia efficacia, planè infertur omnia auxilia non collata, quia efficacia, eſſe inefficacia. At hoc eſt incredibile, niſi Deus de induſtria ſeligat inefficacia ab efficacibus, quod indignum Deo videtur: ergo non omnia auxilia efficacia eliguntur à Deo, quia efficacia. Min. probatur. Si non de induſtria conferat Deus non vt efficacia auxilia inefficacia, qua ratione credibile eſt, quòd inter tot auxilia pleniſsimè ſufficientia, & antecedenter nullo modo connexa cum inefficacia, nullum euadat efficax? Certè ait Leſsius adeo incredibile apparet, ac incredibile eſt, quod ex ſacco pomorum, quæ ex æquo partim putrida, partim bona ſunt, abſque electione omnia putrida caſu extrahantur, omnibus ſanis relictis. Ergo, vel Deus de induſtria ſeligit auxilia efficacia ab inefficacibus, vel non omnia auxilia efficacia conferuntur à Deo, quia efficacia.

23 Reſpondeo cum recentioribus. Duplicem induſtriā diſtinguendam eſſe, alia eſt, qua Deus ſeligat inefficacia ab efficacibus, quia vult quod inefficacia ſint, vel quia Deus quærat auxilium, vt diſſenſus exiſtat, & hæc induſtria Deo repugnat. Alia eſt induſtria, qua Deus cognoſcens, quæ auxilia efficacia, & quæ inefficacia ſunt, liberè auxilia efficacia, quia efficacia, & liberè decernit auxilia, quæ præuidet inefficacia, decreto, quo non ea vult, quia inefficacia ſunt. Si ergo Deus pro ſua libertate decreto non tendenti in auxilium, quia efficax eſt, aut quia inefficax, tantùm vult decernere auxilia, quæ ſunt inefficacia, quid mirum quod omnia auxilia ita decretata ſint inefficacia? Ex quo patet diſparitas ad ſaccum pomorum, ex quo fortuitò, & caſu, & abſque vlla induſtria, omnia putrida poma educantur; patet in quam diſparitas, quia in hoc caſu nulla prorſus eſſet induſtria, ſecus in noſtro. Cæterum hæc induſtria Deo negari nequit, niſi directionem ſcientiæ Mediæ penitus reijciamus.

24 Addo

24 Addo hoc argumentum ex alio capite non mihi firmum eſſe, nam vt doceo tractatu de voluntate, quælibet combinatio auxiliorum, ſiuè omnium efficacium, ſiuè omnium inefficacium, ſiuè permixtim hac, vel illa ratione, impoſsibilis eſt moraliter, quia quælibet habet tot excluſiones, quot ſunt aliæ combinationes, & impoſsibile moraliter eſt, quod non deficiat id, quod infinitis modis poteſt excludi, & vnicè tantùm exiſtere, quia vnicus modus exiſtendi non magis contingens eſt, quàm quilibet modis deficiendi. Cæterum hoc prolixius exigebat examen.

25 Rogabis, quid dicendum ſit de inefficacia auxilij, an de facto moueat, vel mouere poſsit Deum ad conferendum auxilium inefficax? Reſpondeo breuiter Deum non poſſe amare auxilium inefficax, quia inefficax, ly *quia* denotante rationem formalem amandi, ſeu finem, propter quem amatur auxilium, quia Deus nequit intendere, quod homo auxilio diſſentiat. Vtrum verò Deus poſsit amare auxilium, *quia inefficax*, ly *quia* ſignificante conditionem, qua deficiente, non amaretur auxilium inefficax, dicemus dum de prædefinitione pœnitentiæ ante peccatum abſolutè præuiſum, quæſtio inſtituatur.

QVÆST. VI.

De decreto requiſito ex parte Dei, quo ſuam applicet omnipotentiam, vt nobiſcum ad actus liberos concurrat.

CVm Deus ad actus noſtros nobiſcum concurrat, & hunc concurſum ad actus bonos nobis liberaliter offerat, inueſtigandum eſt, qua ratione Deus id præſtet, & abſque ſuæ maieſtatis de decore, & abſque noſtræ libertatis diſpendio?

SECT.

SECT. I.

Non nulla præmittuntur.

1 CErtum eſt in omnium ſententia (Durando excepto) aliquod exercitium voluntatis diuinæ requiri, vt nos in noſtra libera prodeamus exercitia, diſtinctum à decreto cogitationum allicientium, & retrahentium: quod exercitium diuinum ſit in ſigno, ſaltem non poſteriori ad exercitium noſtrū, ratione cuius Deus nobiſcum ad noſtras determinationes concurrat. Ratio eſt: quia, adhuc exiſtentibus his cogitationibus, poteſt Deus impedire diſſenſum v. g. vel adhibendo phyſicam prædeterminationem ad conſenſum; vel alio modo. Ergo, vt detur diſſenſus, requiritur, ne Deus impediat huiuſmodi diſſenſum pro caſu cogitationis allicientis, & retrahentis. Ergo vltra cogitationes requiritur carentia diuinæ impeditionis. At Deum liberè non impedire diſſenſum in caſu cogitationum, eſt aliquod exercitium liberum diuinum diſtinctum à decreto cogitationum, exiſtenſque pro ſigno, ſaltem non poſteriori ad exercitium noſtrū, ratione cuius dicitur Deus ad noſtras operationes liberas nobiſcum concurrere. Ergo, vltra decretum cogitationum, requiritur aliud exercitium liberum diuinum, vt exiſtat diſſenſus (idem dicito de conſenſu) quod exercitium ſit, ſaltem non poſterius ad noſtram determinationem.

2 Suppoſito ergo requiri aliam voluntatem diuinam, ſiue aliquod exercitium diuinæ voluntatis diſtinctum à voluntate ponente cogitationes allicientem, & retrahentem, ratione cuius Deus, ita nobiſcum concurrat, vt noſtrum exercitium liberum poſsit à Deo immediatè deſtrui: quæſtio eſt: quæ ſit hæc voluntas Dei, qua Deus nobiſcum ad noſtras liberas operationes concurrit?

3 Omiſſa igitur ſententia Durandi: qui, cum concurſum ſimultaneum non agnoſcat, ita pariter voluntatem diſtinctam à voluntate cogitationum non tenetur neceſſario fateri: ad tria capita ſententiæ in hac quæſtione diuerſæ facilè reuocantur. Primo multi iudicant omnipotentiam diuinam applicari ad operandum nobiſcum per aliquam voluntatem omnino antecedentem, præuiéque nos determinantem ad operandum, ſiue immediatè

per

per ſe ipſam, ſiuè mediante phyſica prædeterminatione, ab huiuſmodi antecedente voluntate deriuata. Voluntatem inducentem phyſicam prædeterminationem Dominicani defendunt. Voluntatem autem antecedentem noſtrum opus infallibiliter cõnexam cum illo non inducentem phyſicam prædeterminationem, nec Scientiæ Mediæ vllatenus innitentem, nec à nobis per exercitium liberum oppoſitum impedibilem, tenent plures ex Scotiſtis citati à P. Ribadeneira tract. de Prædeſtinat. diſp. 9. cap. 1. num. 2.

4 Secundo noſtri DD. communiter docent dari in Deo aliquod decretum indifferens ad vtrumque libertatis extremum, quo Deus conſtituit ſub noſtra libertate ſuum concurſum actualem, ita vt Deus ex vi huius decreti maneat paratus ad concurrendum nobiſcum ad quodlibet libertatis extremum, ad quod noſtra voluntas ſe pro ſua verterit indifferentia, quin opus ſit alio decreto diuino efficaci comitanti, vt voluntas pro ſua libertate ſe determinet.

5 Tertio P. Vazq. eius diſcipuli, & nouiſsime P. Ribadeneira, vltra decretum indifferens omnipotentiæ applicatiuum, requirunt decretum diuinum comitans, & ſimultaneum, ad liberas operationes creatas. Cæterum Vazquez, & Ribadeneira in multis diſsident circa hoc decretum comitans, vt vtrumque legenti conſtabit, vtque nos infra dicemus.

SECT. II.

Decreta abſoluta, efficacia, & omnino antecedentia, authoritate reijciuntur.

5 HÆc decreta, prout à Thomiſtis ponuntur, independentia omnino à Scientia Media ſunt prædeterminantia humanam voluntatem ad actum efficaciter prædefinitũ; ſiuè, quia ſe ipſis immediate mouent efficaciter humanam voluntatem ad conſenſum v.g. vel, quia deriuant phyſicam prædeterminationem in voluntatem: qua phyſica prædeterminatione voluntas prædeterminatur ad conſenſum. Sed pugnat cum libertatis indifferentia voluntatem antecedenter ad ſuam operationem à quolibet agenti abſolutè efficaciter determinari. Ergo prædefinitiones Thomiſticæ pugnant cum humanæ libertatis indifferentia. Maior eſt certa, & conſequentia legitima. Minor varijs authoritatibus probatur.

6 Primò ex Concilio Tridentino ſeſſ.6.cap.5.vbi dicitur peccator per adiuuantem gratiam illi liberè aſſentiendo, & cooperando ſe ad iuſtificationem diſponere liberè: *quippe qui illā abijcere poteſt*. Et poſtea canon.4.hæc habet. *Siquis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet: neque poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit*. Ex quibus verbis hoc conficitur argumentum. Peccator, quia liber eſt, poteſt vocationi, & motioni diuinæ reſiſtere (quod etiam ſignificatur per ly *abijcere*: etenim *abijcere* vocationem eſt diſſentiendo quaſi eam deſpicere, paruipendere, & abiectè tractare) Ergo motio, cui reſiſtere non poteſt voluntas, deſtruit libertatem arbitrij. Ergo de ratione indifferentiæ arbitrij eſt excludere omnem determinationem alterius, cui voluntas diſſentire non valeat. At qui determinatio efficax abſoluta, & omnino antecedens, eſt voluntatis motio, cui voluntas diſſentire non valet. Ergo pugnat cum libertatis indifferentia voluntatem ad ſuam operationem abſolutè efficaciter, & omnino antecedenter determinari.

7 Primum antecedens eſt concluſio Tridentini. Prima autem, & ſecunda conſequentia, legitimè ex antecedente deducuntur. Cæterum minor ſub ſumpta: nimirum, non poſſe voluntatem diſſentire, ſiuè reſiſtere prædeterminationi ad conſenſum abſolutæ, & efficaci, omninoque antecedenti, probatur. Diſſentire prædeterminationi efficaci ad conſenſum eſt coniungere diſſenſum cum illa. Sed nequit voluntas coniungere diſſenſum cum prædeterminatione; ſiuè cum prædefinitione efficaci ad conſenſum. Ergo voluntas nequit diſſentire determinationi ad conſenſum omnino antecedenti, & abſolutæ.

8 Huic argumento dupliciter reſpondent Thomiſtæ. Primò Concilium Tridentinum ſolum aſſerere non poſſe diſſentire motioni efficaci; non vero motioni efficaci, reduplicatiuè vt tali. Quod (aiunt) rectè verificari aſſerendo non poſſe diſſentire: nō quidem phyſicæ prædeterminationi, aut prædefinitioni efficaci, & abſolutæ; ſed auxilio indifferenti conſtituenti *poſſe*: quod, auxilium indifferens denominatur efficax à phyſica prædeterminatione, ſiuè præmotione efficaci.

9 Qua propter aſſerunt rectè cohærere nos poſſe diſſentire gratiæ efficaci ſpecificatiuè acceptæ; licet gratiæ, aut motioni efficaci, reduplicatiuè vt tali, reſiſtere, aut diſſentire non valeamus

mus: modo, quo authores Societatis etiam docent poſſe diſſentiri auxilio efficaci ſpecificatiuè accepto; non vero accepto reduplicatiuè: quia ita acceptum inuoluit, vel conſenſum, vel Scientiam Mediam illius, quibuscum nequit coniungi diſſenſus. Hac ſolutione vſus fuit Bañez 1. p. q. 23. art. 5. ad 7. Iauellius, illaque vtitur Fr. Ioannes à Sancto Thoma tom. 1. in 1. p. d. 5. art. 6. num. 16. licet non nimis illi acquieſcat.

10 Hæc ſolutio eſt inſufficiens. Etenim, iuxta Thomiſtas, non ſolum gratia ſufficiens; verum etiam gratia intrinſecè efficax *trahit*, *excitat*, & *mouet*: conſequenterque Deus per gratiam intrinſecè efficacem homines excitat, & vocat ad conſenſum ſalutarem. Tunc ſic. Concilium, dum indefinitè loquitur in materia doctrinali, vniuerſaliter loquitur. Ergo Concilium dicens nos poſſe diſſentire gratiæ *adiuuanti*, & *trahenti* vniuerſaliter ſtatuit cuilibet gratiæ *adiuuanti*, & *cooperanti* nobiſcum actum liberum, nos diſſentire valere, vt libertas noſtra ſalua conſiſtat. Ergo, iuxta Concilium, nequit ſtare libertas, niſi excludatur quælibet aliena determinatio antecedens, cui voluntas reſiſtere nequeat.

11 Impugnatur ſecundo prædicta ſolutio. Iuxta Concilium illi gratiæ, & motioni, diſſentire valemus, cui de facto aſſentimus. Sed de facto, non ſolum gratiæ ex ſe ſufficienti; verumetiam, iuxta Thomiſtas, gratiæ ex ſe efficaci aſſentimus. Ergo iuxta Concilium non ſolum gratiæ ſufficienti; verumetiam gratiæ, quæ à Thomiſtis efficax intrinſecè conſideratur, debemus poſſe diſſentire. Conſequentia eſt bona, & minor doctrina Thomiſtarum. Maior autem conſtat ex verbis ipſius concilij ſupra relatis: vbi abſolutè, & indefinitè, aſſerit liberum arbitrium cooperans aſſentiendo, diſſentire valere. Ergo poteſt diſſentire illi motioni, cui de facto aſſentitur. Ergo nulli motioni aſſentitur, cui reſiſtere non valeat, ſi arbitrij libertas ſalua conſiſtat.

12 Tertio in his verbis intendit Concilium adſtruere in nobis libertatem, quando de facto aſſentimus. Quod autem, quando de facto aſſentimus, poſſimus reſiſtere auxilio debili, & & ſufficienti, ſumpto ſecundum ſe, quomodo ad noſtram libertatem ſufficiet, ſi tunc adſit auxilium adeò robuſtum, & validum, vt illi reſiſtere non valeamus? Quid enim proderit mihi me habere vires ſufficientes ad rumpendum laneum debiliſsimum filum, ſi ſimul ſim vinculis ferreis conſtrictus, quæ abrumpere mihi prorſus impoſsibile ſit.

13 Ideo alij alia vtuntur ſolutione aſſerentes nos quidem

dem poſſe reſiſtere, & diſſentire motioni, & determinationi efficaci: hoc autem intelligendum eſſe in ſenſu diuiſo; non autem in ſenſu compoſito. Hoc eſt: nos præuentos gratia, & motione intrinſecè efficaci, habere ſimul cum hac gratia, & motione efficaci, veram poteſtatem ad diſſenſum: non quidem componendo illum cum motione, aut determinatione efficaci; ſed ad diſſenſum ſecundum ſe, ſeu diuiſum à prædicta motione. Hoc autem, & nihil aliud (aſſerũt prædicti Thom.) eſt nos poſſe diſſentire motioni efficaci.

14 Hæc ſolutio etiam efficaciter impugnatur: quia diſſentire, ſeu reſiſtere motioni, dicit in ſuo conceptu coniungere diſſenſum cum motione. Ergo poſſe reſiſtere non eſt præcisè poſſe ponere diſſenſum in ſenſu diuiſo motionis. Antecedens probatur. Primò à paritate: nam diſſentire teſtimonio dicentis eſt coniunctio diſſenſus cum teſtimonio. Reſiſtere præcepto ſuperioris eſt coniungere defectum obedientiæ cum ſuperioris præcepto. Reſiſtere voluntati diuinæ eſt ponere oppoſitum illius, quod Deus vult, in ſenſu compoſito diuinæ voluntatis. Ergo diſſentire, & reſiſtere motioni, & determinationi diuinæ, erit coniungere diſſenſum cum motione, & determinatione diuina.

15 Confirmatur. Ideo *non eſt qui Dei poſſit reſiſtere voluntati* Eſther. 13. neque Chriſtus potuit diſſentire præcepto Patris, neque nos poſſumus licitè diſſentire reuelationi diuinæ de Fidei myſterijs, quia hoc eſſet *fruſtrari* voluntatem Dei efficacem, *tranſgredi* præceptum Patris, & actu *eſſe infideles*. Sed totum hoc dicit ſenſum compoſitum, & non præcisè diuiſum. Ergo *diſſentire*, & *reſiſtere* voluntati diuinæ, præcepto, & reuelationi, dicit ſenſum compoſitum, & non diuiſum. Ergo pariter *diſſentire* motioni, & determinationi efficaci, non ſenſum diuiſum; ſed compoſitum dicere debet.

16 Probatur etiam hæc veritas ex ipſa terminorũ vſitata acceptione: nã nemo dicitur reſiſtere inclinationi, quæ nõ eſt: ſiquidẽ diſſenſus, & reſiſtentia dicunt quaſi pugnã, & oppoſitionẽ inter duo in qua, qui reſiſtit efficaciter, ſuperat, & vincit alterum. Vbi autem nõ eſt qui pugnet, neque reſiſtentia, neque victoria eſt. Hoc eſt adeo clarum, vt ſupervacaneum ſit alias probationes adiũgere.

17 Cæterum in ſententia Societatis, ideo non poſſumus diſſentire, aut reſiſtere motioni efficaci vt efficaci, quia motio, vt efficax, conſtituitur, vel per ipſum conſenſum, vel per Scientiã Mediam conſenſus. Cum autem, neque conſenſus, neque Scientia Media, moueant ad conſenſum, neque ſint gratia trahens...

ex-

citans: ideo concilium, dum aſſerit nos poſſe diſſentire motioni, & excitationi, non docet nos poſſe diſſentire auxilio diuino, vt conſtituto in eſſe efficacis: ſiquidem Deus non excitat nos per auxilium reduplicatiuè vt efficax; ſed per auxilium ſecundum ſe.

18 Secundò probatur eadem veritas ex Concilio Senonenſi decreto 15. fidei: vbi hæc habet. *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præiudicat arbitrio, cum illa ſemper ſit in promptu, &c. Neque denique tale ſit huiuſmodi Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit*, Sed *reſiſtere* auxilio mouenti ad conſenſum, eſt cō iungere diſſenſum cum auxilio, vt iam oſtendimus. Ergo nulla eſt motio, ſiuè tractio, qua Deus trahat, & moueat voluntatem, cum qua voluntas, libertatis iure, non poſſit coniungere oppoſitum. Ergo quælibet motio diuina ad vnum extremum ita antecedenter determinans, vt cum illa nequeat voluntas coniungere defectum illius extremi, tollit libertatem: ſubindeque libertas dicet in ſuo conceptu excluſionem huiuſmodi antecedentis determinationis.

19 Reſpondet Fr. Ioan. à S. Thom. in 1. p. d. 5. art. 2. num. 8. hoc Concilium non eſſe firmæ authoritatis, quia non eſt generale. Verum præter quam quod doctrina huius Concilij, quoad hunc articulum, eadem penitus eſt cum doctrina Concilij Tridentini œcumenici, ex alio capite hæc reſponſio tanto viro ſatis digna non eſt. Nam, vt ait Suarez loquens de hoc ipſo Concilio tom. 1. de Gratia prologom. 6. cap. 5. num. 6. licet non ſit hæreticum ſentire, aut dicere Concilium Prouinciale in aliquo dogmate erraſſe, aut falſum eſſe aliquid ab ipſo definitum, ſeu tanquam Catholicum dogma declaratum: nihilominus non poteſt talis aſſertio illi Concilio iniurioſa à temeritatis nota excuſari: quando enim doctrina Concilij Prouincialis nunquam in ſuſpicionem erroris in Eccleſia venit (prout non venit doctrina Concilij Senonenſis) ſed potius vſu ipſo, & tacito quodam vniuerſali conſenſu probata eſt. Tunc temerarium profectò eſſet proprio, ac priuato iudicio, tali Concilio derogare. Ita Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Concilijs cap. 10. in fine: nec diſſentit Cano lib. 5. de locis cap. 4. concluſ. 6. Et ratio eſt: quia iam authoritas talis Concilij authoritate vniuerſalis Eccleſiæ multum roborata eſt. Et hoc modo Concilia Prouincialia in magna veneratione ſemper habita ſunt, vt conſtat ex litteris Synodicis Theodori Patriarchæ Hieroſolymitani, quæ referuntur in 7. Synodo actione 3. in fine, & à tota Synodo probantur.

20 Tertio. Repugnare cum libertatis indifferentia voluntatem ad ſuam operationem omnino antecedenter determinari: probatur ex Clemente Papa epiſt.13. vbi hæc habet. *Nihil eſt, quod audientes fidem ad credendum determinet, niſi arbitrium eorum.* Ergo iuxta Clementem aſſenſus liberè præſtitus myſterijs fidei à nullo alio, quam arbitrio credentium, determinatur. Quod quidem aliunde nequit prouenire, niſi ex libertate in aſſentiendo.

21 Quarto. Eleganter Niſſenus lib. de opificio hominis cap.16. poſt medium ad indifferentiam arbitrij exclnſionem cuiuslibet determinationis antecedentis expoſcit his verbis. *Eſt in nobis libertas, quæ nulla neceſſitatis lege tenetur, nullius in natura dominatus iugo ſubiecta, ſed quæ iudicio certo, & liberrimo, quod vult eligit. Eſt enim virtus ſuæ ſpontis, nullius imperio mancipata. Quod autem à neceſſitate quadam, violentia vè cogitur, virtuti conſentaneum eſſe nequit.* Obſerua vniuerſalitatem bis additam in *neceſſitate*, vt omnis prorſus excludatur. Et iterum *nullius imperio mancipata*: quod intelligit non de imperio dirigente, ſed de imperio exequente, aut antecedenter determinante.

22 Itaque libertas ſuo dominio, nec neceſſitatem, nec iugum alterius dominij patitur. In quo Niſſenus orat. de dormientibus conſtituit imaginem Dei, quam homo refert. *Sui enim* (inquit) *poteſtatem habere, & alterius dominatui obnoxium non eſſe, proprium diuinæ beatitudinis eſt. At per neceſſitatem hominem ad aliquid traduci, ademptio dignitatis eſſet. Cum Deitate namque comparanda res eſt propria ſui poteſtas.* Ergo quia homo ſui dominio, propriaque ſui poteſtate gaudet, alterius dominatui, & determinationi non ſubijcitur. Rurſus orat. catechat. cap.30. hæc habet. *Qui in vniuerſitatem liberam habet poteſtatem, propter ſummum in homines honorem, dimiſit etiam aliquid in noſtra poteſtate: cuius vnuſquiſque noſtrum ſolus eſt Dominus: hoc autem eſt liberi arbitrij libera electio, quæ ſubijci nequit, & ſui iuris eſt.* Ergo in eligendo ſolum liberum arbitrium eſt Dominus, nullique alij in eligendo ſubijcitur. Ergo libera hominis electio reſpuit quamlibet antecedentem determinationem.

23 Quinto D. Aug. pluribus in locis eandem veritatem confirmat. Nam lib. de natura, & gratia cap.65. abſolutè aſſerit. *In recto faciendo nullum eſt vinculum neceſſitatis.* Qua ergo ratione erit iuxta Auguſtinum, excludentem penitus, & omnino omne neceſſitatis vinculum, neceſſitas antecedens, infallibiliter, independenterque à libera operatione, adigens voluntatem ad ope-

randum. Idem Aug. lib. 3. de libero arbitrio cap. 18 *Hoc* (inquit) *breuiſsimè tene. Quæcumque cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur.* Ergo iuxta Auguſtinum cauſa noſtri actus voluntatis, cui reſiſti non poteſt, tollit libertatem, alioqui nõ tolleret peccatum. Sed iuxta Thomiſtas prædefinitio efficax conſenſus eſt cauſa conſenſus. Deinde prædefinitioni abſolutæ, & efficaci nequit voluntas reſiſtere: ſiquidem *reſiſtere*, vt ſupra oſtendimus, dicit coniunctionem diſſenſus cum prædefinitione ad conſenſum. Ergo tollit libertatem. Ergo libertas dicit excluſionem prædictæ determinationis antecedentis.

24 Deinde ipſe Auguſtinus, vt excludat neceſsitatem oppoſitam libertati, non recurrit ad excluſionem neceſsitatis per modum naturæ, vel ad quidpiam aliud; ſed ad hoc, quod vltima ratio amandi ſit ipſum amare: quaſi ille ſolum libere amet, cuius determinatio ad amandum penes ipſum ſolum exiſtat. Quapropter in pſalm. 134. ad illa verba. *Omnia, quæcumque voluit Dominus fecit*; poſtquam interrogaſſet. *Inuenimus aliquid, quod libera voluntate faciamus?* Reſpondet: *inuenimus planè cum ipſum Deum amando laudamus. Hoc enim libera voluntate facis, quando amas, quod laudas; non enim ex neceſsitate; ſed quia placet.* Ergo, iuxta Auguſtinum, qui amat libere, ideo amat, quia amat, quin vlterius procedatur in reddenda ratione determinationis.

25 Sexto Anſelmus clariſsimè omnem neceſsitatem, ſeu determinationem non ſubſequentem noſtram liberam operationem, vt libertatis inimicam reijcit. Igitur Anſelmus duplicem diſtinguit neceſsitatem: aliam antecedentem, & euertentem iura libertatis: aliam conſequentem, nullum præiudicium voluntati inferentem. Hanc duplicem neceſsitatem diſtinxit Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 18. his verbis. *Eſt namque neceſsitas præcedẽs quæ cauſa eſt vt ſit res, & eſt neceſsitas ſequens, quam res facit. Præcedens, & efficiens neceſsitas eſt, cum dicitur cœlum volui: quia neceſſe eſt, vt voluatur. Sequens vero, quæ nihil efficit, ſed ſic eſt cum dico te ex neceſsitate loqui, quia loqueris: non quod aliquid te cogat ad loquendum: nam violentia naturalis conditionis cogit cœlum volui; te vero nulla neceſsitas facit loqui.* Deinde in concordia cap. 1. exponens concordiam liberi arbitrij cum Dei prædeſtinatione, ita ſcribit. *Dei ſcientiam, & prouidentiam eſſe neceſſitatem conſequentem: quia neceſsitas conſequens deſcendit de libera voluntate.* Vnde adiunxit *ſola voluntas determinat ibi quid teneat: neque aliquid facit vis neceſsitatis, vbi operatur ſola ele-*

ctio

tiù voluntatis. Deinde docet Anſelmus quoties ex aliquo antecedenti neceſſario legitime infertur conſequens: conſequens quoque eſſe neceſſarium,quæ eſt ipſiſsima Societatis ſententia: imò,& Ariſtotelis 1. poſt. cap.6. textu 17. vbi ait. *Quando autem medium ex neceſsitate, & concluſio ex neceſsitate: quando autem non neceſſaria ſit concluſio,neque medium neceſſarium eſſe poteſt*. Et ideo Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo* capit. 8. allegat Ariſtotelem pro ſua ſententia de neceſsitate antecedente, & conſequente.

26 Ex his omnibus conſtat, iuxta Anſelmum, omnem neceſsitatem, quæ non deſcendit ex libertate humana;ſed potius facit quod res ſit, eſſe neceſsitatem antecedentem tollentem libertatem. Cum igitur, iuxta Thomiſtas,prædefinitio efficax abſoluta,& omnino antecedens,ſit aliqua neceſsitas,ita antecedens, vt faciat conſenſum exiſtere,minimèque à conſenſu libero deſcendat:planè fit prædefinitionem Thomiſticam, quamlibetque determinationem penitus antecedentem, eſſe, iuxta Anſelmi doctrinam, neceſsitatem ſimpliciter antecedentem, & tollentem libertatem.

27 Huic Anſelmi authoritati mirabili facilitate reſpondet Gonetus tract. de Prædeſt. diſp.6. (quæ eſt de concordia libertatis cum Prædeſtinatione) art.7. §.3. per neceſsitatem antecedentem libertati contrariam, non aliam intellexiſſe, quam eam, quæ oritur ex aliqua cauſa extrinſeca cogente, ſeu ad vnum per modum naturæ determinante. Per neceſsitatem vero conſequentem eam ſignificari, quæ deſcendit ex libera voluntatis electione,vel in determinatione primæ cauſæ fundatur. Quam interpretationem genuinam,& legitimam eſſe,probat Gonetus: ex ipſo Anſelmo lib.de concordia cap.10.vbi poſtquam Anſelmus dixerat neceſsitatem antecedentem eſſe, *quæ præcedit rem, & facit*,continuo addit. *Non enim ea Deus, quamuis prædeſtinet,facit, voluntatem cogendo,aut voluntati reſiſtendo*. Ergo ſolum loquitur Anſelmus de neceſsitate cogente.

28 Verum quis non videat Anſelmum longe aliter de neceſsitate antecedente ſenſiſſe, quam à Goneto reuerentiam obtendente vſque adeo falſo exponitur,vt penè ad ludibrium explicetur. Anſelmus,dū neceſsitatē antecedētē definit,aſſerit eſſe,*quæ rē facit*,quin aliud in prædicta definitione diſtinguat. Dū neceſsitatē conſequētē exponit,docet eſſe,*quæ ex libero deſcēdit arbitrio*, quin determinationē primæ cauſæ,vel leuiter,inſinuet.Ergo falſa,

& omni probabili fundamento Goneti interpretati deſtituta eſt.

29 Confirmatur ex ipſo doctrinæ contextu: quia Anſelmus hac doctrina explicat qua ratione fides Virginis de morte Chriſti non fuit neceſsitas antecedens mortis Chriſti, ſed conſequens Chriſti mortem: quia nimirum: *quia veritas fidei Virginis nō fuit cauſa, vt ille ſponte moreretur: ſed quia hoc futurum erat, vera fuit fides*. Deindeque totus eſt in explicando neceſsitatē conſequētē eſſe eam ipſam, qua quidquid eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe, qua dū res fuit, neceſſe fuit eſſe, & ſic de alijs temporibus. Sed neceſsitas, qua quidquid eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe, eſt neceſsitas, quam res ipſa facit; non autē quæ facit ipſam rē, licet ex primo libero deſcēdat, vt conſtat apud Philoſophos. Ergo præfata interpretatio Goneti ne apparenter quidem cum Anſelmi doctrina conſentit. Hoc adeo euidens erit cuilibet Anſelmum legenti, vt minimè credam Gonetum eam interpretationem ſerio tradidiſſe.

30 Quod autem Anſelmus poſtquam dixerat libertatē antecedentem, & libertati cōtrariā, eſſe eam, quæ rem facit, ſtatim ſubiungat. *Non enim ea, quæ Deus prædeſtinat facit voluntatem cogendo* ideo eſt, quia, cum apud ipſum neceſsitas, quæ rem facit, tollat libertatem, & neceſsitas tollens libertatem, iuxta communiſsimum modum loquendi Patrum *coactio* nuncupetur: ideo intulit Anſelmus Deum per Prædeſtinationem non cogere, quia per Prædeſtinationem neceſsitatem oppoſitam libertati non imponit: modo quo, ſi aliquis Societatis author ſuæ inhærens ſententiæ diceret *Petrus libere conſentiens phyſica caret prædeterminatione. etenim Petrus dum conſentit habet verā poteſtatē diſſentiendi*: malè inferretur illū authorē ſolū docere eam phyſicam prædeterminationem tollere libertatē, quæ aufert poteſtatē diſſentiendi, præſcindendo ab eo, quod phyſica prædeterminatio, vt præciſè talis, poteſtatem diſſentiendi auferat, vel nō auferat. Potius enim debebat inferre iuxta authorē illū idē eſſe phyſicā prædeterminationē ad conſenſum habere, quam poteſtate carere ad diſſentiendum.

31 Pari ratione ex verbis Anſelmi infertur apud ipſum idem eſſe pati neceſsitatem antecedentem, quam cogi ad extremum neceſſarium: non vero quod apud ipſum ſola neceſsitas coactionis tollat libertatem, præſcindendo ab eo, quod neceſsitas, quæ rem facit, tollat, vel non tollat libertatem.

32 Vbi aduerte quod ſupra dixi, quodque rectè notauit Vvaldenſis lib. 1. doctrinalis fidei cap. 28. & obſervarunt etiam alij Sapientiſsimi, & eruditiſsimi Viri noſtri temporis, qui

eam fuiſſe dicunt Sanctorum PP. mentem, vt vim, & coactionem accipiant pro qualibet neceſsitate indifferentiæ arbitrij contraria, etiam ſi voluntario, & ſpontaneo non opponatur: quod in numeris Patrum teſtimonijs confirmare poſſemus adverſus Ianſeniſtas tentantes eludere Patrum authoritatem, prætendentes Patres ſolum tribuere humano arbitrio libertatem à ſtricta, & rigoroſa coactione; non autem à neceſsitate, quia nomine coactionis ſæpè vtuntur: cum, ſi attentè legantur, facilè conſtet eos ſub *coactionis* nomine quamlibet neceſsitatem libertati oppoſitam intellexiſſe.

33 Ob hanc rationem dum Anſelmus, poſt explicatam neceſsitatem antecedentem, ſubiungit, quaſi reddendo rationem Deum non prædeſtinare cogendo; ſolum aſſerit Deum non prædeſtinare per neceſsitatem antecedentem oppoſitam arbitrij libertati, iuxta quam acceptionem omnis neceſsitas, quæ rem facit *coactio* merito nuncupatur: Quapropter ait D. Thomas quæſt. 6. de malo articulo vnico. *Opinio, qua quidam dicunt voluntatem hominis ex neceſsitate moueri, nec tamen cogi, eſt hæretica.*

34 Neque alicuius momenti eſt ad admittendam neceſsitatem antecedentem prouenientem à prima cauſa, vt libertati iuxta mentem Anſelmi non oppoſitam, dixiſſe Anſelmum eodem cap. 10. *Quamvis tamen ſua voluntas vtatur poteſtate; nihil tamē facit, quod Deus non faciat in bonis ſua gratia, in alijs non ſua; ſed eiuſdem voluntatis culpa.* Etenim his verbis ſolum docet Anſelmus bona opera eſſe à Deo mediante gratia: quod quidem omnes Catholici fatemur. Quod autem Deus prædefiniat efficaciter omnino antecedenter, vel quod bona opera proueniant à Deo, vt antecedenter omnino determinante, vbi inſinuat Anſelmus?

35 Denique Sanctus Thomas pluribus in locis (quidquid aduerſarij reclament) noſtram ſententiam diſſertiſsimè tradit. Nam in 2. diſt. 25. quæſt. 1. art. 1. ad 3. cum obijceretur hominem non eſſe liberum, quia non eſt Dominus ſui actus, vtpote qui reducitur in Deum, tanquam in cauſam priorem, qui eam operatur in nobis: ſic reſpondet. Ad 3. *dicendum quod Deus operatur in nobis, ita tamen, quod in vnoquoque ſecundum eius conditionem. Vnde in rebus naturalibus operatur, ſicut miniſtrans virtutem agendi, & ſicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agenti ipſi miniſtret, & ipſo operante, liberum arbitrium agat; ſed tamen determinatio actionis, & finis in poteſtate liberi arbitrij conſtituitur: vnde remanet ſibi dominium ſui actus, licet non ita ſicut primo agenti.* Ecce quo

modo D. Thomas aſſerit Deum determinare cauſas neceſſarias; cauſam vero liberam determinare ſe ipſam. Cumque hæc duo inter ſe opponat: infertur hoc, quod eſt Deum determinare cauſam ſecundam, excludere quod cauſa ſecunda ſe determinet: & iterum cauſam ſecundam ſe determinare importare quod à cauſa prima non determinetur. Quod vero addat. S. Thomas non remanere cauſæ ſecundæ dominium ſui actus, ſicut primo agenti, ſolum denotat cauſam ſecundam accipere ſuam virtutem à primo agente, cum eam primum agens à ſe ipſo habeat.

36 Eandem doctrinam de excluſione alterius cauſæ determinantis liberum arbitrium creaturæ tradidit S. Thom. in 2. diſt. 39 q. 1. art. 1. in corpore. Vbi hæc habet. *Sciendum quod aliquis actus eſt ab aliquo dupliciter. Vno modo tam ſecundum ſubſtantiam actus, quàm ſecundum determinationem operantis ad actum; & hoc propriè in poteſtate agentis eſſe dicitur, vt eſt in voluntate. Ipſa enim potentia voluntatis quantum in ſe eſt indifferens eſt ad plura; ſed quòd determinatè exeat in hunc actum, vel in illum non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate.*

37 Huic teſtimonio primo reſpondet Gonetus, apud S. Thom. non legi *non eſt ab alio determinante*; ſed *non eſt ab alio determinatè*: quo ſolum ſignificatur determinationem creaturæ non eſſe ab alio determinante ad vnum per modum naturæ: quia Deus determinat creaturam ſub iudicio indifferente ad plura.

38 Fateor in pluribus impreſſionibus legi *non eſt ab alio determinate*; ſed etiam verum eſt in alijs legi *non eſt ab alio determinante*. Cæterum eſto id non aſſerat D. Thom. in hoc loco; negari tamen non poteſt id aſſerere eadem diſtinctione artic. 2. in corpore: vbi poſtquam dixiſſet D. Thomas hominem ſui actus habere dominium, illicò ſub iungit *hoc* (dominium) *eſt in homine ſecundum illam potentiam, quæ ad plura ſe habet: neque ad aliquid* (attende) *eorum determinatur, niſi ex ſe ipſa.* Ergo dominium voluntatis excludit alterius determinationem.

39 Verum admiſſo debere legi *non eſt ab alio determinate*. Vnde colligit Gonetus eſſe ab alio *determinate* eſſe per modum naturæ? Si enim Deum antecedenter *determinare* non dicit mouere per modum naturæ; ſed ſolum mouere infallibiliter ad vnum, cur eſſe à Deo *determinate* non erit eſſe à Deo *determinante* infallibiliter ad vnum. Liberè igitur, & abſque fundamento hanc interpretationem nobis tentat Gonetus obtrudere.

40 Præterea vt S. Doctor. confuſè, & implexè nõ procedat;

ædat, eo ſenſu, quo intelligit ly *determinate*, dum dicit creaturam exire *determinatè* in hunc actum, vel illum, debet intelligere *determinatè*, quando dicit hoc non eſſe ab alio *determinatè*. Sed exire *determinatè* in conſenſum eſt ita exire in conſenſum, vt non exeat in diſſenſum, & nihil aliud. Ergo hoc eſſe à Deo *determinate* erit præciſsè determinari à Deo vnum extremum, potius quam aliud, & nihil aliud. Ergo non eſſe à Deo *determinate* erit Deum non determinare agens ad vnum extremum præalio.

41 Reſpondet 2. Gonetus: hic non loqui S.Thom. de determinatione voluntatis ad quemlibet actum liberum; ſed ſolum de determinatione ad actum malum vt talem, ad quod Deus non determinat: & hoc colligit ex titulo ipſius articuli, nimirum. *Vtrù in voluntate poſsit eſſe peccatum?* Verum hæc reſponſio etiam inſufficiens eſt: quia licet quærat D. Thomas de voluntate circa peccatum: vt tamen huic quæſtioni ſatisfaciat, ad generalia principia recurſum facit de libertate voluntatis: & ex illis generalibus principijs modo ſcientifico (prout tantum decet Doctorem) quid de peccato dicendum ſit infert Angelicus Præceptor. Conſtat hoc ex ipſius verbis: nam, vt quæſtionem reſoluat, ſic incipit vniuerſaliter loquendo. *Sciendum quod aliquis actus eſt ab aliquo dupliciter, &c.* Ergo S. Thom. vniuerſaliter, & non contractè ad peccatum, loquitur prædictis verbis.

42 Ideo tandem Gonetus, his duabus ſolutionibus non contentus, tandem ad Prædeterminantium confugit vulgare aſylum. Reſpondet igitur tertio intelligendum eſſe D. Thomam in prædictis verbis ita, vt ſolum excludat determinationem alterius cauſæ ſecundæ; minimè vero determinationem primi agētis, quod ſit cauſa voluntatis, & motus eius: quia determinationem primæ cauſæ ſemper excipit D. Thomas, vt patet ex lib. 3. contra Gentes cap. 88, & 1. p. quæſt. 83. artic. 1. ad 3. & quæſt. 105. artic. 4. ad 1.

43 Hæc ſolutio præ omnibus diſplicet, vt pote quæ magis verbis Angelici Præceptoris aduerſatur: nam ibidem aſſerit à cauſa naturali progredi effectum; attamen non determinari ab agē te naturali; ſed ab eo, qui ei contulit determinationem ad vnum. Ergo cum à cauſa naturali velit S. Thomas diſcernere cauſam liberam, & aſſerat voluntatem vt liberam à nullo determinari, etiam excludit determinationem cauſæ primæ: quam determinationem habet cauſa naturalis. Ergo in prædictis verbis dum negat voluntati omnem aliam determinationem, non excipit determinationē

cauſæ primæ; ſed potius de illa directè loquitur. Conſtat hic diſcurſus ex verbis Diu. Thomæ: qui poſt illa verba. *Quod enim voluntas determinatè exeat in hunc actum, vel illum, non eſt ab alio determinante; ſed ab ipſa voluntate* immediatè ſubiungit. *Sed in naturalibus actus progreditur ab agente; ſed tamen determinatio ad hunc actum non eſt ab agente; ſed ab eo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinata eſt*. Ergo negat voluntati determinationem cauſæ primæ per contrapoſitionem ad cauſam naturalem.

44 Porro loca quæ ex D. Th. citat Gonetus ad probandum eſſe ex mente D. Th. Deum determinare voluntatem, id non probant: nam lib. 3. contra Gentes cap. 88. ſolum dicit D. Thom. *quod inclinare in aliquid non eſt, niſi eius, qui eſt naturæ intellectualis cauſa. Hoc autem ſolus Deus eſt, ſicut ex ſuperioribus patet. Ipſe igitur ſolus voluntatem noſtram in aliquod inclinare poteſt*. Ex quo infert num. 5. illius capitis quod *ſolus Deus poteſt mouere voluntatem per modum agentis abſque violentia*. Quod vero hanc motionē, & hanc inclinationem Deus exequatur *determinando phyſicè* volūtē, nec dicit, nec inſinuat Angelicus Præcept. Nos igitur fatemur Deum inclinare, & mouere voluntatem: non per prædeterminationem; ſed per vocationem congruam Scientia Media directam quā obrem, nec Deum voluntatem determinare, neque aliquid contra noſtram Societatis ſententiam infertur ex verbis D. Thom.

45 Longè minoris efficacia ſunt alij textus: nam 1. p. q. 83. art. 1 ad 3. docet D. Thom quod *Deus eſt prima cauſa mouens, & naturales cauſas, & voluntarias*. Fateor hoc: & etiam quod hoc ſit abſque libertatis diſpendio, verum quia non prædeterminat; ſed quia mouet cauſas liberas per media penitus indifferentia: quia, vt concludit idem S. Doctor, *operatur enim in vnoquoque ſecundum eius proprietatem*.

46 Denique eadem 1. p. q. 105. ad 1. & 2. tradit eandem doctrinam, quatenus aſſerit quod *Deus dum mouere voluntatem, non cogit ipſam, quia dat ei eius propriam inclinationem*. At vero quod hæc inclinatio ſit determinatio, qua voluntas à Deo determinetur, non docet S. Doctor. Vnde nihil contra nos.

47 Confirmatur vltima noſtra ſententia ex D. Thoma: qui quæſt. 6. de malo art. vnico in fine expoſcit, vt neceſsitas non ſit antecedens, & libertatem euertens, voluntatem poſſe eam neceſsitatem cauere, ſeu impedire: & ideo in ſolutione ad 15. ait *Illa cauſa, quæ facit voluntatem velle, non oportet quod ex neceſ-*

ſitate

Digitized by Google

ſitate hoc faciat, quia poteſt per ipſam voluntatem impedimentum præſtari. Ergo cauſa, quæ facit voluntatem velle, vt libertatem ſeruet, debet poſſe per voluntatem impediri. Ergo cauſa faciens rem eſſe in impedibilis, tollit libertatem.

SECT. III.

Probatur á ratione hæc decreta tollere libertatem.

48 IMpugnatur primo ex capite libertatis huiuſmodi decretū. Prædictum decretum connexum cum conſenſu tollit poteſtatem ad diſſenſum. Ergo, & libertatem ad conſenſum; ſiquidem libertas ad vnum dicit poteſtatem ad vtrumque. Antecedens probatur. Neceſsitas omnino, & ſimpliciter antecedens ad conſenſum, eſt carentia poteſtatis antecedentis ad diſſenſum. Sed huiuſmodi decretum eſt neceſsitas omnino antecedens ad conſenſum. Ergo, & carentia poteſtatis antecedentis ad diſſenſum. Conſequentia eſt legitima, & maior videtur euidens: ſiquidem eo modo, quo vnum contradictorium eſt neceſſarium, alterum non eſt poſsibile. Iam vero minor, nempe huiuſmodi decretum eſſe neceſſitatem conſenſus omnino antecedentem, probatur. Hoc decretum ita antecedit conſenſum, vt nullo modo ſequatur conſenſum: quando quidē nullo modo (iuxta Thomiſtas) decernit Deus depēdenter ab opere decretato. Ergo hoc decretū ita antecedit cōſenſum, vt nullo modo ſequatur ipſū, nec ab ipſo vllo modo depēdeat.

49 Dices primo hoc decretum, quantumvis connexum, & determinans, ſiuè per ſe, ſiuè media phyſica prædeterminatione, non ſe tenere ex parte principij, ſiuè ex parte actus primi; ſed ex parte actus ſecundi: neceſsitatem vero antecedentem non eſſe, niſi quæ ſe tenet ex parte actus primi.

50 Hæc reſponſio refellitur: quia hoc decretum intelligitur cū tota ſua vi reſpectu cōſenſus pro aliquo priori, ſiuè principij, ſiuè applicationis, antequā intelligatur cōſenſus. Ergo antecedēter omnino ad conſenſum neceſſariū eſt voluntati, & ab ipſa ineuitabile, exiſtere conſenſum. Probatur hæc conſequentia. Eo modo, quo datur, antecedens neceſſario inferens conſequens, datur neceſſitas conſequentis. Sed antecedenter omnino ad conſenſum datur decretum infallibiliter inferens conſenſum. Ergo antecedenter omnino ad conſenſum datur neceſsitas conſenſus. Sed neceſſitas, quæ eſt omnino antecedens actum ſecundum conſentiendi

non

non ſe tenet ex parte actus ſecundi conſentiendi. Ergò decretum, & neceſsitas conſenſus, non ſe tenent ex parte actus ſecundi, aut ex parte conſequentis; ſed ex parte actus primi, & antecedentis.

51 Refellitur ſecundo eadem ſolutio. Quando dicitur decretum hoc ſe tenere ex parte actus ſecundi, vel loquuntur aduerſarij reſpectiuè ad actum primum poteſtatis humanæ ad conſenſum, vel reſpectiuè ad actum primum diuinum, ſeu diuinam poteſtatem. Primum eſt falſum. Secundum eſt inſufficiens. Ergo non tenet ſolutio. Conſequentia eſt bona, & maior certa; quilibet enim actus ſecundus reſpicit aliquem actum primum, ſeu aliquam poteſtatem, cuius ſit exercitiũ actuale: etenim nihil aliud eſt actus ſecũdus, prout diſtinctus ab actu primo, quam determinatio, & exercitium actus primi. Ergo ſi hoc decretum ſe tenet ex parte actus ſecundi, ſe tenebit ex parte exercitij actualis alicuius actus primi, ſiuè alicuius poteſtatis. Ergo, vel ingredietur actum ſecundum actus primi creaturæ, vel actus primi Dei, ſiuè poteſtatis diuinæ.

52 Iam vero minor probatur per partes. Et in primis hoc decretum non ſe tenere ex parte actus ſecundi reſpectiuè ad actum primum libertatis humanæ ad conſenſum, & diſſenſum, probatur. Quod non oritur vlla ratione à libertate humana, nec illi vlla ratione eſt imputabile, non eſt exercitium libertatis humanæ, nèc eius actuale exercitium ingreditur. Sed hoc decretum diuinum antecedens nulla prorſus ratione dependet ab humana libertate, nec vlla ratione illi imputabile eſt. Ergo hoc decretum non ingreditur actum ſecundum, quatenus actus ſecundus eſt actuale exercitium humanæ libertatis.

53 Secunda pars minoris: videlicet non ſufficere ad indemnitatem humanæ libertatis eſſe actum ſecundum libertatis diuinæ, eſt certum: etenim ea ratione, qua aliqua neceſsitas eſt conſequens, ſeruat libertatem, & poteſtatem antecedentem, & non aliter. Ea ergo neceſsitas, quæ conſequatur libertatem diuinam, non autem humanam, non deſtruet libertatem diuinam; euertet tamen humanam libertatem: conſequi enim præciſsè libertatem diuinam ad ſeruanda illæſa iura libertatis humanæ non poteſt eſſe ſufficiens.

54 Dicunt ſecundo Thomiſtæ decretum hoc prædeterminatiuum eſſe conſequens humanam libertatem: non quidem formaliter; ſed eminenter: quatenus conſequitur libertatem diuinam continentem eminenter libertates humanas, ſeu quatenus conſequitur voluntatem diuinam de libero conſenſu: cum enim volun-

tas

tas efficax diuina de libero conſenſu ſit cauſatiua illius, quod efficaciter decernit, non poterit voluntas efficax diuina de conſenſu libero non eſſe cauſa illius vt liberi,& conſequenter continebit illum eminenter. Vt igitur Prædeterminatio, & prædefinitio non ſint neceſsitas omnino antecedens, & lædens libertatem, ſufficit quod conſequantur libertatem eminenter, licet formaliter non conſequantur. Quod confirmant. Sicuti per nos non tollit libertatem humanam Scientia diuina, quia conſequitur determinationem liberam,& nihil tollit id ipſum, quod ſupponit: ita pariter voluntas diuina de conſenſu libero non tollet libertatem, quia continet illam eminenter, illamque cauſat: & nihil eſt quod tollat id ipſum, quod ponit, & cauſat.

55 Hæc ſolutio eſt inſufficiens. Primo quia pari iure poſſet quilibet defendere quamlibet ſuppoſitionem ſimpliciter antecedentem per modum naturæ, ſeu actus primi, dummodo coactio non ſit, libertatem ſeruare: poſſet enim eadem facilitate aſſerere eam ſuppoſitionem eſſe conſequentem eminenter, aſſerendo nimirum Deum, vt pote primum liberum, & continens in ſe noſtras libertates, velle noſtram operationem vt liberam,& conſequenter illam ſuppoſitionem eſſe conſequentem eminenter. Sicuti ergo in prædicto caſu diceret Thomiſta implicationē inuolui, quia Deus nequit velle quod opus fiat liberè, & ſimul ponere ſuppoſitionem antecedentem per modum naturæ,& actus primi: ita etiam in caſu prædeterminationis debet dici Deum nequire velle actum eſſe liberum, & ſimul phyſicè prædeterminatum: quia prædeterminatio eſt aliqua ſuppoſitio connexa cum conſenſu nulla ratione à conſenſu dependens: & ſicuti Thomiſta aſſerit prædeterminationem, licet neceſſario antecedenter cum conſenſu connexam,& à conſentiente ineuitabilem, non debere appellari neceſsitatem: quia neceſsitas debet eſſe per modum naturæ: ita etiam poſſet Ianſeniſta reſpondere ſuppoſitionem antecedentem per modum naturæ connexam cum conſenſu non debere dici neceſsitatem: quia neceſsitas ſonat coactionem. Hæc ergo ſolutio inſufficiens eſt.

56 Prius igitur ſtatuendum eſt quid dicat libertas à neceſsitate in ſuo conceptu, vt inde appareat, an prædefinitio antecedens,& prædeterminatio ad vnum, cum libertate conſiſtant, nec ne? Cum ergo iuxta communem ſenſum Theologorum libertas à neceſsitate dicat excluſionem neceſsitatis non conſequentis: & neceſsitas conſequens iuxta Anſelmum, quem in hac parte Theologi ſequuntur, ſit neceſsitas, quam res facit: hinc fit libertatem ex-

clu-

cludere quamlibet neceſsitatem, quam res ipſa non facit. Cum autem prædeterminatio ſit aliqua neceſsitas, quam conſenſus non facit: hinc deducitur libertatem dicere in ſuo conceptu excluſionem prædeterminationis, & prædefinitionis efficacis omnino antecedẽtis. Implicat ergo Deum velle conſenſum liberum, & ſimul prædeterminatum

57 Secundo. Neceſsitas conſequens, vt ipſi termini præſeferunt, prout diſtinguitur à neceſsitate antecedenti, eſt neceſsitas, quæ conſequitur rem, prout conſequi diſtinguitur ab antecedere. At qui Thomiſta explicat hanc neceſsitatem conſequentem per hoc quod eſt cauſare, & antecedere actum liberum. Ergo explicat conſequutionem, prout ab antecedentia diſtinctam, per antecedentiam prout diſtinguitur à conſequutione: quod eſt idem, ac dicere neceſsitatem conſequentem diſtinctam ab antecedenti eſſe eam, quæ antecedit; non vero conſequitur.

58 Tertio. Vt prædeterminatio formaliter antecedens ſit æquiualenter cõſequens in ordine ad ſeruandam libertatem, debet æquiualere neceſsitati conſequenti in ordine ad illam rationem, ob quam neceſsitas formaliter conſequens ſeruat libertatem. Sed neceſsitas verè, & formaliter, & non ſolum eminenter conſequens liberum exercitium, eatenus ſeruat libertatẽ, quatenus ſubiacet ipſi libertati, nequitque libertati nocere ea neceſsitas, quam ſibi libertas imponit, & à qua ſe poteſt expedire: ex eo enim neceſſitas, quæ prouenit mihi à meo libero conſenſu meæ indifferentiæ non nocet, quia ego liberè eam neceſsitatem mihi impono, & ab ea diſſentiẽdo me poſſum expedire. Ergo vt prædeterminatio formaliter antecedens ſit æquiualenter conſequens quoad munus ſeruandi libertatem, debet æquiualere neceſsitati conſequenti quoad hoc, quod eſt ſubiacere libertati, & poſſe ab ea libertatẽ ſe expedire. At prædeterminatio non æquiualet in ordine ad hos conceptus neceſsitati conſequenti: ſiquidem eſſentialiter habet non eſſe poſitam à libertate humana, neque ab ea poſſe impediri. Ergo nõ æquiualet neceſsitati conſequenti quoad munus ſeruandi libertatem.

59 Declaratur hæc ratio. Vt ſol ſit æquiualenter calor quoad munus producendi calorem, debet verè, & realiter poſſe producere calorem: quia A æquiualere B quoad munus aliquod, eſt quod A adeo verè, & realiter præſtet illud munus, ac præſtat B. Ergo prædefinitionem, ſiuè prædeterminationem, æquiualere neceſsitati conſequenti quo ad illam rationem, ob quam neceſsitas conſe-

conſequens ſeruat libertatem,erit quod prædeterminatio habeat verè,& realiter eam rationem, in qua fundatur neceſsitatem formaliter conſeqnentem libertatem ſeruare. Sed neceſsitas conſequens ſeruat libertatem, quia libertas ſibi imponit eam neceſsitatem,ab eaque ſe poteſt expedire. Ergo vt prædeterminatio æquiualeat neceſsitati conſequenti in ordine ad eam rationem, ob quā neceſsitas conſequens ſeruat libertatem,debet verè, & realiter poni à libertate,& ab eadem libertate poſſe impediri. Sed hoc non habet prædeterminatio iuxta Thomiſtas. Ergo neque æquiualet neceſsitati conſequenti quoad illam rationem,ob quam neceſsitas conſequens ſeruat libertatem. Ergo non æquiualet neceſsitati conſequenti quoad munus ſeruandi libertatem.

60 Dicunt tertio Thomiſtæ prædeterminationem eſſe neceſsitatem conſequentem: quia prædeterminatio,licet antecedat in genere cauſæ efficientis conſenſum, dependet tamen à conſenſu prædeterminato in genere cauſæ materialis diſpoſitiuæ. Etenim (aſſerunt prædicti authores) vt Deus prædeterminet ad conſenſum v.g. requiritur voluntatē nō ponere obſtaculum, ſeu impedimentum huiuſmodi prædeterminationi. Hæc igitur carentia impedimenti præcedit ad prædeterminationem non præcedentia cauſæ efficientis, ſed præcedentia diſpoſitionis cauſæ materialis receptiuæ prædeterminationis. Etenim (inquiunt) ſicut aeris ingreſſus eſt cauſa apertionis feneſtræ, & apertio feneſtræ eſt prior ingreſſu venti in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ,in quantū diſponit ad prædictum aeris ingreſſum: ita ſimiliter prædeterminatio cauſat efficienter conſenſum,& nihilominus conſenſus liber eſt prior prædeterminatione in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ,in quantum diſponit ad phyſicam prædeterminationem. Hac ſolutione,& doctrina vtuntur Fr. Ioannes à S.Thom. Aluarez, & Thomiſtæ R.R. apud Gonetum tract. de volunt. diſp.5. art.6. §. 1. & diſp.8. art.4 §. 10.

61 Poteſt hæc ſolutio roborari authoritate D. Thomę nam ſuper Epiſtolam ad Hebræos cap. 12. lect. 3. ait. *Hoc ipſum quod aliquis non ponit obſtaculum gratiæ ex ipſa gratia procedit*: deinde q.6. de malo in ſolut. ad 15. ait. *Illa cauſa quæ facit voluntatem velle non oportet quod ex neceſsitate hoc faciat: quia poteſt per ipſam voluntatem impedimentum præſtari*. Ergo iuxta D. Thomam voluntas poteſt impedire gratiam efficacem.

62 Omiſſa poſsibilitate, vel impoſsibilitate mutuæ prioritatis vt ſic, quia res eſt purè Philoſophica, aliter hanc ſolutionem,

nem, & doctrinam impugno. Primo, iuxta hanc ſolutionem Petrus per conſenſum ſe diſponit liberè ad phyſicam prædeterminationem ad conſenſum, quatenus liberè non ponit obſtaculum, aut impedimentum prædeterminationi ad conſenſum. Ergo Petrus habet libertatem ponendi obſtaculum, & impedimentum reſpectu prædeterminationis, quod impedimentum præcedat ad carentiam prædeterminationis ad conſenſum: ſiquidem ea ratione, qua carentia impedimenti præcedit ad formam, eadem ratione impedimentum præcedit ad carentiam formæ. Ergo Petrus per diſſenſum poteſt impedire prædeterminationem ad conſenſum. Probo hanc vltimam conſequentiam. Impedire aliquod extremum eſt ponere impedimentum antecedens aliqua ratione ad carentiam extremi. Sed Petrus poteſt per diſſenſum ponere impedimentum prædeterminationis ad conſenſum præcedens carentiam prædeterminationis. Ergo poteſt Petrus per diſſenſum impedire prædeterminationem conſenſus.

63 Confirmatur iterum. Non aliter poteſt forma à carentia impedimenti aliqua ratione dependere, niſi quatenus, depẽdet ab eo, quod non impediatur. Forma enim, quæ nequit impediri ab aliquo agenti, non debet illi agenti non impediri, conſequenterque non dependet ab eo agente, vt non impediente. Ergo ſi prædeterminatio dependet à voluntate, vt liberè non impediente, voluntas habet veram poteſtatem impediendi phyſicam prædeterminationem. Patet conſequentia. Qui liberè non facit aliquid, poteſt facere, cum libertas ad vnum, ſit poteſtas ad vtrumlibet. Sed per te voluntas liberè non impedit phyſicam prædeterminationem. Ergo voluntas, dum prædeterminatur ad conſenſum, habet poteſtatem impediendi per diſſenſum prædeterminationem.

64 Tunc ſic. Si hæc doctrina ſit vera, ceſſant omnia argumenta Thomiſtarum contra doctrinam Societatis. Ergo hæc ſolutio non ſtat cum Thomiſtarum doctrina. Probò antecedens. Si hæc doctrina ſit vera, non erit ex mera voluntate diuina diſcretio prædeſtinati à reprobo, & conſentientis à diſſentienti. At hoc eſt præcipuum Thomiſtarum argumentum aduerſus Societatis authores. Ergo ceſſat hoc doctrinæ Thomiſticæ apud ipſos firmiſsimum fundamentum. Probatur maior, in qua eſt difficultas. Diſcretio prædeſtinati à reprobo, & conſentientis à diſſentiente ſtat in phyſica prædeterminatione. Sed, iuxta hanc ſolutionem, phyſica prædeterminatio dependet à voluntate vt non impedien-

pedien-

pediente illam. Ergo diſcretio prædeſtinati à reprobo non eſt mera voluntate diuina.

65 Confirmatur. Qui habet in ſua poteſtate ne vocetur efficaciter ad conſenſum, non vocatur efficaciter pro mera alterius voluntate. Sed qui poteſt impedire prædeterminationem, habet in ſua poteſtate ne vocetur efficaciter ad conſenſum. Ergo non vocatur efficaciter pro mera voluntate alterius, nempe Dei.

66 Secundo; Deus non erit omnino abſolute primum determinans: cum eius determinatio eſſet in aliquo genere poſterior determinatione creaturæ; ſiquidem in genere cauſæ materialis prius creatura ſe diſponeret per liberam excluſionem diſſenſus, ad quam excluſionem, vt iam habitam, attenderet Deus ad conferendam prædeterminationem.

Tertio in aliquo ſenſu nos prius eligeremus Deum, quam Deus nos eligeret. Etenim prius nos per conſenſum excluderemus diſſenſum, per quam excluſionem nos in genere cauſæ materialis diſponeremus. Ergo nos eligeremus Deum per conſenſum, prius in aliquo genere, quam Deus nos eligeret.

67 Quarto voluntas diuina ſub ordinaretur humanæ, ſubijceretur illi, eſſetque ea poſterior, & veluti eius pediſequa: quod videtur eſſe contra Concilium Arauſicanum. Igitur præcipua Thomiſtarum argumenta aduerſus noſtram doctrinam æque militant aduerſus hanc ſolutionem. Ergo ſtante doctrina huius ſolutionis Thomiſtarum argumenta præcipua caſſa redduntur, & inutilia.

68 Vltimo. Licet hæc ſolutio poſſet ſuſtinere in prædefinitione efficaci omnino abſoluta, & antecedente, ex qua deriuatur, iuxta Thomiſtas phyſica prædeterminatio, ſiue gratia intrinſecè efficax, non tamen poteſt adaptari ipſi gratiæ efficaci. Nam, vt ſupra diximus, cuilibet gratiæ, & motioni diuinæ, cui liberè, aſſentimus, poſſumus diſſentire, & reſiſtere, vt conſtat ex Concilijs Tridentino, & Senonenſi præallegatis. Ad cum hac ſolutione non cōponitur poſſe nos diſſentire, & reſiſtere. Ergo inſufficiens eſt hæc ſolutio. Conſequentia eſt bona, & maior eſt doctrina Conciliorū, quam expendimus ſectione præcedente. Minor probatur. Nam, vt ſupra etiam oſtendimus, reſiſtere, & diſſentire motioni, eſt coniungere diſſenſum cum motione ad conſenſum. At ex vi huius doctrinæ non ſaluatur nos poſſe coniungere diſſenſum cum motione efficaci, cui aſſentimus; ſed ſolum nos poſſe impedire

cam:

eam motionem. Ergo cum hac ſolutione non componitur non poſſe reſiſtere motioni, cui liberè aſſentimus. Recolantur dicta ſectione præcedenti.

SECT. IV.

Senſus compoſiti, & diuiſi effugium occluditur.

69 PRobatur ſecundo repugnantia huius decreti cum libertate, Petrus, exiſtente hoc decreto, non poteſt ponere diſſenſum in ſenſu compoſito huius decreti: non in ſenſu diuiſo. Ergo nullo modo poteſt ponere diſſenſum. Conſequentia eſt legitima: quia nullus alius modus eſt poſsibilis. Antecedens quoad primam partem, etiam eſt certum: quia decretum efficax nequit coniungi cum carentia illius, quod efficaciter decernit: conſequenterque neque cum carentia conſenſus, ſiuè cum diſſenſu. Quoad ſecundam partem probatur. Diuidere diſſenſum ab eo decreto eſt facere ne exiſtat decretum. At Petrus nequit facere ne exiſtat decretum de conſenſu. Ergo nec poteſt diuidere diſſenſum à decreto. Conſequentia eſt bona, & minor certa apud aduerſarios: quando quidem decretum non exiſtit pro libertatis arbitrio. Maior autem probatur. Eſſe diuiſum diſſenſum à decreto eſt exiſtere diſſenſum ſine decreto de conſenſu. Sed diuidere eſt facere quod ſit diuiſum. Ergo diuidere diſſenſum ab eo decreto eſt facere ne exiſtat decretum exiſtente diſſenſu.

70 Reſpondebunt aduerſarij Petrum potentem diſſentire, poſſe facere ſenſum diuiſum, ſeu diuiſionem præciſiuam, vel illatiuam, non vero formalem: hoc eſt poſſe ponere diſſenſum, qui infert non exiſtere decretum de conſenſu: vel, qui ſaltem diſtinguitur ab huiuſmodi decreto: quod eſt idem, ac dicere Petrum, dum prædefinitur efficaciter ad conſenſum, habere veram, & realem poteſtatem ad ponendum diſſenſum ſecundum ſe: quòd ſufficit ad veram poteſtatem diſſentiendi: quia ad veram poteſtatem ponendi diſſenſum, ſufficit habere quidquid requiritur ex parte principij, & virtutis; licet non habeatur quod requiritur ex parte applicationis. Cum ergo, exiſtente prædefinitione, & prædeterminatione ad cōſenſum, detur in Petro quidquid requiritur ex parte principij, & virtutis ad diſſenſum; licet non detur, quod requiritur ex parte applicationis: hinc deducitur Petrum prædeterminatum ad conſenſum habere veram, & realem poteſtatem ad diſſenſum ſecun-

cum ſe, conſequenter habere poteſtatem ponendi diſſenſum in ſenſu diuiſo ſiuè præciſsiuo, ſiuè illatiuo, prædeterminationis.

71 Sed contra. Primò, vt Petrus v.g. poſsit ponere ſuã actionem in ſenſu diuiſo impedimenti A, non ſufficit habere de facto poteſtatem per modum principij ad talem actionem acceptã ſecundum ſe; ſi illi deſit poteſtas expediendi ſe ab illo impedimento. Ergo neque ſufficiet ad poſſe ponere diſſenſum in ſenſu diuiſo prædefinitionis, & prædeterminationis, habere Petrum de facto poteſtatem per modum principij ad diſſenſum ſecundum ſe, ſi deſit Petro poteſtas expediendi ſe à prædefinitione conſenſus. Cõſequẽtia eſt bona. Antecedẽs, in quo eſt difficultas, probatur variè.

72 Tum, quia non eſt aliquis potens ponere actionem in ſenſu diuiſo extremi A, niſi ſit abſolutè, & ſimpliciter loquendo, potens ponere ſuam actionem. Sed vt Petrus ſit, abſolutè, & ſimpliciter loquendo, potens ponere ſuam actionem, non ſufficit habere de facto poteſtatem per modum principij ad talem actionem acceptam ſecundum ſe, ſi illi deficit poteſtas expediendi ſe ab illo impedimento. Ergo neque poteſt abſolutè loquendo ponere actionem in ſenſu diuiſo extremi A, ſiuè impedimenti A, niſi poſsit ſe expedire à prædicto impedimento. Conſequentia eſt bona, & Maior certa. Minor probatur vulgari exemplo, cui numquam ab aduerſarijs factum eſt ſatis.

73 Petrus vinculis carcere conſtrictus, quibus nequit ſe expedire, non eſt abſolute potens audire ſacrum templo celebratum, quamuis ad auditionem ſacri ſecundum ſe habeat totam poteſtatem requiſitam per modum principij auditiui: non ob aliam rationem, niſi quia impeditur vinculis, à quibus non poteſt ſe expedire: quorum vinculorum defectus non requiritur vt principiũ auditionis, ſed ſolum vt remouens prohibens applicationem, & approximationem requiſitam ad auditionem exercendam. Ergo nõ ſufficit ad abſolutam, & verã poteſtatẽ exercendi aliquã actionem dari totam poteſtatẽ in genere principij, niſi, vel deficiant impedimenta, vel detur poteſtas expediendi ſe ab eis impedimentis.

74 Neque ſatisfaciunt adverſarij, dum aſſerunt vincula tollere poteſtatem, non præciſſe, quia impedimenta ſunt, à quibus nequit ſe vinculatus expedire; ſed quia ſunt impedimenta per modum naturæ, & non prouenientia ex natura ſua ex ſolo Deo, vt reducente agens liberum de actu primo ad ſecundum. Hoc, inquam, non ſatisfacit: quia ſecluſis alijs rationibus, impedimentum ad aliquid à me ineuitabile tollit mihi poteſtatem ad illud aliquid. Er-

go eo præciſe, quod phyſica prædeterminatio ad conſenſum ſit impedimentum diſſenſus, à quo non me poſſum expedire, tollet mihi poteſtatem ad diſſenſum. Antecedens explico hac propoſitione, qua mihi nihil clarius, & euidétius. Qui pariter impedimentum ad aliquod opus: ita vt neque ſit in ſua manu illud impedimentũ non habere, nec poſsit à ſe excutere, nec valeat exercere illam actionẽ ſimul cum illo impedimento, non poteſt abſolutè ponere illam actionem, nec illi imputabile eſt eam non ponere. Ergo ſeclusis alijs rationibus, impedimentum ad aliquid mihi ineuitabile tollit mihi poteſtatem ad illud aliquid.

75 Præterea, quando adeſt aliquod extremum non mihi contingens, nullaque ratione à me dependens, non poſſum ponere aliquam actionem, niſi in ſenſu compoſito illius extremi, vel ſi non poſſum ponere in ſenſu compoſito, abſolutè non poſſum eam actionem ponere. Sed exiſtente prædefinitione, & prædeterminatione ad conſenſum, adeſt aliquod extremum mihi non contingẽs, nulla vè ratione à me dependens. Ergo non poſſum ponere illam meam actionem; niſi in ſenſu compoſito eius prædefinitionis: vel, ſi non poſſum ponere in ſenſu compoſito prædefinitionis, abſolutè non potero ponere diſſenſum. Minor eſt certa, & conſequentia bona. Maior probatur ab inductione.

76 Ideo non poſſum ponere meam actionem, niſi in ſenſu cõpoſito cœli, quia exiſtit cœlum non contingenter mihi: ideo etiam non poſſum ponere meam actionẽ, niſi in ſenſu cõpoſito prædeterminationis Petri, quia, tametſi prædeterminatio Petri conſequatur libertatem diuinam, non tamen meam; nec mihi eſt contingẽs, aut meo ſubijcitur dominio. Et ſic in reliquis alijs caſibus. Ergo dum adeſt extremum mihi non contingens, non poſſum me exercere, niſi in ſenſu compoſito illius extremi.

77 Paulo aliter hic ſenſus diuiſus Thomiſtarum impugnatur. Vt voluntas ſit potens ad diſſenſum ſecundum ſe modo ſufficienti, vt abſolute poſsit dici de illa. Abſolute, & ſimpliciter poteſt ponere diſſenſum, non ſufficit habere quidquid requiritur ad diſſenſum ex parte poteſtatis, & principij. Ergò non tenet aduerſariorum ſolutio. Probo antecedens. Beatus ex vi viſionis beatificæ amittit, iuxta aduerſarios, poteſtatem peccandi: item humanitas Chriſti ex vi viſionis hypoſtaticæ eſt impotens peccare. At neque humanitas Chriſti Domini, neque beatus, amittunt poteſtatẽ, quæ requiritur ex parte principij ad peccandum. Ergo poſſe abſolute, & ſimpliciter peccare, non eſt habere quidquid requiritur

Digitized by Google

ex parte principij ad peccandum. Syllogiſmus rectus eſt, & Maior doctrina aduerſariorum. Minor autem facile probatur. In beato datur iudicium indifferens, quo cognoſcit rationes allicientes ad peccatū, & à peccato retrahentes, ſed ad conſenſū, & diſſenſū, nihil aliud requiritur ex parte principij. Ergo in beato datur quidquid requiritur ex parte principij ad peccatū. Idem argumentū fit reſpectu humanitatis Chriſti D. ſiquidē in humanitate Chriſti D. præter ſcientiam beatam, datur etiam ſcientia infuſa, & adquiſita cōſtituens in humanitate Chriſti D. iudiciū indifferēs circa peccatū.

78 Dicent primo aduerſarij impedimentum ad peccandum prouenient beato formaliter à viſione beatifica eſſe per modum naturæ, ſecus autem impedimentum proueniens formaliter à phyſica prædeterminatione. Sed contra: Quod ſe habet præciſſe per modum applicationis, & nō per modum principij influentis, nō ſe habet per modum naturæ. Sed viſio beatifica ſolū ſe habet per modum applicationis obiecti. Ergo nō per modū naturæ. Si tamē dicas viſionem ſe habere per modum naturæ, licet non ſe habeat per modum principij influentis; ſed ſolum per modum applicationis: cur prædeterminatio non ſe habebit per modum naturæ, quāuis dumtaxat ſe habeat per modum applicationis.

79 Dicent, ſecundo viſionem neceſsitare antecedenter, prædeterminationem vero conſequenter. Sed contra. Etiam viſio eſt conſequens ad cauſam primam, licet non ad cauſam ſecundam, ſiquidem neque prædeterminatio conſequitur exercitium liberum cauſæ ſecundæ. Si tamen dicas prædeterminationem eſſe conſequēter æquiualenter, quia datur à cauſa prima, vt cauſa ſecunda libere operetur, in primis id voluntariē, & libere dicitur. Deinde cur non mihi, & omnibus licebit idem aſſerere de viſione beatifica, nimirum dari à Deo mediante lumine gloriæ, vt beatus libere excludat quodlibet peccatum.

80 Dicent tertio. Voluntatē determinari à prædeterminatione per modū libertatis, ſecus à viſione beatifica. Cæterū cū de hoc ipſo ſit quæſtio, eſt manifeſta petitio principij. Profecto (vt recte aſſerunt noſtri Authores) nihil poteſt fingi pro prædeterminatione, quod in viſione beatifica, vnione hypoſtatica, pluribuſque alijs caſibus, manifeſte non inſietur.

81 Vlterius impugnatur hic ſenſus diuiſus. Omiſsio efficaciter imperata non eſt in ſe libera, ſed ſolum in imperio: itē actus imperatus efficaciter non habet immediatam libertatem in actu ſecundo, ſed ſolum mediatā ratione imperij, vt & ipſi Thomiſtæ fatentur: tunc ſic.

 82. Si

82 Si ſufficeret ad veram, & realem poteſtatem ponendi actum in ſenſu diuiſo impedimenti ad illum habere voluntaté quidquid requiritur ex parte principij, & virtutis immediatæ ad ponendum actum: in caſu imperij efficacis ad actum A; actus A eſſet immediatè liber. Sed non eſt liber immediate in illo caſu. Ergo non ſufficit ad veram, & realem poteſtatem ponendi actum in ſenſu diuiſo impedimenti ad illud, habere voluntatem quidquid requiritur ex parte principij, & virtutis immediatæ ad ponendum actum. Conſequentia eſt bona, & minor doctrina Thomiſtarum. Probo maiorem, ad quam reuocatur difficultas.

83 In caſu imperij efficacis ad actum A datur quidquid requiritur ex parte principij, & virtutis immediatæ, tum ad actum A, tum ad eius carentiam. Sed actum A eſſe immediatè liberum eſt poni à voluntate habente quidquid requiritur ex parte principij, & virtutis immediatè ad actum, & ad eius carentiam: nam libertas immediata in hoc iuxta Thomiſtas conſiſtit. Ergo in caſu imperij efficacis ad actum A, actus A eſſet immediatè, & in actu ſecundo liber. Probo maiorem. In caſu prædicti imperij datur voluntas, & iudicium indifferens ad vtrumlibet. Sed in hoc, iuxta Thomiſtas, conſiſtit poteſtas proxima ad vtrumlibet. Ergo in caſu imperij datur poteſtas proxima ad actũ imperatum, & ad eius carentiam.

84 Aliter etiam contra hunc ſenſum diuiſum argumentor. Supponamus Petrum imperare efficaciter actum A, & Deum pro ſuo ſupremo dominio Petrum prædeterminare ad carentiam huiuſmodi actus. In quo nulla eſt repugnantia: cum enim actus imperans efficaciter ſolum ex natura rei connectatur cum imperato, non eſt cur Deus non poſsit prædeterminare ad carentiam actus imperati in ſenſu compoſito actus imperantis. Tũc ſic.

85 In hoc caſu Petrus non poſſet abſolutè, & ſimpliciter loquendo, ponere actum imperatum: & tamen in hoc caſu haberet quidquid requiritur ex parte principij, & potentiæ proximæ ad actum imperatum, cum ſolum illi deeſſet prædeterminatio ad actum imperatum, ſiuè carentia prædeterminationis ad defectum actus imperati. Ergo ad veram, & realem poteſtatem non ſufficit principium, & potentia proximè influxiua, ſed vlterius requiritur carentia prædeterminationis ad oppoſitum. Probo maiorem, in qua poteſt eſſe difficultas: qui vult efficaciter exequi aliquid, & tamen non exequitur, non poteſt illud exequi. Illi, qui

qui conatur efficaciter, quatenus eſt ex ſe, ad aliquid, & illud non obtinet, non imputatur non obtinere. Sed in hoc caſu Petrus vult efficaciter amare. Ergo ſi non amat, non ideo eſt, quia non vult, ſed quia non poteſt.

86 Confirmatur ex Auguſt. lib. 1. retractat. cap. 22. aſſerente *Hoc eſt in poteſtate, quod cum volumus facimus.* Quod ergo cum volumus non facimus, non eſt in poteſtate. Idem Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 3. ait. *Non enim poſſum aliud ſentire eſſe in poteſtate noſtra, niſi, quod cum volumus facimus.* Ergo ſi quod volumus, cum illud volumus, non facimus: quod volumus non eſt in noſtra poteſtate. At in caſu prædicti imperij Petrus non facit, quod vult, videlicet amare. Ergo non poteſt amare.

SECT. V.

Vlterius oſtenditur prædicta decreta tollere libertatem.

87 PRobatur tertio hoc decretum cum libertate non componi. Exiſtente prædefinitione ad conſenſum, prout à Thomiſtis ponitur, non datur poteſtas ad diſſenſum. Ergo neque libertas. Conſequentia eſt bona. Antecedens probatur. Exiſtente hoc decreto de conſenſu Petri, deficit Petro decretum de diſſenſu, & etiam deficit poteſtas illud adquirẽdi. Sed cui hæc duo deſunt, de eſt poteſtas ad diſſenſum. Ergo Petro in prædicto caſu deeſt poteſtas ad diſſenſum. Conſequentia eſt bona, & maior doctrina aduerſariorum. Minor probatur. Iuxta Thomiſtas decretum de diſſenſu eſt neceſſario requiſitum ad diſſenſum. Vel, ſi nolint: ſaltem fateri debent carentiam decreti de conſenſu eſſe neceſſario requiſitam ad diſſenſum, & ſimiliter non eſſe in poteſtate hominis adquirere eam carentiam. Ergo Petro prædeterminato ad conſenſum deeſt aliquod requiſitum ad conſenſum; & ſimul deeſt poteſtas ad illud adquirendum. Ergo Petro deeſt poteſtas ad diſſenſum. Hæc vltima conſequentia probatur hoc ſyllogiſmo.

88 Ille, cui deeſt requiſitum eſſentiale ad diſſenſum, nec habet in ſua manu, & poteſtate, quod prædictum requiſitum exiſtat, non eſt potens ponere diſſenſum. Sed Petrus, exiſtente hoc decreto prædefinitiuo conſenſus, non habet decretum de diſſenſu, neque carentiam decreti de conſenſu, nec habet in ſua manu, quod exiſtat decretum de diſſenſu, & carentia decreti de conſenſu: & ex

alio capite decretum de diſſenſu, vel ſaltem carentia decreti de conſenſu, requiritur eſſentialiter ad diſſenſum. Ergo Petrus nõ habet in prædicto caſu veram, & realem poteſtatem ad diſſenſum.

89 Neſcio, quid huic argumento poſſit reſponderi, niſi negando illam propoſitionem vniuerſaliter acceptam. *Cui deeſt requiſitum neceſſarium indiſpenſabiliter ad diſſenſum, & etiam poteſtas ad illud comparandum deeſt poteſtas ad diſſenſum.* Verum, qua ratione erit mihi liberum, meoque arbitrio ſubijcietur, quod neque poſſum comparare ſine aliquo requiſito, nec habere requiſitum, nec poteſtatem quidem ad illud comparandum? Sanè qui nequit iter facere, niſi equo, equoque caret, & poteſtate illum habendi, abſolutè nequit iter facere. Qui nequit Indias adire, niſi illi ſit nauis, & illa careat, & poteſtate illam habendi, abſolute nequit Indias adire. Qui nequit comparare veſtes, & victum, niſi pecunijs, & illis careat, & ſimiliter poteſtate eas adquirendi, abſolute nequit comparare ſibi victum, & veſtes; & ſic in reliquis caſibus. Ergo, cui deeſt requiſitum neceſſarium indiſpenſabiliter ad aliquod extremum, & etiam poteſtas ad illud requiſitum comparandum, deeſt poteſtas ad illud extremum. Ergo in noſtro caſu, cui deeſt requiſitum neceſſarium ad diſſenſum, & poteſtas illud comparandi, deeſt ſimiliter poteſtas ad diſſenſum.

90 Probatur quarto repugnantia huius decreti cum libertate diſſentiendi. Poſito hoc decreto verificantur hæ duæ præmiſſæ. *Omnis prædefinitus, ſeu prædeterminatus ad conſenſum conſentit. Petrus eſt prædeterminatus ad conſenſum.* Ex quibus præmiſſis legitime infertur. *Ergo Petrus conſentit.* Tunc ſic. Qui nequit impedire veritatem præmiſſarum, ex quibus legitime infertur veritas concluſionis, nequit impedire veritatem concluſionis. Sed Petrus prædeterminatus ad conſentiendum nequit impedire veritatẽ præmiſſarum, ex quibus legitime deducitur Petrum conſentire. Ergo neque poterit impedire veritatem concluſionis, nempè *Petrus conſentit*: & conſequenter, neque poterit diſſentire: quando quidem *diſſentire Petrum* eſt Petrũ impedire illã veritatem *Petrus conſentit*.

91 Diſcurſus legitimus eſt: & minor certa: ſiquidem Petrus, neque apud Thomiſtas poteſt facere ne ſit prædeterminatus, neque etiam poteſt falſificare illam propoſitionem maiorem: nempe *Omnis prædeterminatus ad conſentiendum conſentit*: hæc enim propoſitio eſt neceſſariæ, & indefectibilis veritatis. Ergo nequit Petrus falſificare vllam ex illis præmiſſis, ſeu veritatem alicuius ex illis impedire.

92 Iam denique maior prædicti diſcurſus, nimirum. *Qui nequit impedire veritatem præmiſſarũ, ex quibus legitime infertur veritas concluſionis, nequit impedire veritatem concluſionis.* Varie probatur. Primo: quia veritas concluſionis imbibitur realiter in veritate præmiſſarum, ita vt veritas præmiſſarum non diſtinguatur adæquate realiter à veritate concluſionis. Qui autem nequit impedire vllo modo veritatem includentem aliam, neque poterit impedire veritatem in prima contentam: ſicuti, qui nequit impedire veritatem vniuerſalis propoſitionis, neque poteſt impedire veritatẽ ſingularis contentæ in ea veritate vniuerſalis.

93 Secundo, quia, iuxta Ariſtotelem 1. prior. cap. 8. qualis eſt neceſsitas in præmiſsis, talis eſt in conſequenti. Ergo cui eſt neceſſaria, & inimpedibilis, veritas præmiſſarũ, neceſſaria, & inimpedibilis eſt veritas concluſionis.

94 Tertio, quia quod neceſſario infertur ex aliquo ineuitabili, ea ratione, qua infertur, ineuitabile eſt. Sed veritas concluſionis ita infertur ex præmiſsis ineuitabilibus, vt hæc illatio neceſſaria ſit. Ergo veritas concluſiones neceſſario illatæ ex præmiſsis ineuitabilibus Petro, Petro neceſſaria, & ineuitabilis eſt.

95 Quarto, quia, vel poſſet Petrus impedire veritatem concluſionis relinquendo veritatem præmiſſarum, vel non relinquendo. Neutro modo poteſt. Ergo nullo modo poteſt, ſiquidem alius non reſtat. Minor probatur. In primis non poteſt impedire veritatem concluſionis relinquendo veritatem præmiſſarum quia eſt implicatorium relinqui veritatem præmiſſarum, dum impeditur veritas concluſionis, cum qua veritate concluſionis connectitur metaphyſicè veritas præmiſſarum. Deinde non poteſt impedire veritatem concluſionis non relinquendo veritatem præmiſſarum, quia hoc eſſet impedire veritatem præmiſſarum, & veritas illarum præmiſſarum eſt per te inimpedibilis à Petro. Ergo Petrus non poteſt impedire veritatem concluſionis non relinquendo veritatem præmiſſarum. Ergo nullo modo poteſt Petrus impedire in illo caſu veritatem præmiſſarum.

96 Probatur quinto repugnare hoc decretum conſenſus cum poteſtate diſſenſus. Non alio modo poſſum impedire effectum alicuius cauſæ, niſi vel impediendo quod exiſtat cauſa, vel impediendo quod exiſtẽte cauſa ſequatur effectus, ſed diuina voluntas efficax antecedens de cõſenſu Petri eſt cauſa conſenſus Petri. Ergo Petrus non aliter poteſt impedire prædictum conſenſum,

niſi, vel impediendo voluntatem diuinam antecedentem de conſenſu, vel impediendo, quod exiſtente ea voluntate ſequatur conſenſus. At qui Petrus neque poteſt impedire eam voluntatem, vtpote humano arbitrio non ſubiectam: neque poteſt facere quod ea exiſtente non ſequatur effectus: quia hoc implicat: Ergo nulla ratione poteſt Petrus, dum adeſt ea prædefinitio, impedire conſenſum. Ergo ſenſus diuiſus in prædicto caſu non ſubiacet voluntati Petri.

97 Probatur ſexto idem intentum. Homo prædeterminatus ad conſenſum non poteſt impedire coexiſtentiam, ſiue binarium ex prædeterminatione, & conſenſu. Ergo neque conſenſum. Probo antecedens. Prædeterminationem exiſtere ſimul cum conſenſu eſt dari coexiſtentiam, & binarium prædeterminationis, & conſenſus. Sed homo prædeterminatus ad conſenſum non poteſt vllo vero ſenſu impedire prædeterminationem exiſtere ſimul cum conſenſu. Ergo neque poterit impedire dari coexiſtentiam, & binarium prædeterminationis, & conſenſus. Maior eſt certa, & conſequentia bona, minor probatur. Prædeterminationem exiſtere, & non exiſtere ſine conſenſu, eſt prædeterminationem exiſtere cum conſenſu. Sed homo prædeterminatus non poteſt impedire hoc complexum. *Prædeterminatio exiſtit, & non exiſtit ſine conſenſu.* Ergo neque poteſt impedire quod prædeterminatio exiſtat cum conſenſu. Conſequentia eſt bona, & maior certa: nam exiſtere, & non ſine alio, eſt exiſtere cum illo. Probo igitur maiorem. Homo prædeterminatus non poteſt impedire primam partem complexi videlicet. *Prædeterminatio exiſtit*, Deinde non poteſt impedire ſecundam, nimirum *non exiſtit ſine conſenſu*: quia ſi poſſet eam impedire, poſſet ponere oppoſitum, videlicet exiſtit prædeterminatio ad conſenſum ſine conſenſu: quod eſt implicatorium. Ergo non poteſt eam impedire. Ergo neque complexum.

98 Vlterius. *Non deficere prædeterminationem ad conſenſum, & deficere, vel diſſenſum, vel prædeterminationem ad conſenſum* eſt deficere diſſenſum: cum deficere vnum è duobus non deficiente primo, ſit deficere ſecundum. Sed homo prædeterminatus ad conſenſum non poteſt impedire, neque quod non deficiat prædeterminatio ad conſenſum, neque quod verum ſit, quod, *vel deficit prædeterminatio ad conſenſum, vel deficit diſſenſus.* Ergo neque poterit impedire quod deficiat diſſenſus: & conſequenter neque quod exiſtat conſenſus. Minor facile probatur. Quia prædeterminatus non poteſt impedire defectum prædeterminationis, vt ſupponunt ad-

uerſarij. Ergo non poteſt impedire veritatem hanc. *Non deficit prædeterminatio*: alioquin poſſet adquirere prædeterminationem. Deinde non poteſt impedire hanc veritatem, vtpote neceſſariam. *Vel deficit prædeterminatio, vel deficit diſſenſus*: ſiquidem ſi neque deficeret prædeterminatio, neque diſſenſus, coniungeretur prædeterminatio ad conſenſum cum diſſenſu. Ergo prædeterminatus nõ poteſt impedire totum illud complexum: videlicet, *vel deficit prædeterminatio, vel deficit diſſenſus; & non deficit prædeterminatio.* Sed hoc eſt non poſſe impedire, quod deficiat diſſenſus. Ergo prædeterminatus non poteſt impedire defectum diſſenſus: & conſequenter non poterit diſſentire.

99 Probatur ſeptimo repugnantia huius decreti cum poteſtate omittendi ex principijs Thomiſtarum. Si Petrus non poſsit cras impedire quod conſenſurus ſit cras, abſolute cras non poterit impedire ſuum conſenſum. Sed Petrus cras non poterit impedire, quod conſenſurus ſit cras. Ergo neque poterit diſſentire. Maior videtur certa. Minor probatur. Impedire hanc veritatem *Petrus conſenſurus eſt cras*. Eſt impedire quod Petrus ſit conſenſurus cras. Sed Petrus cras non poteſt impedire hanc veritatem. *Petrus conſenſurus eſt cras*. Ergo Petrus cras non poterit impedire, quod conſenſurus ſit cras. Probo minorem. Hæc veritas. *Petrus conſenſurus eſt cras* iuxta Thomiſtas eſt ipſum decretum de cõſenſu craſtino. Sed Petrus cras non poterit impedire decretum diuinum de ſuo conſenſu craſtino. Ergo Petrus cras non poterit impedire hanc veritatem *Petrus conſenſurus eſt cras*.

100 Denique argumentor octauo ratione mihi omnium validiſsima. Certum eſt apud Catholicos Deum offerre nobis ſuũ concurſum, & per nos ſtare, quod non habeamus concurſum Dei actualem ad actum bonum, & omnem gratiam ad conſenſum requiſitam: alioquin ſtaret per Deum, conſequenterque, nec paratus eſſet ad concurrendum nobiſcum, nec nobis ſuum cõcurſum ſerio offerret, contra id, quod docet Concilium Senonenſe decreto 15. vbi ait. *Neque tanta gratiæ neceſsitas libero præiudicat arbitrio, cum illa ſemper ſit in promptu*. Sed hæc oblatio ſui concurſus, & hæc diuina præparatio ad concurrendum nobiſcum non ſtat cum prædeterminatione, & prædefinitione ad oppoſitum. Ergo non prædeterminat ad vnum extremum præ oppoſito. Probatur minor. Quod antecedenter ad meam liberam operationem, independenterque à mea libera voluntate, & acceptione, mihi denegatur, nec ſtat per me non habere, nec mihi ſerio offertur. Sed concurſus

in

in actu ſecundo, nempe phyſica prædeterminatio ad vnum extremum v.g. conſenſum, antecedenter ad meam liberam operationem, independenterque à mea libera voluntate, & acceptatione, mihi denegatur, quando prædeterminor ad diſſenſum. Ergo quando prædeterminatur aliquis ad diſſenſum, nec ſtat per illum non habere concurſum in actu ſecundo ad diſſenſum, nec illi ſerio, & verè offertur à Deo.

SECT. VI.

Fundamentum ab authoritate petitum conuellitur.

101 OBjicitur nobis primo Apoſtolus ad Epheſ. 1. vbi ait, *Deus operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ* quod ita explicat S. Thomas, *id eſt ſecundum voluntatem ſuam, quæ eſt ex ratione nō ſecundum, quod ratio importat diſcurſum; ſed ſecundum quod deſignat certam, & deliberatam voluntatē.* Sed certa, & deliberata voluntas eſt voluntas efficax præcedens. Ergo omnia, quæ Deus operatur, prædefinit antecedenter efficaciter. Deinde non dicit Apoſtolus, quod Deus operatur ſecundū conſilium voluntatis humanæ, aut ſecundum ſuam præſcientiam, ſed ſolum ſecundum ſuum conſilium. Ergo Deus operatur ſecundum voluntatem, quæ non dirigitur præſcientia euentus futuri, vel abſolutè, vel conditionatè.

102 Reſpondeo in his verbis ſolum contineri Deum omnia operari voluntate prudenti, &, vt ait D. Thomas, certa, & deliberata. Hoc eſt voluntate directa perfecta cognitione, & quæ non manet incerta de euentu, vel, ſi mauis, quæ eſt abſoluta, & efficax. Quod autem hæc voluntas operetur immediatè per ſe, vel per phyſicam prædeterminationem, & non per media indifferentia, non conſtat ex his verbis. Quod vero non dicat Apoſtolus Deum operari ſecundum ſuam præſcientiam, ideo eſt, quia dicit Deum operari ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, quod eſt idem, ac dicere Deum operari ſecundum voluntatem prudentem, & deliberatam: in qua deliberatione intelligitur ſcientia, quæ ad ſeruanda iura libertatis humanæ fuerit requiſita. Deinde non dixit Apoſtolus Deum operari ſecundum conſilium voluntatis humanæ, ſed ſuæ: quia licet voluntas humana præcedat obiectiuè mediante ſciētia conditionata; magis ſtrictè præcedit voluntas diuina, ex qua oriuntur media, quibus voluntas humana abſolutè obtinebitur.

103 Secun-

103 Secundo obijcitur idem Apoſtolus 2. cap. eiuſdem Epiſtolæ ad Epheſios. Vbi dicitur. *Ipſius etiamſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*: In quibus verbis duo ponderat Gonetus. Primum: fideles dici *creati* in operibus bonis, quia ſicut creatio non præſupponit ſubiectum, ſed facit, ita voluntas diuina præparans bona opera, non præſupponit conſenſum noſtrum; ſed illum per gratiam facit. Secundum dici bona opera à Deo præparata, id eſt *prædeterminata*: quod confirmat authoritate D. Athanaſij, & D. Proſperi aſſerentium Deum noſtra bona opera prædefinire, & prædeſtinare.

104 Reſpondeo verum eſſe noſtra opera bona à Deo prædefiniri, & prædeſtinari: ſed prædefinitione, & prædeſtinatione ſuaui, & benigna, vtenteque medijs indifferentibus; non vero prædefinitione adeo rigida, & ferrea, vt prædeterminationem phyſicam ineluctabilem, & irreſtibilem inducat: in quo ſenſu intelligendus eſt D. Thomas aliquibus in locis, quibus docuit Deum noſtra bona opera prædeterminare: intelligendum enim eſt Deum noſtra bona opera prædecernere: non autem phyſicè prædeterminare, quod vero Apoſtolus vtatur verbo *creauit*, ideo eſt, quia in ſcriptura accipitur ſepiſsime verbum *creare* præciſſe pro *producere* vt notant plurimi interpretes ad illa verba *in principio creauit Deus cœlum, & terram*. Gen. 1. non autem iuxta ſenſum metaphoricum à Goneto libere excogitatum.

105 Obijcitur tertio D. Dionyſius de diuinis nominibus cap. 5. vbi hæc habet loquens de idæis, & diuinis exemplaribus rerum, quæ ad extra producuntur. *Exemplaria dicimus exiſtentium rationes ſubſtantificas, & ſingulariter præexiſtentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & diuinas, & bonas voluntates exiſtentium prædeterminatiuas, & effectiuas, ſecundum quas ſubſtantialis eſſentia omnia prædefiniuit, & produxit*. Ergo iuxta Dionyſium datur in Deo prædefinitiones prædeterminantes omnium rerũ exiſtencias, eaſque exiſtentias efficientes, quæ prædefinitiones videntur omnino eſſe, quæ à Thomiſtis ponuntur, & à nobis impugnantur.

106 Reſpondeo ex D. Thoma ibidem lect. 3. Dionyſium ibi refellere quendam Clementem Phyloſophum Platonicũ exiſtimantem Deum non eſſe cauſam rerum ſecundum proprias, & ſingulares rationes. Vt hunc errorem refellat Dionyſius, aſſerit Deũ non ſolum circa rationem communem: verum etiam circa rationes ſin-

ſingulares, & vltimas differentias creaturarum, habere ideam perfectiſsimam, item voluntatem prædeterminantem, non phyſice, ſed intentionaliter; hoc eſt, prædecernentem omnes creaturas (excipe ſemper peccatum, vt infra dicemus) ſecundum ſuas proprias differentias: hancque voluntatem eſſe effectiuam earum rationum ſingularium: non quidem immediate (hoc enim non colligitur ex verbis Dionyſij) ſed vel in mediate, vel mediate, prout opus fuerit ad naturam effectiuum ſingulorum. Neque hinc colligas nos negare concurſum Dei immediatum in opera à Deo prædefinita: non enim eum immediatum concurſum inficiamur, ſed aſſerimus Deũ non concurrere immediatè per decretum prædefiniens, ſed per aliud decretum indifferens, ne humanæ libertatis iuri derogetur.

107 Hanc eſſe rectam Dionyſij intelligentiam conſtat, tũ ex eo quod eius verba nihil aliud affirment, aut indicent, tum etiã quia cum horum verborum ſcopus ſit reffellere Clementem Platonicum negantem Deo influxum in rationes ſingulares creaturarum, & ad hũc influxum non requiratur Deum prædefinire modo, quo Thomiſtæ defendunt, non eſt cur ad tam rigidas prædefinitiones D. Dionyſius adducendus eſt.

108 Obijcitur quarto D. Auguſtinus aſſerentes apud Proſp. ſentent. 58. *Diuina voluntas eſt ſuprema cauſa omnium corporalium ſpiritualiumque motionum.* Item in ſolil oquijs cap. 26. *Priuſquam me formares in vtero, nouiſti me, & antequam exirẽ de vulua, quidquid tibi placuit, præordinaſti me.* Et alijs in locis aſſerit omnia bona opera eſſe à Deo prædeſtinata: necnon nos non velle, niſi Deus velit nos velle. Ergo iuxta D. Auguſtinum Deus immediate determinat noſtras bonas operationes, eas omnino abſolutè, & antecedenter prædefiniendo, & phyſicè prædeterminando.

109 Conceſſo antecedenti negatur conſequentia: quia in his omnibus docet dumtaxat Auguſtinus Deum prædefinire noſtras bonas operationes per prædefinitionem, & voluntatem, ob quam Deo noſtræ bonæ voluntates tribuantur. Cæterum totum hoc ſtare poteſt prædefinitione directa ſcientia media, adhibenteque Deo media indifferentia, de quibus illi certo conſtat cõiungenda eſſe cum bona voluntate prædefinita, quin opus ſit prædefinitione omnino abſoluta, ſiuè immediatè influente, ſiuè deriuãte phyſicam prædeterminationem. Ideo ex verbis D. Auguſtini nihil infertur aduerſus noſtram ſententiam, vel quod faueat Thomiſtarum ſententiæ. Non igitur ſolum concedimus decreta abſo-

luta

Digitized by Google

luta de noſtra libera voluntate tempore antecedentia, ſed etiam cauſalitate:non quidem immediata, ſed mediata:quatenus Deus, vt obtineat conſenſum prædefinitum, adhibet media, de quibus illi certiſsimo conſtat eſſe coniungenda cum conſenſu, ſi adhibeantur.

110 Eadem ratione explicantur plures alij textus, tum aliorum Patrum, tum præſertim S. Thomæ, quibus dicitur Deus noſtras operationes *prædeſtinare, prædefinire*, & *prædeterminare* in quibus ly *prædeterminare* intelligendum eſt intentionaliter; nõ phyſicè immediate:hoc eſt, Deum noſtras actiones(excipe ſemper peccatum)*prædecernere*:ideſt decernere decreto antecedente noſtra opera, tum antecedentia temporis, tum naturæ, & cauſalitatis: non immediatæ, ſed mediatæ per modum præparationis, & præordinationis mediorum:quin neceſſe ſit ad prædefinitiones omnino antecedentes immediate, & à ſcientia media independentes recurrere.

111 Sed aduerſus hanc ſolutionem rurſus inſtat Gonetus. Primo: quia Deus non operaretur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, ſed ſecundum conſilium voluntatis humanæ. Sed reſpondetur Deum actus noſtros liberos operari ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, tum decernentis noſtrum conſenſum, tum præparantis media, quæ præuidet congrua. Operatur nihilominus Deus ſecundum conſilium voluntatis humanæ, vt præuiſum conditionate futurum ſub ipſa gratia diuina:operari autem hac ratione ſecũdum conſilium voluntatis humanæ, non excludit Deum operari ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.

112 Secundo inſtat:quia ſi diuina prædefinitio ſupponeret præuiſionem conſenſus conditionati, inepte diceretur ab Apoſtolo fideles creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis:cum decretum diuinum, vtpote ſupponens conſenſum conditionatum, maiorem annalogiam haberet cum eductione ſupponente ſubiectum, quam cum creatione nullum ſubiectum ſupponente. Sed reſpondetur. Tum ibi Apoſtolum accipere verbum *creare pro producere* abſque reſpectu ad eam annalogiam:tum etiam dici opera bona creari à Deo, quatenus nullum initium ſupponunt per modum meriti, & hoc ad eam annalogiam ſufficere.

113 Inſtat tertio. Incongrue dici in ſcriptura, ſi noſtra doctrina vera eſſet, Deum trahere homines ad conſenſum, & de nolentibus facere volentes: vbi enim præuidetur voluntas conſenſura, & ſub auxilio indifferenti ſe determinatura pro ſuo libito, & mera

Digitized by Google

mera determinatione, nequit intelligi tractio, aut cordis mutatio. Sed reſpondetur Deum trahere, non cogendo, aut phyſicè impellendo: ſed adhibendo media; quibus ſcit futurum eſſe volētem, qui ante nolebat. Imo in humanis, qui ſua eloquentiæ vi alteri ſuadet, vt amplectatur, quod antea obſirmato animo reſpuebat, dicitur trahere, & mutare corda, licet phyſicam prædeterminationem alterius voluntati non infigat.

114 Inſtat quarto. Si prædefinitio, & præordinatio diuina eſſet poſt præuiſionem conditionatam, decretum diuinum, potius *poſt definitio*, quam *prædefinitio* dicenda foret: quod videtur abſurdum. Sed reſpondetur prædefinitionem eſſe in genere effectiuo remote præcedentem, obiectiue vero conſequentem, ratione Scientiæ Mediæ: in quo ſenſu eſt *poſt definitio*, ſicuti in priori dicitur *prædefinitio*. Cæterùm quemadmodum apud Gonetū diſp. 8. de volunt, art. 4, §. 10. phyſica prædeterminatio, quia dependet à conſenſu in genere diſpoſitiuo cauſæ materialis, quatenus voluntas conſentiendo non potuit impedimentum, poteſt dici *poſt determinatio*, cur prædefinitio non poterit in genere obiectiuo, quia ſubſequitur conſenſum conditionatè præuiſum, dici *poſt definitio*. Verum quia antecedentia in genere cauſatiuo eſt magis propriè præcedentia, & quia decreta diuina tempore quoque præcedunt: ideo prædicta decreta abſolutæ *prædefinitiones*, & non poſt *definitiones* debent appellari.

115 Inſtat quinto. Quia iuxta Auguſtinum, & D. Thomā in bono ſenſu poteſt admitti *fatum* intelligendo ſub hoc nomine non nexum cauſarum naturalium; ſed prouidentiam diuinam, omnia, quæ fiunt in mundo, ab æterno præordinantem, & prædeterminantem conformiter ad naturam, & conditionem rei creatæ. Sed abſurdum eſſet, ac ridiculum, diuinam prouidentiam fati nominē appellare, ſi nihil circa noſtros actus liberos decerneret, ac definiret, niſi præuiſſa futuritione conſenſus noſtræ voluntatis. Ergo prædefinitio non ſupponit eam præuiſionem conditionatam. Sed reſpondetur: quod ſi decreta diuina ſupponerent præuiſionē abſolutam noſtrarum operationum, vt exiſtentium independenter ab eis decretis, perperam ea decreta fatū appellarentur. At ſi decretum ſolum ſupponat ſcientiam conditionatam de euentu, nullatenus connexam cum euentu, vt abſolutè exiſtente, decretum directum ex hac ſcientia conditionatè decernens abſolute eſſe cum euentum per media illa conditionate præuiſſa, non abſurde, & ridicule appellari fatum, vt Gonetus intrepide definit; ſed aliqua con-

congruitate: quatenus antecedenter ad illud decretum nihil erat infallibiliter connexum cum eo euentu, & decretum cum tali euentu eſt infallibiliter, & neceſſario connexum.

116 Inſtat ſexto. Quia hæc reſponſio videtur fauere doctrinæ Fauſti lib. 2. de libero arbitrio cap. 2. aſſerentis *magis de origine voluntatis humanæ genus præſcientia diuina deriuari, quam opera, ac voluntates hominum de nutu, & impulſu Prouidentiæ cœleſtis incipere.* Sed facile reſpõdetur magis deriuari noſtra opera ex prouidentia diuina, quam præſcientiam diuinam, prout à Fauſto præſcientia diuina intelligebatur, de origine voluntatis humanæ: præſcientia enim, quam intendebat ſtatuere Fauſtus, erat præſcientia noſtrorum operum potens ad præmium mouere: hæc autem præſcientia nõ deriuatur ex viribus voluntatis, quod intendebat Fauſtus: cum tamen nullum ſit opus bonum, aut boni operis initium, quod à prouidentia diuina ſupernaturali non deriuetur.

117 Denique inſtat obijciendo nobis Auguſtinũ, & alias SS. PP. qui infallibilitatem diuinæ præuidentiæ non ex præſcientia inferunt, ſed ex efficacia diuinæ voluntatis. Nam Auguſt. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. explicans ea verba Apoſtoli. *Credidit Abraham Deo, quia quæ promiſit potẽs eſt, & facere* hæc habet. *Apoſtolus non dixit potens eſt prædicere, potens eſt præſcire. ſed potẽs eſt, & facere, quia & ſi faciant homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum; ipſe tamen facit, vt illi faciant, quæ præcipit: non illi faciunt, quod ipſe faciat, quæ promiſit; alioquin, vt Dei promiſſa complere tur, non in Deo, ſed in hominum eſt poteſtate, & quod à Deo promiſſum eſt, ab ipſis redditur Abrahæ.*

118 Sed reſpondetur: in his verbis ſolum Auguſtinum contendere Deum eſſe authorem omnium bonorum operum: ideoque non ponderat dixiſſe Apoſtolum loquendo de promiſſione Abrahæ facta, *Deus eſt potens prædicere, aut præſcire*: ſed *Deus eſt potens facere*: quia ſi redderet pro ratione impletionis promiſſionis, Deum poſſe præſcire, & prædicere, non oſtenderetur Deum eſſe authorem adimpletionis ſuæ promiſſionis. Cum autem redditur pro ratione: *quia potens eſt, & facere.* Manifeſte colligitur Deum ſuis promiſsis ſtare, eaque pro ſua voluntate adimplere. Negat igitur Auguſtinus in prædicto loco non eſſe in diuina poteſtate, quod diuina promiſſa compleantur. Affirmatque Deum non ſolum ſcire, & prædicere, quæ promittit; ſed pro ſua poteſtate adimplere. Nec in prædictis verbis ſolũ intendit Auguſt. oſtendere ſufficiens caput infallibilitatis diuinæ promiſsionis; ſed vlterius

adni

adnititur perſuadere omne bonum opus à Deo eſſe, quod nos libentiſsime fatemur, & ad quod non ſufficit ſcientia conditionata, ſed vlterius requiritur Deum ex vi illius decreti prædefinitiui vlterius procedere ad ponenda media ex intentione operis prædefiniti.

119 Præterea, licet nos requiramus Scientiam Mediam ad diuinam prædefinitionem regulandam; non ideo totam prædefinitionis infallibilitatem in Scientiam Mediam, aut in connexionem cum illa refundimus, ſed in connexionem, quam habet prædefinitio cum medijs, quæ per Scientiam Mediam congrua præuidentur. Idcirco non recta ratio redderetur infallibilitatis promiſſionis. *Quia Deus eſt potens præſcire* loquendo de ſcientia conditionata. quia licet Deus habeat ſcientiam conditionatam de bono promiſſo; ſi tamen non detur in Deo voluntas connexa cum poſitione illius conditionis, ſub qua promiſſum bonum præuiſſum eſt, non dabitur infallibilitas ad impletionis promiſsi. Non ergo negat Auguſtinus infallibilitatem promiſsionis diuinæ partim originem ducere ex infallibilitate ſcientiæ conditionatæ; ſed aſſerit identificari cum ipſo decreto; non quia independenter omnino à ſcientia cōditionata annectat ſibi euentum decretatum; ſed quia ſe ipſo, & ſupponit eam ſcientiam, & infert media, quæ per Scientiã Mediam efficacia præuiſſa ſunt.

120 Quòd vero Auguſtinus nunquam pro infallibilitate Prædeſtinationis recurrat ad ſcientiam, falſum eſt: nam iuxta ipſum in Epiſt. ad Rom. propoſit. 5. ait, *Nō omnes, qui vocati ſunt, ſecundum propoſitum vocati ſunt: hoc enim propoſitum ad præſcientiam, & prædeſtinationem pertinet: nec prædeſtinauit aliquē* (nota) *niſi quem præſciuit ſequuturum vocationem ſuam*. Et lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. hæc habet: *Cuius autem miſeretur, ſic eum vocat quomodo ſcit ei congruere*. Ergo falſum eſt Deum ad prædeſtinandum non explorare quid voluntas, ſub his, vel illis auxilijs, ſi adhibeantur, ſit operatura.

SECT. VII

Rationes Theologicæ aduerſariorū proponūtur, & diſſoluūtur

121 OBijcies primo, Cauſa ſecunda agit vt mota à prima. Ergo agit quatenus præmouetur, & prædeterminatur à cau-

ſa

ſa prima. Ergo Deus debet mouere cauſas ſecundas liberas, vel per ſuum decretum omnino antecedens, & immediate determinans, vel inducendo phyſicam prædeterminationem. Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Cauſa ſecunda agit vt mota per motionem omnino indifferentem, concedo, per motionem infallibiliter connexam cum vno extremo, nego antecedens, & nego conſequentiam.

122 Ob.2. Deus eſt primum liberum, & primum determinans. Ergo determinat cauſam creatam, priuſquam ea operetur. Reſpondeo Deum ſtricte, & rigoroſè loquendo, non eſſe primum determinans creaturam; ſed eatenus eſſe primum liberum, quatenus prius eſt Deum exercere ſuam libertatem, quam aliam cauſam ſuam libertatem exercere: item eſt primum liberum, quatenus ipſa libertas creaturæ ponitur libere à Deo; non vero quia Deus prius determinet voluntatem creatam, quam ea ſe ipſam determinet.

123 Ob.3. Ab indifferenti, vt indifferenti, non poteſt oriri actio determinata. Ergo vt à creatura oriatur aliqua actio determinata, requiritur, quod per aliquam determinationem diuinam eius indifferentia auferatur. Ergo requiritur aliqua prædeterminatio. Diſtingo antecedens; ab indifferenti, vt indifferenti; in indifferentia in completionis, vel inſufficientiæ virtutis, non poteſt oriri actio determinata, concedo, indifferentia dominij libertatis, nego antecedens, & nego conſequentiam.

124 Ob.4. Gonetus. Secundum ſcripturam, & Sanctos Patres, omnes actiones, & paſsiones Chriſti fuerunt à Deo prædefinitæ, & imperatæ; & tamen, non obſtante tali prædefinitione, & præcepto, fuerunt meritoriæ, & conſequenter perfectè liberæ, cū libertas ſit vna ex conditionibus ad meritum requiſitis. Ergo ſimul ſtant hæc duo, quod aliquis actus ſit à Deo prædefinitus, & prædeterminatus, & nihilominus ſit perfecte liber.

125 Mirum ſanè eſt Gonetum auſum eſſe vti hoc argumento: cum nullum ſit, quod Thomiſtæ magis formident, quam quod ex præcepto Chriſti Domini aduerſus eos torquetur. Reſpondeo ergo hic ſub diſtinctione loquendum eſſe circa prædefinitionem, & circa præceptum, nec ſatis congrue inter ſe confundi à Goneto. Igitur, ſi argumētum deſumatur, ex prædefinitione (præſcindēdo à præcepto Chriſti D. à Patre impoſito) meritorū Chriſti, eodem modo reſpondendum eſt, quo reſpondent noſtri Doctores argumento deſumpto à prædefinitionibus noſtri actus liberi.

Digitized by Google

126 Dico igitur prædefinitionem actus liberi Chriſti Domini regulari ſcientia media de eo opere ſub libertate ad illud & exequendum, & ommittendum. Sicut igitur Chriſtus Dominus habuit poteſtatem non exequendi illud opus, ſimiliter poteſtatem habuit impediendi Scientiam Mediam regulantem eam prædefinitionem, & conſequenter ipſam prædefinitionem. Cæterum prædefinitio, quæ licet connectatur cum opere libero; eſt tamen ab agente per illius operis carentiam, impedibilis, non tollit libertatem: quia non eſt neceſsitas ineuitabilis; ſed a qua ſe poteſt agens liberum expedire, vt infra dicemus, dum de prædefinitionibus ſciẽtia media regulatis ſermo ſit. At vero Thomiſtæ, dum ſuas prædefinitiones omnino independentes à ſcientia media, & voluntate libera in impedibiles conſtituunt, non poſſunt hac ſolutione aduerſus vim neceſsitatis antecedentis ſe protegere.

127 Sed obijcit Gonetus ex hac doctrina inferri prædefinitionem Chriſti non fuiſſe pure gratioſam, ſed de pendentem à præſcientia meritorum. Sequelam probat. Quia ideo (ait Gonetus) plures ex noſtræ Societatis Authoribus docent prædefinitionem Angelorum, & hominum, fieri ex præuiſis meritis, quia Deus in ſigno rationis antecedente electionem illorum ad gloriam, præuidit bona illorum opera, & futurum conſenſum voluntatis creatæ. Ergo ſimiliter ſi in ſigno antecedenti Chriſti prædefinitionem præuidit bona futura, & futurum conſenſum voluntatis humanæ Chriſti, eius prædefinitio non fuit purè gratuita; ſed de pendens à præſcientia meritorum.

128 Hec obiectio oritur ex nunquam ſatis perſpecta noſtra doctrina de Scientia Media. Etenim licet Deus antecedenter ad decretum de conferenda gratia præuideat conditionate bonum vſum illius: nõ ideo hic bonus vſus, vt ita præuiſus, ſiue hoc meritum præuiſum conditionate, exercet cauſalitatem meritoriam, tum quia non videtur vt abſolute exiſtens, tum quia Deus non confert illud auxilium in remunerationem illius meriti; ſed mouetur ex illo merito, tanquam ex vtilitate auxilij ad ipſum meritum, vt diximus ſupra quæſtion. 2. ſect. 4. num. 31.

129 Hinc ad inſtantiam negatur ſequela primi antecedentis. Ad eius probationem, diſtinguo maiorem. Ideo aliqui ex noſtris docent prædefinitionem Angelorum, & hominum eſſe ex meritis: præciſſe, quia præuidentur eorum bona opera præuiſione conditionata, nego: quia præuidetur præuiſione abſoluta, ſub diſtinguo: præciſſe, quia ita præuidentur, nego: quia ita præuidentur,

& quia Deus decernit gloriam in præmium illorum meritorum concedo maiorem. Deinde diſtinguo conſequens. Ergo, ſi in ſigno antecedenti Chriſti prædefinitionem prævidit Deus bona opera Chriſti præuiſione pure conditionata, prædefinitio Chiſti non fuit pure gratioſa, nego: ſi præuideret Deus præuiſione abſoluta, & prædeſtinaret Chriſtum ad gloriam in remunerationem illorũ operum, concedo conſequentiam.

130 Cæterùm ſi argumentum ad ſuadendas prædefinitiones omnino antecedentes deſumatur ex præcepto Chriſto Domino à Patre impoſito, maius Thomiſtis, quam nobis negotium proculdubio faceſſet. Etenim, cum Chriſtus Dominus non ſolum materialiter; verum & formaliter obediens fuerit Patri præcipienti, & ad obedientiam formalem requiratur cognitio præcepti, vt regulans, ideo non intelligitur poteſtas, & libertas ad obediendũ, quin intelligatur præceptum, vt cognitum, cum autem cognitio præcepti non ſit indifferens in Chriſto Domino ob ſuam impeccabilitatem, ad carentiam obedientiæ: videtur libertas ad obediendum non eſſe indifferens, quod eſt contra conceptum libertatis.

131 Porro cum Thomiſtæ velint præceptum Chriſto Domino impoſitum fuiſſe de omnibus ſuis actibus cum ſuis circunſtantijs: & ex alia parte nolint hoc præceptum, vel Sciẽtia Media dirigi, vel deſpenſabile eſſe, ægre ad modum illud cum libertate componunt: & vſque adeo hac difficultate premuntur, vt vel fateri teneantur poteſtatem ad obediendum conſtitutam per cognitionem præcepti non poſſe coniungi cum non obediendo: quo tollitur libertas in formaliter obediendo: vel non obedire poſſe coniungi cum cognitione præcepti ſecundum vnam formalitem, & nõ ſecundum aliam, quo inter prædicata creata realiter identificata realem ſeparabilitatem poſsibilem comminiſcuntur. Sed quidquid ſit de ſolutione Thomiſtarum.

132 In primis poſſet reſponderi ad argumentum ex præcepto deſumptum, Chriſtum non habuiſſe ſtrictum, & rigoroſum præceptum. Ita Lorca de Incarnat. diſp. 73. pro ſe referens Albertum Magnum, Paludanum, Dioniſium Carthuſianum, & alios; quã ſententiam tenent nonnulli Recentiores: imo putant eam eſſe omnium Græcorum Patrum.

133 Secundo poteſt reſponderi præceptum fuiſſe de ſubſtantia mortis; non de circunſtantijs, nec de motiuo. & ideo Chriſtum fuiſſe liberum, non in ſubeunda morte ſecundum ſe; ſed in eius circunſtantijs, & motiuo. Ita Vazq. Valentia, & alij.

134 Tertio cum Cabrera, Prudentio, Vincentio, apud Gonetum, poſſet reſpōderi Chriſtum à Patre petijſſe præceptum, ideoque non fuiſſe omnino antecedens.

135 Quarto denique reſpondeo cum Cardinali de Iugo P. Aldrete, & alijs, Chriſtum potuiſſe obtinere à Patre diſpenſationem, qua ab obligatione moriendi eximeretur. Quapropter non intelligitur præceptum, vt connexum cum opere præcepto, niſi conſequenter ad libertatem Chriſti Domini. Nec vltra hoc argumento immorandum eſt, cum non ſit huius loci concordiam libertatis Chriſti cum eius præcepto declarare. Hoc ſemper mihi fixum, & conſtans erit, non ſatis libertati Chriſti Domini proſpici, ſi connexio præcepti cum opere præcepto independens ab exercitio libero Chriſti Domini conſtituatur. Quare ſi præceptum, vt connexum cum opere præcepto nō poſſit conſtitui vlla ratione dependens à Chriſti libertate, negandum eſt Chriſto Domino ſtrictū præceptum prout à multis negatur, vel negandum eſt meritum in eius ad impletione.

SECT. VIII.

Fit ſatis argumentis, quæ directé impugnant decretum indifferens applicatiuum omnipotentiæ.

136 OB. 5. Si Deus non haberet decretum omnino antecedens, abſolutum, & determinatum, per quod applicaret ſuā omnipotentiam ad concurrendum cum voluntate creata ad actus liberos, Deus ſuam omnipotentiam applicaret per decretum indifferens, & à creatura determinabile. Sed prædictum indifferens decretum, & determinabile à creatura, implicationem, & contradictionem inuoluit. Non ergo Deus ſuam applicat omnipotentiam per decretum indifferens, ſed per decretum omnino determinatum, abſolutum, & antecedens. Conſequentia eſt bona, & maior certa. Tota igitur difficultas deuoluitur ad minorem, quā ita probat Gonetus de volunt. diſp. 5. art. 3. §. 1. Nulla cauſa ſupponit, vel expectat ſuum effectum, ſed potius illum cauſat, vel præuenit prioritate ſaltem cauſalitatis, & naturæ. Sed decretum indifferens ſupponit, vel expectat determinationem liberij arbitrij creati, vt determinate in actus noſtros influat. Ergo illam non cauſat.

137 Hoc argumentum ſiniſtra intelligentia terminorum laborat. Etenim cauſa, à qua aliquis effectus ſe ipſo oritur, & non media aliquâ cauſalitate interiecta, ita eſt prior illo effectu, vt, licet per effectum prior conſtituatur, ipſa tamen ſola ſit, quæ eſt prior: & licet ea cauſa, vt ſit abſolutè in rerum natura, non expectet effectum; vt tamen denominetur prior in actu ſecundo effectu, ipſo effectu indiget, & illum expectat; quia per ipſum effectum prior effectu conſtituitur: omnis enim cauſa, quæ cauſat per cauſalitatem à ſe diſtinctam, per cauſalitatem conſtituitur prior cauſalitate: ſicuti ignis producens alium ignem per cauſalitatem conſtituitur prior ipſa cauſalitate, & cauſalitatem expectat, vt prior cauſalitate conſtituatur. Ita decretum indifferens cauſans determinatum à creatura exercitium liberum hominis indiuiſibiliter naſcens ab eo decreto, & à voluntate; licet non expectet exercitium hominis, vt exiſtat; expectat tamen illud, vt illud cauſet; ſicuti cauſa non intelligitur cauſans ſuam actionem, vſque dum intelligatur actio. Deinde, licet decretum, quatenus cauſat liberum exercitium hominis, præſupponatur ad exercitium: non ita intelligendum eſt, vt ipſummet cauſare exercitium præſupponatur; ſed ita, vt id, quod cauſat, nempè decretum indifferens, præſupponatur ad ipſum *cauſare* ratione ipſius: ſicuti agens præſupponitur ad actionem per ipſam actionem.

138 Hinc ad argumentum in forma: tranſmiſſa prima parte maioris, videlicet: *Nulla cauſa ſupponit ſuum effectum*: diſtinguo ſecundam: nec expectat effectum, vt cauſa ſit, ſiuè exiſtat, concedo: vt cauſet, nego maiorem. Deinde diſtinguo minorem. Sed decretum indifferens ſupponit, vel expectat determinationem liberi arbitrij creati, vt exiſtat prædictum decretum, nego: vt cauſet ipſam determinationem: concedo minorem: nam reuera non cauſat eam, donec ea exiſtat. Et deinde nego conſequentiam: quia cauſat determinationem per ipſam determinationem, tanquã per cauſalitatem.

139 Inſtat Gonetus. Si decretum illud talem determinationem cauſaret, non eſſet amplius indifferens, ſed determinãs: imò, & prædeterminans: quia illam determinationem cauſæ creatæ prioritate ſaltem naturæ antecederet: cum omnis cauſa ſit prior ſaltem natura ſuo effectu. Sed hoc repugnat. Ergo implicat contradictionem liberi arbitrij determinationem cauſari à decreto indifferente.

140 Reſpondeo negando primum antecedens: quia li-

tet decretum prioritate naturæ determinationem cauſæ creatæ antecederet, cũ tamen non ſe ipſo eam præcederet, ſed formaliter ratione ipſius determinationis, neſcio vnde inferat Gonetus hoc decretum prædeterminare cum tota determinatio proueniat formaliter ab exercitio libero creaturæ.

141 Aliæ inſtantiæ, quas adijcit Gonetus, procedunt ex falſa quadam ſuppoſitione. Porro; quia aliqui ex noſtris explicãt hoc decretum verbis, quaſi conditionatis: exinde putarunt aduerſarij hoc decretum conditionatum eſſe. Verum aliud eſt verificari de hoc decreto, quod, ſi creatura operetur, operabitur Deus cum illa ab illa determinatus, aliud valde diuerſum hoc decretum eſſe conditionatum, & decernere conditionatè conſenſum ſub conditione, quod creatura ad conſenſum ſe determinet. Primum verum eſt: quia, cum conſenſus dependeat indiuiſibiliter à Deo, & creatura; veriſsime affirmatur quod ſi creatura ſe determinet, operabitur Deus cum illa: ſiquidem determinatio creaturæ eſt etiam concurſus diuinus in actu ſecundo. At vero falſum eſt hoc decretum eſſe conditionatum: non enim expectat determinationem creaturæ aliunde poſitam, vt in eſſe decreti abſoluti conſtituatur, ſed ſe ipſo eſt decretum abſolutum, licet indifferens, & à creatura determinabile.

142 Hinc etiam conſtat falſum eſſe nos aſſerere determinationem creaturæ non eſſe à Deo. Etenim fatemur totam creaturæ determinationem à Deo eſſe, non à Deo determinante illam; ſed à Deo determinato à creatura: quia Deus per ſuum decretum indifferens conſtituit ſuam omnipotentiam in manu creaturæ, vt illa vtatur, ſiue ad determinationem conſenſus, ſiue ad oppoſitum, vt infra magis ex profeſſo declarabimus.

143 Ob. 6. *Deus* (iuxta D. Auguſt. de corrept. & gratia cap. 14) *magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas*. Sed hoc non ſtat cum decreto indifferente aplicatiuo omnipotentiæ; & cum carentia prædefinitionis omnino abſolutæ, & antecedentis, prout à Thomiſtis ponitur. Ergo Deus non aplicat ſuam omnipotentiam per decretum indifferens; ſed per decretum omnino determinatum, abſolutũ, & antecedens. Minor probatur. Deus non habet poteſtatem determinandi immediate noſtras voluntates, nos vero eam poteſtatẽ habemus; & hæc poteſtas non poteſt non arguere perfectius dominium. Ergo noſtræ voluntates magis ſunt in noſtra poteſtate, quam in Dei poteſtate.

144 Confirmatur primo. Deus non poteſt velle efficaciter

poſ-

Digitized by Google

noſtrum liberum conſenſum, niſi explorata prius noſtra voluntate, vt conſenſuras; alioqui læderet noſtram libertatem, nos vero poſſumus, nulla alterius explorata voluntate, nos determinare. Ergo perfectius dominium circa noſtrum conſenſum eſt penes nos, quam penes Deum.

145 Confirmatur ſecundo. Coniunctum ex auxilio præuiſo vt in efficaci (ſub cuius nomine totam libertatem intelligo) & ex conſenſu, non eſt proximè ſub poteſtate diuina; non enim eſt in manu Dei, quod Petrus conſentiat cum libertate eadem, qua de facto non conſentit. Sed conſentire cum hac libertate eſt proximè ſub dominio, & poteſtate creaturæ. Ergo prædictum aggregatum magis eſt ſub poteſtate creaturæ, quam Dei.

146 Confirmatur tertio. Deus non habet maius dominium in actiones naturales, & non liberas, quam in liberas, & humano arbitrio ſubiectas. Sed Deus independenter ab alterius agentis determinatione, nullaque alterius explorata voluntate, poteſt actiones non liberas decernere omnino efficaciter abſolutè & antecedenter. Ergo poteſt ita pariter decernere actiones liberas, vel circa illas non adeo perfecto gaudebit domino, ac circa actiones naturales, & non liberas.

147 Reſpondeo, quando Auguſtinus dixit hominum voluntates magis eſſe in poteſtate Dei, quam ipſius hominis, non loquutum fuiſſe de homine, prout cum omnibus ad conſenſum, & diſſenſum prærequiſitis inſtructo; ſed de homine ſecundum ſe, & prout libero arbitrio, præſcindendo ab alijs, ornato: facta autem comparatione prædicta, magis ſubijcitur dominio diuino actus liber Petri, quam arbitrio libero ipſius Petri, quia Petrus ita conſideratus, neque eſt proxime potens ad conſenſum, neque abſolute potens comparare ſibi proximam poteſtatem, præſertim ad actus ſupernaturales. Deus autem habet proximam, & expeditam poteſtatem conſtituendi Petrum proxime potentem conſentire, conferendo illi libertatem, ſub qua conſenſurus præuidetur: quod ſufficit, vt ſub prædicta conſideratione actus liber Petri ſit ſub poteſtate Dei magis quam ſub ipſius Petri poteſtate.

148 Hinc ad argumentum in forma conceſſa maiore ſub ad hibita explicatione, nego minorem. Ad eius probationem: conceſſa prima parte antecedentis, diſtinguo ſecundam. Nos habemus poteſtatem determinatiuam noſtri conſenſus: conſiderato libero arbitrio ſecundum ſe, nego: conſiderato cum omnibus

prærequiſitis, concedo antecedens. Et omiſſa minori, nego conſequentiam, quia comparatio non fit inter Deum, & liberum arbitrium, vt proximè liberum; ſed inter Deum, & liberum arbitrium ſecundum ſe.

149 Ad primam confirmationem. Conceſſa prima parte maioris, diſtinguo ſecundam. Nos poſſumus, nulla alia explorata voluntate, nos determinare, quando adſunt nobis omnia immediata prærequiſita concedo: intellecto libero arbitrio ſecundum ſe, nego antecedens. Et deinde diſtinguo conſequens. Ergo perfectius dominium circa noſtrum conſenſum eſt penes nos, præſcindendo à reliquis prærequiſitis ad conſenſum, nego, prout cum omnibus prærequiſitis, ſub diſtinguo; perfectius dominium proprietatis, & iuriſdictionis, nego: perfectius dominium electiuum omitto.

150 Ad ſecundam confirmationem reſpondeo eodem modo concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: coniunctū ex auxilio præuiſo inefficaci, & ex conſenſu, eſt ſub dominio creaturæ: vt cum omnibus prærequiſitis immediatis, concedo: ſub dominio creaturæ conſideratæ ſecundum liberum arbitrium, & præſcindendo à reliquis, nego minorem; & diſtinguo conſequens. Ergo prædictum aggregatum magis eſt ſub poteſtate hominis conſiderati cum omnibus prærequiſitis immediatis, concedo: conſideratis ſecundum liberum arbitrium dumtaxat, nego conſequentiam.

151 Ad tertiam confirmationem diſtingo maiorem. Deus non habet circa actiones naturales, & liberas maius dominium iurisdictionis, & proprietatis, quam circa actiones liberas, concedo, maius dominium libertatis, & electionis, nego maiorē; quia reuera magis libere libertate electiua ſe exercet circa actiones, quas immediate determinat, quam circa actiones, quæ ab alio dumtaxat determinantur. Deinde conceſſa minori, diſtinguo cōſequēs iuxta diſtinctionem traditam in maiori.

152 Ob. 7. Quod Deus expectat, vel ſupponit, & non cauſat, non eſt ex eius intentione, & prouidentia. Sed iuxta nos Deus expectat, vel ſupponit, & non cauſat liberam determinationem voluntatis creatæ per decretum indifferens. Ergo talem determinationem Deus non prædefinit, neque prædeſtinat. Reſpondeo negando minorem: falſiſſimum enim eſt Deum expectare, vel ſupponere, & non cauſare determinationem liberam creaturæ: etenim, vt ſæpe diximus, determinatio eſt ſimul concurſus diuinus in actu ſecūdo,

do,quem Deus determinatus à creatura cauſat phyſice per decretum differens.

153 Ob.8.ordo diuinæ prouidentiæ debet eſſe infallibilis,& certus,non ſolum certitudine præſcientiæ: verum etiam certitudine cauſalitatis. At in decreto indifferenti nequit fundari ordo infallibilis,& certus certitudine cauſalitatis. Ergo tale decretum derogat perfectioni diuinæ prouidentiæ. Conſequentia eſt bona,& minor certa:ſiquidem cauſa indifferens,vt talis,nequit fundare certitudinem vnius potius quam alterius, cum ad vtrumque indifferens ſit. Maiorem igitur probant aduerſarij:tum quia tantum ſe extendit diuina prouidentia,quantum ſe extendit eius cauſalitas,tum quia prædeſtinatio,quæ eſt perfectiſsima prouidentia, eſt certa,non ſolum certitudine præſcientiæ,ſed certitudiné cauſalitatis mediorum.

154 Reſpondeo ordinem diuinæ prouidentiæ non debere eſſe certum certitudine cauſalitatis,ideſt prouidentiam non teneri adhibere cauſas connexas ex ſe cum effectibus intentis, ſed, quæ de facto, & infallibiliter obtinebunt effectum;quia nulla alia certitudo requiritur in prouidentia,niſi quæ ſufficit, vt qui ponit media,certus ſit de eorum efficacia ad finem conſequendum; ſiue hæc efficacia ſit intrinſeca,ſiue extrinſeca. Hinc ad argumentum in forma,nego maiorem. Ad probationem huius diſtinguo primã partem antecedentis. Prouidentia tantum ſe extendit, quantum eius cauſalitas,ſumpta cauſalitate pro virtute cauſatiua, vt connexa cum effectu,nego:ſumpta cauſalitate pro cauſatione,qua de facto cauſabit,admitto:& diſtinguo ſimiliter ſecundam partem antecedentis. Prædeſtinatio eſt certa,non ſolum certitudine præſciẽtiæ,ſed certitudine cauſalitatis, ſumpta cauſalitate pro virtute cauſatiua,nego:pro actuali cauſatione, concedo; & nego conſequentiam. Verum de certitudine Prædeſtinationis, infra ex profeſſo agemus.

155 Ob tandem. Deus determinat ad indiuiduationem effectus. Ergo & ad ſpeciem effectus. Antecedens à nobis admittitur. Conſequentia probatur. 1. quia indiuiduatio, & ſpecies idẽ ſunt in effectu.2.quia nobilior eſt ſpecies effectus, quam eius indiuiduatio. Sed non debemus tribuere Deo determinationem illius, quod ignobilius eſt,negata determinatione nobilioris. Ergo Deus determinat etiam effectum,quod ſpeciem.

156 Hac obiectio oritur ex ignorantia terminorum; ideo,eis explicatis, ceſſat obiectio. Non aſſerunt Societatis authores

QVÆST. VII.

Reffellitur quælibet prædefinitio diuina ad materiale peccati.

POtiſsimum argumentum aduerſus decretum prædeterminans ſumitur ex eo, quod teneretur Deus ad prædeterminandum materiale peccati, quæ prædeterminatio ſummæ Dei bonitati repugnans eſt. Ideo placuit hanc ad materiale peccati prædeterminationem per integram quæſtionem reijcere.

SECT. I.

Prædeterminantia decreta refellantur, quia ex eis infertur decretum prædeterminans ad peccatum, ſaltem ad materiale illius.

1 SI vt Deus concurrat nobiſcum ad noſtros actus liberos, requiratur decretum omnino antecedenter efficaciter decernens noſtros liberos actus, decernet Deus efficaciter noſtra peccata. At Deus nequit peccata decernere. Ergo non requiritur decretum diuinum abſolutum antecedenter prædeterminans, vt nobiſcum Deus ad noſtros actus liberos concurrat.

2 Aduerſarij, vt huic argumento ſatisfaciant, in duas partes diſtracti ſunt. Alij conceſſa maiore, diſtingunt minorem, & dicunt Deum abſque ſuæ infinitæ bonitatis præiudicio poſſe noſtros actus prauos, & peccaminoſos quoad ipſorum materiale efficaciter decreto prædeterminatiuo decernere; non vero quoad malitiam formalem: quia id Deus debet antecedenter efficaciter decernere, ad quod nobiſcum ſimul concurrit. Cum autem Deus non concurrat ad formale peccati; ſed ad materiale, & phyſicum: ideo materiale, non vero formale peccati efficaciter prædecernitur à Deo. Quod autem Deus velit efficaciter, & antecedenter, materiale peccati, quamvis cum formali connexum, aut idemtificatum, non putant Deum dedecere: quia cum materiale peccati, vt præciſſe materiale, quamtumuis cum malitia forma-

formali connexum, non inuoluat ipſam malitiam, non eſt malum; cum nihil ſit malum, niſi prout malitiam inuoluens: eo autem modo, quo aliquid malum non eſt, videtur à Deo poſſe amari, & ab ipſo efficaciter prædecerni. Ita ſentiunt communiter Thomiſtæ.

3 Alij vero ex ipſis amorem diuinum erga actus prauos, vt execrandum concedere formidantes, prædeterminationem ad materiale peccati, & voluntatem diuinam ad illud terminatam, conſtanter negãt. Ita Fr. Ioannes Vicentius. Verdu. Gonçalez, Nazarius, & alij apud Paulum Leonardum part. 2. reſp. pro Sciẽcia Media ſect. 3. num. 13. Hi ergo authores ſyllogiſmo reſpondẽt negando maiorem. Etenim (aiunt) licet Deus teneatur ad volendum actus bonos, & ad ipſos medio ſuo decreto efficaci, & prædeterminatiuo, concurrere; non tamen ad id tenetur quoad actus prauos Quam obrem apud illos nõ vniuerſaliter verum eſt, Deum concurrere ad actus liberos noſtros medio decreto efficaci, abſoluto, & antecedente, ſed ſolum id defendunt de actibus bonis.

4 Vellem ab his authoribus prius ſcire, an iuxta eos Deus concurrat ad actus prauos concurſu ſimultaneo, vel non? Si non concurrat, recidunt in ſententiam Durandi, tenenturque explicare, qua ratione ſaluatur immediatum, & perfectum dominiũ Dei circa omnes, & ſingulas noſtras actiones. Si vero dicant Deũ concurrere cum creatura ad actus prauos: rurſus rogo; an Deus præſtet hunc concurſum per decretum indifferens, vel per decretum connexum, & determinatum? Si per decretum connexum, & determinatum, incidunt in id ipſum, quod vitare contendunt: quãdo quidem hoc decretum eſſet amor determinatus, abſolutus, & efficax actus praui. Si vero dicant Deum concurrere aplicando ſuam omnipotentiam per decretum indifferens,

5 Sic argumentor. Ex hac applicatione omnipotentiæ ad actum prauum per decretum indifferens, infertur ad opus bonum non requiri decretum prædeterminans. Ergo, antecedente ſemel admiſſo, dicendum eſt non requiri decretum prædeterminans ad conſenſum. Antecedens probatur. Hoc decretum incoiungibile eſt cum decreto prædeterminante ad bonum; coniungibile vero cum opere bono. Ergo opus bonum ſeparabile eſt à decreto prædeterminante ad illud.

6 Probo conſequentiam, poſtea antecedens probaturus. Id quod poteſt coexiſtere defectui decreti prædeterminantis ad conſenſum, poteſt ſeparari à tali decreto prædeterminante: quando quidem coexiſtere defectui alicuius eſt formaliſsime ſeparari

ſepari

rari ab eo extremo. Sed conſenſus poteſt coexiſtere defectui decreti prædeterminantis ad conſenſum. Ergo conſenſus poteſt ſeparari à decreto prædeterminante ipſum conſenſum. Probo Minorem. Conſenſus poteſt coexiſtere decreto indifferenti, quod decretum indifferens ſupponitur inconiungibile cum decreto prædeterminante, & conſequenter eſſentialiter connexum cum defectu talis decreti prædeterminantis ad conſenſum. Ego conſenſus poteſt coexiſtere cum aliquo connexo eſſentialiter cum defectu decreti prædeterminantis. Tunc ſic. Quod poteſt coexiſtere cum extremo eſſentialiter connexo cum alio, poteſt coexiſtere cum illo alio, vt ex ipſis terminus eſt euidens. Sed conſenſus poteſt coexiſtere cum decreto indifferente eſſentialiter connexo cum defectu decreti prædeterminantis ad conſenſum. Ergo conſenſus poteſt coexiſtere cum defectu decreti prædeterminantis ad conſenſum. Ergo, & poteſt ſeparari à decreto prædeterminante ad conſenſum.

7 Probo iam illud antecedens: nempe, & conſenſum eſſe coniungibilem cum decreto indifferenti, & decretum indifferens eſſe inconiungibile cum decreto prædeterminante. Et in primis conſenſum eſſe coniungibilem cum decreto indifferente, conſtat ex natura ipſius decreti indifferentis: ſi enim ad conſenſum, & diſſenſum indifferens eſt, cum conſenſu, & diſſenſu coniungibile erit.

8 Alia pars antecedentis, nempe hoc decretum indifferens inconiungibile eſſe cum decreto prædeterminante ad conſenſum, probatur. Hoc decretum indifferens ſe ipſo ad conſenſum, & diſſenſum, excludit ſe ipſo prædeterminationem ad conſenſum. Ergo inconiungibile eſt cum decreto prædeterminante ad conſenſũ. Antecedens probatur. Sufficiens applicatio omnipotentiæ ad diſſenſum, ſiue ad actum prauum, inuolvit carentiam prædeterminationis ad conſenſum, ſeu ad actum bonum. Sed hoc decretum indifferens ſe ſolo eſt ſufficiens applicatio omnipotentiæ ad actum prauum. Ergo ſe ſolo excludit prædeterminationem ad bonũ. Cõſequentia eſt legitima, & minor eſt doctrina adverſariorum: quia nulla applicatio omnipotentiæ ad malum opus debet intrinſece connecti cum malo opere: alioqui iam Deus applicando ſuam omnipotentiam, vellet, ſaltem interpretatiue, quod eſſet malum opus. Maior igitur probatur. Sufficiens applicatio omnipotentiæ ad vnum extremum involuit quidquid requiritur ad illud extremum ex parte applicationis. Sed carentia phyſicæ prædeterminationis ad conſenſum requiritur eſſentialiter ad diſſenſum, & non aliter

quam

quam ex parte applicationis ad diſſenſum. Ergo ſufficiens applicatio ad diſſenſum inuoluit carentiam prædeterminationis ad cõſenſum. Hæc vltima minor probatur. Ex ea parte requiritur carentia prædeterminationis ad vnum extremum, ex qua obſtat ipſa prædeterminatio. Sed ad diſſenſum obſtat prædeterminatio ad conſenſum ex parte applicationis. Ergo ex parte applicationis requiritur carentia illius.

9 Secundo. Semel dato, quod poſſit elici diſſenſus abſque prædeterminatione ad illum, poterit ſaluari munus cauſæ primæ, & ſubordinatio ſecundæ, & quod agens liberum non ſit primũ determinans, abſque phyſica prædeterminatione: quando quidem diſſenſus eſt actus liber, & creatura diſſentiens, adhuc diſſentiens ſubordinata manet phyſicè cauſæ primæ, & primum agens liberum, nempe Deus, non eſt in hoc caſu primũ determinans, cum non determinet ad diſſentiendum. Et denique omnia argumenta, quæ vniuerſaliter probant Deum ad omnes actus liberos prædeterminare, caſſa redduntur, admiſſo diſſenſu libero abſque prædeterminatione ad illum.

10 Tertio quia carentia prædeterminationis ad actum bonum, vt coniuncta cum iudicio indifferente ad bonum, & malum, vel connectitur cũ diſſenſu prauo, vel non connectitur. Si non connectitur. Ergo poteſt homo conſentire abſque prædeterminatione ad conſenſum, prædeterminatioque minime requiſita erit ad conſenſum. Præterea diſſenſus ſub hypotheſi iudicij indifferentis, & carentiæ prædeterminationis ad conſenſum, erit obiectum Sciẽtiæ Mediæ: ſiquidem veritas conditionalis de eo quod *ſi Petrus vocetur diſſentiet* nulli antecedenter connexo cũ diſſenſu innitetur. Denique, ſi carentia prædeterminationis ad conſenſum non connectitur cum diſſenſu, fere totam doctrinam de Scientia Media tenentur admittere Dominicani. Quod quidem non leue abſurdum ab ipſis reputabitur.

11 Si tamen dicant carentiam prædeterminationis ad conſenſum connecti eſſentialiter cum diſſenſu, recidunt in idem inconueniens, quod prius aſpernabantur. Probatur conſequentia. Deus pro ſuo libito, & antecedenter ad diſſenſum, ponit carentiam prædeterminationis ad conſenſum, quæ carentia connectitur cum diſſenſu. Ergo prædeterminat ad diſſenſum. Probo hanc conſequentiam. Prædeterminare ad diſſenſum eſt ponere determinationem ad diſſenſum omnino antecedenter ad diſſenſum. Sed Deus carentiam prædeterminationis ad conſenſum, quæ carentia eſt determinatio

natio ad diſſenſum, ponit omnino antecedenter ad diſſenſum. Ergo ad illud prædeterminat.

12 Confirmatur. Qui ponit pro ſuo libito, & mera determinatione, aliquid inferens omnino antecedenter aliud, no ſolum dicitur permittere illud; ſed ad illud determinare: quandoquidem determinatio ineuitabilis antecedens ponitur ab eo. At Deus pro ſuo libito ponit ex vi carentiæ prædeterminationis ad conſenſum determinationem antecedentem, & ineuitabilem ad diſſenſum. Ergo non pure permittit diſſenſum; ſed ad illum determinat omnino antecedenter: ergo & prædeterminat, ergo id ipſum, quod hi authores horrent admittere, tenentur concedere.

SECT. II.

Impugnatur prædefinitio ad materiale peccati ab authoritate.

13 ALij vero, vt diximus, ne videantur ſuæ doctrinæ proditores, totis viribus defendunt Deum ad materiale peccati prædeterminare. Cum hac tamen prædefinitione, & prædeterminatione ad materiale peccati, componere tentant Deũ non eſſe authorem peccati: quia ſua voluntate, & prædeterminatione ſolum attingit materiale, quod in ſe bonum eſt; non autẽ formale, in quo ratio peccati, & malitiæ formaliter conſiſtit. Quapropter non eſt Deus author peccati ſecundum formale illius.

14 Vt hæc ſententia melius percipiatur, animaduertendum eſt materiale peccati vocari ab authoribus totum id, quod phyſicum eſt in peccato: quapropter materiale peccati non vocatur entitas phyſica actionis peccaminoſæ, prout præſcindit à libertate; ſed actio peccaminoſa, v. g. voluntas furandi, adhuc vt coniuncta cum tota libertate conſtituta per cognitionem oppoſitionis ad voluntatem diuinam, ſiue ad ſufficientem regulam moralitatis: nam id vocatur materiale peccati, quod ita eſt fundamentũ malitiæ, vt eo exiſtente, implicet malitiam etiam non exiſtere.

Intellecto igitur hoc materiali peccati, dicunt communius Thomiſtæ formale peccati, ſeu peccati malitiam diſtingui realiter ab hoc materiali. Verum in aſsignanda hac formali malitia in peccato commiſsionis, de quo, maioris claritatis gratia, loquemur in præſenti, duplex eſt Thomiſtarum ſententia: nam aliqui tenent hanc formalem malitiam, ſeu hoc formale peccati, conſiſtere in quadam carentia rectitudinis reſultante neceſſario ex materiali peccati, nimirum ex actione peccaminoſa, vt coniuncta cum libertate.

126 Dico igitur prædefinitionem actus liberi Chriſti Domini regulari ſcientia media de eo opere ſub libertate ad illud & exequendum, & ommittendum. Sicut igitur Chriſtus Dominus habuit poteſtatem non exequendi illud opus, ſimiliter poteſtatem habuit impediendi Scientiam Mediam regulantem eam prædefinitionem, & conſequenter ipſam prædefinitionem. Cæterum prædefinitio, quæ licet connectatur cum opere libero; eſt tamen ab agente per illius operis carentiam, impedibilis, non tollit libertatem: quia non eſt neceſsitas ineuitabilis; ſed a qua ſe poteſt agens liberum expedire, vt infra dicemus, dum de prædefinitionibus ſciẽtia media regulatis ſermo ſit. At vero Thomiſtæ, dum ſuas prædefinitiones omnino independentes à ſcientia media, & voluntate libera in impedibiles conſtituunt, non poſſunt hac ſolutione aduerſus vim neceſsitatis antecedentis ſe protegere.

127 Sed objicit Gonetus ex hac doctrina inferri prædefinitionem Chriſti non fuiſſe pure gratioſam, ſed dependentem à præſcientia meritorum. Sequelam probat. Quia ideo (ait Gonetus) plures ex noſtræ Societatis Authoribus docent prædefinitionem Angelorum, & hominum, fieri ex præuiſis meritis, quia Deus in ſigno rationis antecedente electionem illorum ad gloriam, præuidit bona illorum opera, & futurum conſenſum voluntatis creatæ. Ergo ſimiliter ſi in ſigno antecedenti Chriſti prædefinitionem præuidit bona futura, & futurum conſenſum voluntatis humanæ Chriſti, eius prædefinitio non fuit purè gratuita; ſed dependens à præſcientia meritorum.

128 Hec obiectio oritur ex nunquam ſatis perſpecta noſtra doctrina de Scientia Media. Etenim licet Deus antecedenter ad decretum de conferenda gratia præuideat conditionate bonum vſum illius: nõ ideo hic bonus vſus, vt ita præuiſus, ſiue hoc meritum præuiſum conditionate, exercet cauſalitatem meritoriam, tum quia non videtur vt abſolute exiſtens, tum quia Deus non confert illud auxilium in remunerationem illius meriti; ſed mouetur ex illo merito, tanquam ex vtilitate auxilij ad ipſum meritum, vt diximus ſupra quæſtion. 2. ſect. 4. num. 31.

129 Hinc ad inſtantiam negatur ſequela primi antecedentis. Ad eius probationem, diſtinguo maiorem. Ideo aliqui ex noſtris docent prædefinitionem Angelorum, & hominum eſſe ex metitis: præciſſe, quia præuidentur eorum bona opera præuiſione conditionata, nego: quia præuidẽtur præuiſione abſoluta, ſub diſtinguo: præciſſe, quia ita præuidentur, nego: quia ita præuidentur,

& quia Deus decernit gloriam in præmium illorum meritorum concedo maiorem. Deinde diſtinguo conſequens. Ergo, ſi in ſigno antecedenti Chriſti prædefinitionem præuidit Deus bona opera Chriſti præuiſione pure conditionata, prædefinitio Chiſti non fuit pure gratioſa, ne 20. ſi præuideret Deus præuiſione abſoluta, & prædeſtinaret Chriſtum ad gloriam in remunerationem illorũ operum, concedo conſequentiam.

130 Cæterum ſi argumentum ad ſuadendas prædefinitiones omnino antecedentes deſumatur ex præcepto Chriſto Domino à Patre impoſito, maius Thomiſtis, quam nobis negotium proculdubio faceſſet. Etenim, cum Chriſtus Dominus non ſolum materialiter; verum & formaliter obediens fuerit Patri præcipienti, & ad obedientiam formalem requiratur cognitio præcepti, vt regulans, ideo non intelligitur poteſtas, & libertas ad obediendũ, quin intelligatur præceptum, vt cognitum, cum autem cognitio præcepti non ſit indifferens in Chriſto Domino ob ſuam impeccabilitatem, ad carentiam obedientiæ: videtur libertas ad obediendum non eſſe indifferens, quod eſt contra conceptum libertatis.

131 Porro cum Thomiſtæ velint præceptum Chriſto Domino impoſitum fuiſſe de omnibus ſuis actibus cum ſuis circumſtantijs: & ex alia parte nolint hoc præceptum, vel Sciẽtia Media dirigi, vel deſpenſabile eſſe, ægre ad modum illud cum libertate componunt: & vſque adeo hac difficultate premuntur, vt vel fateri teneantur poteſtatem ad obediendum conſtitutam per cognitionem præcepti non poſſe coniungi cum non obediendo: quo tollitur libertas in formaliter obediendo: vel non obedire poſſe coniungi cum cognitione præcepti ſecundum vnam formalitatem, & nõ ſecundum aliam, quo inter prædicata creata realiter identificata realem ſeparabilitatem poſsibilem communiſcuntur. Sed quidquid ſit de ſolutione Thomiſtarum.

132 In primis poſſet reſponderi ad argumentum ex præcepto deſumptum, Chriſtum non habuiſſe ſtrictum, & rigoroſum præceptum. Ita Lorca de Incarnat. diſp. 73. pro ſe referens Albertum Magnum, Paludanum, Dioniſium Carthuſianum, & alios; quã ſententiam tenent nonnulli Recentiores: imo putant eam eſſe omnium Græcorum Patrum.

133 Secundo poteſt reſponderi præceptum fuiſſe de ſubſtantia mortis; non de circunſtantijs, nec de motiuo. & ideo Chriſtum fuiſſe liberum, non in ſubeunda morte ſecundum ſe; ſed in eius circunſtantijs, & motiuo. Ita Vazq. Valentia, & alij.

134 Tertio cum Cabrera, Prudentio, Vincentio, apud Gonetum, poſſet reſpōderi Chriſtum à Patre petijſſe præceptum, ideoque non fuiſſe omnino antecedens.

135 Quarto denique reſpondeo cum Cardinali de Iugo P. Aldrete, & alijs, Chriſtum potuiſſe obtinere à Patre diſpenſationem, qua ab obligatione moriendi eximeretur. Quapropter non intelligitur præceptum, vt connexum cum opere præcepto, niſi conſequenter ad libertatem Chriſti Domini. Nec vltra hoc argumento immorandum eſt, cum non ſit huius loci concordiam libertatis Chriſti cum eius præcepto declarare. Hoc ſemper mihi fixum, & conſtans erit, non ſatis libertati Chriſti Domini proſpici: ſi connexio præcepti cum opere præcepto independens ab exercitio libero Chriſti Domini conſtituatur. Quare ſi præceptum, vt connexum cum opere præcepto nō poſſit conſtitui vlla ratione dependens à Chriſti libertatē, negandum eſt Chriſto Domino ſtrictū præceptum prout à multis negatur, vel negandum eſt meritum in eius adimpletione.

SECT. VIII.

Fit ſatis argumentis, quæ directè impugnant decretum indifferens applicatiuum omnipotentiæ.

136 OB. 5. Si Deus non haberet decretum omnino antecedens, abſolutum, & determinatum, per quod applicaret ſuā omnipotentiam ad concurrendum cum voluntate creata ad actus liberos, Deus ſuam omnipotentiam applicaret per decretum indifferens, & à creatura determinabile. Sed prædictum indifferens decretum, & determinabile à creatura, implicationem, & contradictionem inuoluit. Non ergo Deus ſuam applicat omnipotentiam per decretum indifferens, ſed per decretum omnino determinatum, abſolutum, & antecedens. Conſequentia eſt bona, & maior certa. Tota igitur difficultas deuoluitur ad minorem, quā ita probat Gonetus de volunt. diſp. 5. art. 3. §. 1. Nulla cauſa ſupponit, vel expectat ſuum effectum, ſed potius illum cauſat, vel præuenit prioritate ſaltem cauſalitatis, & naturæ. Sed decretum indifferens ſupponit, vel expectat determinationem liberij arbitrij creati, vt determinate in actus noſtos influat. Ergo illam non cauſat.

137 Hoc argumentum ſiniſtra intelligentia terminorum laborat. Etenim cauſa, à qua aliquis effectus ſe ipſo oritur, & non media aliquā cauſalitate interiecta, ita eſt prior illo effectu, vt, licet per effectum prior conſtituatur, ipſa tamen ſola ſit, quæ eſt prior: & licet ea cauſa, vt ſit abſolutè in rerum natura, non expectet effectum; vt tamen denominetur prior in actu ſecundo effectu, ipſo effectu indiget, & illum expectat; quia per ipſum effectum prior effectu conſtituitur: omnis enim cauſa, quæ cauſat per cauſalitatem à ſe diſtinctam, per cauſalitatem conſtituitur prior cauſalitate: ſicuti ignis producens alium ignem per cauſalitatem conſtituitur prior ipſa cauſalitate, & cauſalitatem expectat, vt prior cauſalitate conſtituatur. Ita decretum indifferens cauſans determinatum à creatura exercitium liberum hominis indiuiſibiliter naſcens ab eo decreto, & à voluntate; licet non expectet exercitium hominis, vt exiſtat; expectat tamen illud, vt illud cauſet; ſicuti cauſa non intelligitur cauſans ſuam actionem, vſque dum intelligatur actio. Deinde, licet decretum, quatenus cauſat liberum exercitium hominis, præſupponatur ad exercitium: non ita intelligendum eſt, vt ipſummet cauſare exercitium præſupponatur; ſed ita, vt id, quod cauſat, nempè decretum indifferens, præſupponatur ad ipſum *cauſare* ratione ipſius: ſicuti agens præſupponitur ad actionem per ipſam actionem.

138 Hinc ad argumentum in forma: tranſmiſſa prima parte maioris, videlicet: *Nulla cauſa ſupponit ſuum effectum*: diſtinguo ſecundam: nec expectat effectum, vt cauſa ſit, ſiuè exiſtat, concedo: vt cauſet, nego maiorem. Deinde diſtinguo minorem. Sed decretum indifferens ſupponit, vel expectat determinationem liberi arbitrij creati, vt exiſtat prædictum decretum, nego: vt cauſet ipſam determinationem: concedo minorem: nam reuera non cauſat eam, donec ea exiſtat. Et deinde nego conſequentiam: quia cauſat determinationem per ipſam determinationem, tanquā per cauſalitatem.

139 Inſtat Gonetus. Si decretum illud talem determinationem cauſaret, non eſſet amplius indifferens, ſed determinās: imò, & prædeterminans: quia illam determinationem cauſæ creatæ prioritate ſaltem naturæ antecederet: cum omnis cauſa ſit prior ſaltem natura ſuo effectu. Sed hoc repugnat. Ergo implicat contradictionem liberi arbitrij determinationem cauſari à decreto indifferente.

140 Reſpondeo negando primum antecedens: quia li-

tet decretum prioritate naturæ determinationem cauſæ creatæ antecederet, cũ tamen non ſe ipſo eam præcederet, ſed formaliter ratione ipſius determinationis, neſcio vnde inferat Gonetus hoc decretum prædeterminare cum tota determinatio proueniat formaliter ab exercitio libero creaturæ.

141 Aliæ inſtantiæ, quas adijcit Gonetus, procedunt ex falſa quadam ſuppoſitione. Porro; quia aliqui ex noſtris explicãt hoc decretum verbis, quaſi conditionatis: exinde putarunt aduerſarij hoc decretum conditionatum eſſe. Verum aliud eſt verificari de hoc decreto, quod, ſi creatura operetur, operabitur Deus cum illa ab illa determinatus, aliud valde diuerſum hoc decretum eſſe conditionatum, & decernere conditionatè conſenſum ſub conditione, quod creatura ad conſenſum ſe determinet. Primum verum eſt: quia, cum conſenſus dependeat indiuiſibiliter à Deo, & creatura; veriſsime affirmatur quod ſi creatura ſe determinet, operabitur Deus cum illa: ſiquidem determinatio creaturæ eſt etiam concurſus diuinus in actu ſecundo. At vero falſum eſt hoc decretum eſſe conditionatum: non enim expectat determinationem creaturæ aliunde poſitam, vt in eſſe decreti abſoluti conſtituatur, ſed ſe ipſo eſt decretum abſolutum, licet indifferens, & à creatura determinabile.

142 Hinc etiam conſtat falſum eſſe nos aſſerere determinationem creaturæ non eſſe à Deo. Etenim fatemur totam creaturæ determinationem à Deo eſſe, non à Deo determinante illam; ſed à Deo determinato à creatura: quia Deus per ſuum decretum indifferens conſtituit ſuam omnipotentiam in manu creaturæ, vt illa vtatur, ſiue ad determinationem conſenſus, ſiue ad oppoſitum, vt infra magis ex profeſſo declarabimus.

143 Ob. 6. *Deus* (iuxta D. Auguſt. de corrept. & gratia cap. 14) *magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas*. Sed hoc non ſtat cum decreto indifferente aplicatiuo omnipotentiæ; & cum carentia prædefinitionis omnino abſolutæ, & antecedentis, prout à Thomiſtis ponitur. Ergo Deus non aplicat ſuam omnipotentiam per decretum indifferens; ſed per decretum omnino determinatum, abſolutũ, & antecedens. Minor probatur. Deus non habet poteſtatem determinandi immediate noſtras voluntates, nos vero eam poteſtatẽ habemus; & hæc poteſtas non poteſt non arguere perfectius dominium. Ergo noſtræ voluntates magis ſunt in noſtra poteſtate, quam in Dei poteſtate.

144 Confirmatur primo. Deus non poteſt velle efficaciter

poſ-

noſtrum liberum conſenſum, niſi explorata prius noſtra voluntate, vt conſenſu ita aliqui læderet noſtram libertatem, nos vero poſſumus, nulla alterius explorata voluntate, nos determinare. Ergo perfectius dominium circa noſtrum conſenſum eſt penes nos, quam penes Deum.

145 Confirmatur ſecundo. Coniunctum ex auxilio præuiſo vt in efficaci (ſub cuius nomine totam libertatem intelligo) & ex conſenſu, non eſt proximè ſub poteſtate diuina; non enim eſt in manu Dei, quod Petrus conſentiat cum libertate eadem, qua de facto non conſentit. Sed conſentire cum hac libertate eſt proximè ſub dominio, & poteſtate creaturæ. Ergo prædictum aggregatum magis eſt ſub poteſtate creaturæ, quam Dei.

146 Confirmatur tertio. Deus non habet maius dominium in actiones naturales, & non liberas, quam in liberas, & humano arbitrio ſubiectas. Sed Deus independenter ab alterius agentis determinatione, nullaque alterius explorata voluntate, poteſt actiones non liberas decernere omnino efficaciter abſolutè & antecedenter. Ergo poteſt ita pariter decernere actiones liberas, vel circa illas non adeo perfecto gaudebit domino, ac circa actiones naturales, & non liberas.

147 Reſpondeo, quando Auguſtinus dixit hominum voluntates magis eſſe in poteſtate Dei, quam ipſius hominis, non loquutum fuiſſe de homine, prout cum omnibus ad conſenſum, & diſſenſum prærequiſitis inſtructo; ſed de homine ſecundum ſe, & prout libero arbitrio, præſcindendo ab alijs, ornato: facta autem comparatione prædicta, magis ſubijcitur dominio diuino actus liber Petri, quam arbitrio libero ipſius Petri, quia Petrus ita conſideratus, neque eſt proxime potens ad conſenſum, neque abſolute potens comparare ſibi proximam poteſtatem, præſertim ad actus ſupernaturales. Deus autem habet proximam, & expeditam poteſtatem conſtituendi Petrum proxime potentem conſentire, conferendo illi libertatem, ſub qua conſenſurus præuidetur: quod ſufficit, vt ſub prædicta conſideratione actus liber Petri ſit ſub poteſtate Dei magis quam ſub ipſius Petri poteſtate.

148 Hinc ad argumentum in forma conceſſa maiore ſub adhibita explicatione, nego minorem. Ad eius probationem: conceſſa prima parte antecedentis, diſtinguo ſecundam. Nos habemus poteſtatem determinatiuam noſtri conſenſus: conſiderato libero arbitrio ſecundum ſe, nego; conſiderato cum omnibus

prærequiſitis, concedo antecedens. Et omiſſa minori, nego conſequentiam, quia comparatio non fit inter Deum, & liberum arbitrium, vt proximè liberum; ſed inter Deum, & liberum arbitrium ſecundum ſe.

149 Ad primam confirmationem. Conceſſa prima parte maioris, diſtinguo ſecundam. Nos poſſumus, nulla alia explorata voluntate, nos determinare, quando adſunt nobis omnia immediata prærequiſita concedo: intellecto libero arbitrio ſecundum ſe, nego antecedens. Et deinde diſtinguo conſequens. Ergo perfectius dominium circa noſtrum conſenſum eſt penes nos, præſcindendo à reliquis prærequiſitis ad conſenſum, nego, prout cum omnibus prærequiſitis, ſub diſtinguo; perfectius dominium proprietatis, & iuriſdictionis, nego: perfectius dominium electiuum omitto.

150 Ad ſecundam confirmationem reſpondeo eodem modo concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: coniunctū ex auxilio præuiſo inefficaci, & ex conſenſu, eſt ſub dominio creaturæ: vt cum omnibus prærequiſitis immediatis, concedo: ſub dominio creaturæ conſideratæ ſecundum liberum arbitrium, & præſcindendo à reliquis, nego minorem; & diſtinguo conſequens. Ergo prædictum aggregatum magis eſt ſub poteſtate hominis conſiderati cum omnibus prærequiſitis immediatis, concedo: conſideratis ſecundum liberum arbitrium dumtaxat, nego conſequentiam.

151 Ad tertiam confirmationem diſtingo maiorem. Deus non habet circa actiones naturales, & liberas maius dominium iuriſdictionis, & proprietatis, quam circa actiones liberas, concedo, maius dominium libertatis, & electionis, nego maiorē; quia reuera magis libere libertate electiua ſe exercet circa actiones, quas immediate determinat, quam circa actiones, quæ ab alio dumtaxat determinantur. Deinde conceſſa minori, diſtinguo cōſequēs iuxta diſtinctionem traditam in maiori.

152 Ob. 7. Quod Deus expectat, vel ſupponit, & non cauſat, non eſt ex eius intentione, & prouidentia. Sed iuxta nos Deus expectat, vel ſupponit, & non cauſat liberam determinationem voluntatis creatæ per decretum indifferens. Ergo talem determinationem Deus non prædefinit, neque prædeſtinat. Reſpondeo negando minorem: falſiſsimum enim eſt Deum expectare, vel ſupponere, & non cauſare determinationem liberam creaturæ: etenim, vt ſæpe diximus, determinatio eſt ſimul concurſus diuinus in actu ſecū-

do,

do,quem Deus determinatus à creatura cauſat phyſice per decretum differens.

153 Ob.8.ordo diuinæ prouidentiæ debet eſſe infallibilis,& certus,non ſolum certitudine præſcientiæ: verum etiam certitudine cauſalitatis. At in decreto indifferenti nequit fundari ordo infallibilis,& certus certitudine cauſalitatis. Ergo tale decretum derogat perfectioni diuinæ prouidentiæ. Conſequentia eſt bona,& minor certa:ſiquidem cauſa indifferens,vt talis,nequit fundare certitudinem vnius potius quam alterius, cum ad vtrumque indifferens ſit. Maiorem igitur probant aduerſarij:tum quia tantum ſe extendit diuina prouidentia,quantum ſe extendit eius cauſalitas,tum quia prædeſtinatio,quæ eſt perfectiſsima prouidentia, eſt certa,non ſolum certitudine præſcientiæ,ſed certitudine cauſalitatis mediorum.

154 Reſpondeo ordinem diuinæ prouidentiæ non debere eſſe certum certitudine cauſalitatis,ideſt prouidentiam non teneri adhibere cauſas connexas ex ſe cum effectibus intentis, ſed, quæ de facto, & infallibiliter obtinebunt effectum;quia nulla alia certitudo requiritur in prouidentia,niſi quæ ſufficit, vt qui ponit media,certus ſit de eorum efficacia ad finem conſequendum; ſiue hæc efficacia ſit intrinſeca,ſiue extrinſeca. Hinc ad argumentum in forma,nego maiorem. Ad probationem huius diſtinguo primã partem antecedentis. Prouidentia tantum ſe extendit, quantum eius cauſalitas,ſumpta cauſalitate pro virtute cauſatiua, vt connexa cum effectu,nego:ſumpta cauſalitate pro cauſatione,qua de facto cauſabit,admitto:& diſtinguo ſimiliter ſecundam partem antecedentis. Prædeſtinatio eſt certa,non ſolum certitudine præſciẽtiæ,ſed certitudine cauſalitatis, ſumpta cauſalitate pro virtute cauſatiua,nego:pro actuali cauſatione, concedo; & nego conſequentiam. Verum de certitudine Prædeſtinationis, infra ex profeſſo agemus.

155 Ob tandem. Deus determinat ad indiuiduationem effectus. Ergo & ad ſpeciem effectus. Antecedens à nobis admittitur. Conſequentia probatur. 1. quia indiuiduatio, & ſpecies idẽ ſunt in effectu.2.quia nobilior eſt ſpecies effectus, quam eius indiuiduatio. Sed non debemus tribuere Deo determinationem illius, quod ignobilius eſt,negata determinatione nobilioris. Ergo Deus determinat etiam effectum,quod ſpeciem.

156 Hac obiectio oritur ex ignorantia terminorum; ideo,eis explicatis, ceſſat obiectio. Non aſſerunt Societatis autho

res

QVÆST. VII.

Reffellitur quælibet prædefinitio diuina ad materiale peccati.

POtiſsimum argumentum aduerſus decretum prædeterminans ſumitur ex eo, quod teneretur Deus ad prædeterminandum materiale peccati, quæ prædeterminatio ſummæ Dei bonitati repugnans eſt. Ideo placuit hanc ad materiale peccati prædeterminationem per integram quæſtionem reijcere.

SECT. I.

Prædeterminantia decreta reſellantur, quia ex eis infertur decretum prædeterminans ad peccatum, ſaltem ad materiale illius.

1 SI vt Deus concurrat nobiſcum ad noſtros actus liberos, requiratur decretum omnino antecedenter efficaciter decernens noſtros liberos actus, decernet Deus efficaciter noſtra peccata. At Deus nequit peccata decernere. Ergo non requiritur decretum diuinum abſolutum antecedenter prædeterminans, vt nobiſcum Deus ad noſtros actus liberos concurrat.

2 Aduerſarij, vt huic argumento ſatisfaciant, in duas partes diſtracti ſunt. Alij conceſſa maiore, diſtingunt minorem, & dicunt Deum abſque ſuæ infinitæ bonitatis præiudicio poſſe noſtros actus prauos, & peccaminoſos quoad ipſorum materiale efficaciter decreto prædeterminatiuo decernere; non vero quoad malitiam formalem: quia id Deus debet antecedenter efficaciter decernere, ad quod nobiſcum ſimul concurrit. Cum autem Deus non concurrat ad formale peccati; ſed ad materiale, & phyſicum: ideo materiale, non vero formale peccati efficaciter prædecernitur à Deo. Quod autem Deus velit efficaciter, & antecedenter, materiale peccati, quamvis cum formali connexum, aut identificatum, non putant Deum dedecere: quia cum materiale peccati, vt præciſe materiale, quamtumuis cum malitia forma-

formali connexum, non inuoluat ipſam malitiam, non eſt malum; cum nihil ſit malum, niſi prout malitiam inuoluens: eo autem modo, quo aliquid malum non eſt, videtur à Deo poſſe amari, & ab ipſo efficaciter prædecerni. Ita ſentiunt communiter Thomiſtæ.

3 Alij vero ex ipſis amorem diuinum erga actus prauos, vt execrandum concedere formidantes, prædeterminationem ad materiale peccati, & voluntatem diuinam ad illud terminatam, conſtanter negãt. Ita Fr. Ioannes Vicentius. Verdu. Gonçalez, Nazarius, & alij apud Paulum Leonardum part. 2. reſp. pro Sciẽcia Media ſect. 3. num. 13. Hi ergo authores ſyllogiſmo reſpondẽt negando maiorem. Etenim (aiunt) licet Deus teneatur ad volendum actus bonos, & ad ipſos medio ſuo decreto efficaci, & prædeterminatiuo, concurrere; non tamen ad id tenetur quoad actus prauos Quam obrem apud illos nõ vniuerſaliter verum eſt, Deum concurrere ad actus liberos noſtros medio decreto efficaci, abſoluto, & antecedente, ſed ſolum id defendunt de actibus bonis.

4 Vellem ab his authoribus prius ſcire, an iuxta eos Deus concurrat ad actus prauos concurſu ſimultaneo, vel non? Si non concurrat, recidunt in ſententiam Durandi, tenenturque explicare, qua ratione ſaluatur immediatum, & perfectum dominiũ Dei circa omnes, & ſingulas noſtras actiones. Si vero dicant Deũ concurrere cum creatura ad actus prauos: rurſus rogo; an Deus præſtet hunc concurſum per decretum indifferens, vel per decretum connexum, & determinatum? Si per decretum connexum, & determinatum, incidunt in id ipſum, quod vitare contendunt: quã do quidem hoc decretum eſſet amor determinatus, abſolutus, & efficax actus praui. Si vero dicant Deum concurrere aplicando ſuam omnipotentiam per decretum indifferens,

5 Sic argumentor. Ex hac applicatione omnipotentiæ ad actum prauum per decretum indifferens, infertur ad opus bonum non requiri decretum prædeterminans. Ergo, antecedente ſemel admiſſo, dicendum eſt non requiri decretum prædeterminans ad conſenſum. Antecedens probatur. Hoc decretum in coniungibile eſt cum decreto prædeterminante ad bonum; coniungibile vero cum opere bono. Ergo opus bonum ſeparabile eſt à decreto prædeterminante ad illud.

6 Probo conſequentiam, poſtea antecedens probaturus. Id quod poteſt coexiſtere defectui decreti prædeterminantis ad conſenſum, poteſt ſeparari à tali decreto prædeterminante: quando quidem coexiſtere defectui alicuius eſt formaliſſime ſepa-

gari

rari ab eo extremo. Sed conſenſus poteſt coexiſtere defectui decreti prædeterminantis ad conſenſum. Ergo conſenſus poteſt ſeparari à decreto prædeterminante ipſum conſenſum Probo Minorem. Conſenſus poteſt coexiſtere decreto indifferenti, quod decretum indifferens ſupponitur inconiungibile cum decreto prædeterminante, & conſequenter eſſentialiter connexum cum defectu talis decreti prædeterminantis ad conſenſum. Ego conſenſus poteſt coexiſtere cum aliquo connexo eſſentialiter cum defectu decreti prædeterminantis. Tunc ſic. Quod poteſt coexiſtere cum extremo eſſentialiter connexo cum alio, poteſt coexiſtere cum illo alio, vt ex ipſis terminus eſt euidens. Sed conſenſus poteſt coexiſtere cum decreto indifferentè eſſentialiter connexo cum defectu decreti prædeterminantis ad conſenſum. Ergo conſenſus poteſt coexiſtere cum defectu decreti prædeterminantis ad conſenſum. Ergo, & poteſt ſeparari à decreto prædeterminante ad conſenſum.

7 Probo iam illud antecedens: nempe, & conſenſum eſſe coniungibilem cum decreto indifferenti, & decretum indiff. rens eſſe inconiungibile cum decreto prædeterminante. Et in primis conſenſum eſſe coniungibilem cum decreto indifferente, conſtat ex natura ipſius decreti indifferentis: ſi enim ad conſenſum, & diſſenſum indifferens eſt, cum conſenſu, & diſſenſu coniungibile erit.

8 Alia pars antecedentis, nempe hoc decretum indifferens inconiungibile eſſe cum decreto prædeterminante ad conſenſum, probatur. Hoc decretum indifferens ſe ipſo ad conſenſum, & diſſenſum, excludit ſe ipſo prædeterminationem ad conſenſum. Ergo inconiungibile eſt cum decreto prædeterminante ad conſenſū. Antecedens probatur. Sufficiens applicatio omnipotentiæ ad diſſenſum, ſiue ad actum prauum, inuolvit carentiam prædeterminationis ad conſenſum, ſeu ad actum bonum. Sed hoc decretum indifferens ſe ſolo eſt ſufficiens applicatio omnipotentiæ ad actum prauum. Ergo ſe ſolo excludit prædeterminationem ad bonū. Cōſequentia eſt legitima, & minor eſt doctrina adverſariorum: quia nulla applicatio omnipotentiæ ad malum opus debet intrinſece connecti cum malo opere: alioqui iam Deus applicando ſuam omnipotentiam, vellet, ſaltem interpretatiue, quod eſſet malum opus. Maior igitur probatur. Sufficiens applicatio omnipotentiæ ad vnum extremum involuit quidquid requiritur ad illud extremum ex parte applicationis. Sed carentia phyſicæ prædeterminationis ad conſenſum requiritur eſſentialiter ad diſſenſum, & non aliter

quam

natio ad diſſenſum, ponit omnino antecedenter ad diſſenſum. Ergo ad illud prædeterminat.

12 Confirmatur. Qui ponit pro ſuo libito, & mera determinatione, aliquid inferens omnino antecedenter aliud, no ſolum dicitur permittere illud; ſed ad illud determinare: quandoquidem determinatio ineuitabilis antecedens ponitur abeo. At Deus pro ſuo libito ponit ex vi carentiæ prædeterminationis ad conſenſum determinationem antecedentem, & ineuitabilem ad diſſenſum. Ergo non pure permittit diſſenſum; ſed ad illum determinat omnino antecedenter: ergo & prædeterminat, ergo id ipſum, quod hi authores horrent admittere, tenentur concedere.

SECT. II.

Impugnatur prædefinitio ad materiale peccati ab authoritate.

13 Alij vero, vt diximus, ne videantur ſuæ doctrinæ proditores, totis viribus defendunt Deum ad materiale peccati prædeterminare. Cum hac tamen prædefinitione, & prædeterminatione ad materiale peccati, componere tentant Deũ non eſſe authorem peccati: quia ſua voluntate, & prædeterminatione ſolum attingit materiale, quod in ſe bonum eſt; non autẽ formale, in quo ratio peccati, & malitiæ formaliter conſiſtit. Quapropter non eſt Deus author peccati ſecundum formale illius.

14 Vt hæc ſententia melius percipiatur, animaduertendum eſt materiale peccati vocari ab authoribus totum id, quod phyſicum eſt in peccato: quapropter materiale peccati non vocatur entitas phyſica actionis peccaminoſæ, prout præſcindit à libertate; ſed actio peccaminoſa, v.g. voluntas furandi, adhuc vt coniuncta cum tota libertate conſtituta per cognitionem oppoſitionis ad voluntatem diuinam, ſiue ad ſufficientem regulam moralitatis: nam id vocatur materiale peccati, quod ita eſt fundamentũ malitiæ, vt eo exiſtente, implicet malitiam etiam non exiſtere.

Intellecto igitur hoc materiali peccati, dicunt communius Thomiſtæ formale peccati, ſeu peccati malitiam diſtingui realiter ab hoc materiali. Verum in aſsignanda hac formali malitia in peccato commiſsionis, de quo, maioris claritatis gratia, loquemur in præſenti, duplex eſt Thomiſtarum ſententia: nam aliqui tenent hanc formalem malitiam, ſeu hoc formale peccati, conſiſtere in quadam carentia rectitudinis reſultante neceſſario ex materiali peccati, nimirum ex actione peccaminoſa, vt coniuncta cum liber-

tate.

Digitized by Google

tate. Alij vero tenent, hanc malitiam conſiſtere in poſitiuo, nempe in quodam reali reſpectu, in quadamque relatione realiter reſultāte ex materiali peccati, vt fundamento, & realiter ab eo fundamēto diſtincta.

15 Non pauci, nec ignobiles Thomiſtæ docent materiale peccati, & formale peccati inter ſe realiter non diſtingui; ſed eſſe diuerſa prædicata, ſolum per cognitionem diſcreta, nihilominus cum hoc tentant componere Deum ad materiale peccati prædeterminare, quin ad formale prædeterminet. Qua autem ratione id contingere poſſit non ſatis aperte declarant; ſed ſub terminorū, & reduplicationum inuolucro recondunt. Curſus Theologicus Carmilitanus videtur non aliter negare Deo prædeterminationē ad formale peccati; niſi negando Deum velle peccatum ſub expreſſione mali: cōſequenterque videtur Deo adſcribere prædeterminationem ad formale peccati ex parte obiecti, licet ex parte modi tendendi non illud decernat, qua peccatum eſt, ſed qua entitas phyſica, & realis eſt. Iuxta hanc igitur intelligentiam, Deus vere, & realiter, & ex parte obiecti erit cauſa formalis peccati, licet nō per actum tendentem in peccatum ſub motiuo, aut ſub expreſsione mali; ſed ſolum ſub motiuo, & expræſsione entis phyſici, & realis. Conſulto dixi *videtur*: non enim facile adducar, vt credam viros Theologos, & admodum pios, vſque adeo fallani, & Deo non dignam docuiſſe ſententiam.

16 Alij vero tenent Deum, non ſolum ex parte modi, verum neque ex parte obiecti, ſua prædeterminatione, & cauſalitate, attingere formale peccati, licet realiter identificatum cum materiali, quod Deus, & prædeterminat, & cauſat. Cenſent enim inter prædicata realiter identificata recte poſſe diuinam cauſalitatem præſcindere prædeterminando & cauſando vnum, altero in cauſato, & imprædeterminato, quia extra ſphæram voluntatis, & cauſalitatis natura ſua conſtitutum eſt. Verum ſiue hoc, ſiue illo modo, explicetur materiale peccati, dum tamen aſſeratur poſite materiali, neceſſario ſubſequi formale peccati ſine alio libertatis exercitio.

17 Impugnatur 1. hæc ſententia ex Scriptura, non ſolum ex illis propoſitionibus vniuerſalibus, quibus dicitur Deus odiſſe peccata, verum etiam ex alijs, in quibus ipſi actus materiales dicūtur non eſſe à Deo. Nam. 1. Ioann. 2. dicitur: *Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, non ex Patre; ſed ex mundo eſt.* At concupiſcentia carnis, & oculorum, & vitæ ſuperbia, ſunt

ſunt materiale peccati. Ergo materiale peccati non habet Deum authorem. Ergo nec prædeterminatur à Deo. Idem habetur in Epiſtola Iacobi Apoſtoli cap. 3. vbi inquit. *Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe: non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis diabolica.* Sed habere zelum amarum, & contentiones, eſt materiale peccati. Ergo materiale peccati non eſt à Deo vt authore, ſed a diabolo, & a propria peccatoris libertate.

18 Impugnatur 2. hæc ſententia ex conciliis. Nam concilium Arauſicanum can. 25. damnat aſſerentes aliquos eſſe homines ad malum prædeſtinatos. Ergo Deus neminem prædeſtinat, aut efficaciter præmouet ad actum, qui ratione malitiæ malus eſt. Vbi aduerte non dixiſſe concilium Deum non prædeſtinare ad malitiam, ſed Deum non prædeſtinare ad malum: quo videtur non ſolum ad formale; verum, & ad materiale, negaſſe prædeterminationem, ſeu prædeſtinationem.

19 Clarius loquitur Tridentinum ſeſ. 6. can. 6. vbi hæc habet: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere; ſed mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permiſſiue ſolum ſed etiam proprie, & per ſe: adeo, vt ſit proprium eius opus, non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema ſit.* Ex quibus verbis hoc deducitur argumentum. Non aliter permittitur peccatum, niſi permittendo actionem peccaminoſam, ſicuti non aliter cauſatur poſitiue peccatum, niſi cauſando poſitiue, & libere actionem prohibitam: nam malitia, vel identificatur cum ipſa actione peccaminoſa, vel ex ea, per naturalem reſultantiam, abſque noua libertate, dimanat. Sed Deus, iuxta concilium, pure permittit peccatum: ergo pure permittit actionem peccaminoſam, ſeu materiale peccati, quin illud poſitiue prædeterminet. Hoc argumentum infra penitius proſequemur.

20 Impugnatur 3. ex Sanctis Patribus: & quia minis operoſum eſſet authoritates Patrum adducere, quas noſtri obſeruant in hac materie, & quia fere omnes inuenientur apud P. Ruiz de Montoya tom. de volunt. à diſp. 26. vſque ad 51. vnam, vel alteram ſeligam dumtaxat. D. Auguſt. de articulis ſibi falſo impoſitis art. 10. hæc habet pulcherrima verba; *Abominanda opinio eſt, quæ Deum cuiuſque malæ voluntatis, aut malæ actionis, credit authorem: adulteria enim matronarum, & corruptelas virginum, non inſtruere nouit ſancta diuinitas, ſed damnare, nec diſponere,*

ad punire. Et paucis interiectis. *Non ergo caſus ruentium, nec malignitatem iniquorum nec cupiditates peccantiũ prædeſtinatio Dei, aut excitauit, aut ſuaſit.* At vt recte notat Aldrete, explicans hunc locum, cupiditates illæ, adulteria, virginum corruptelæ, malæ voluntates, & malæ actiones, ſunt materiale peccati: neque aliter materiale peccati explicatur. Ergo iuxta Auguſtinum abominanda eſt opinio, quæ credit Deum authorem materialis peccati.

21 Conſonat D. Proſper. in reſponſione ad obiectiones Vincentianas vbi ait. *Sicut Deus non indidit malo Angelo illam voluntatem, qua in veritate non ſtetit, ita nec hominibus illum affectum, quo diabolum imitarentur, inſeruit.* Item Anſelmus lib. de de caſu diaboli cap. 27. fine. *Nullum aliam* (vt peccaret diabolus) *cauſam habuit, qua impelleretur aliquatenus, aut atraheretur; niſi quia voluit.* Ergo non fuit prædeterminatus à Deo. Denique D. Thom. in 2. ſent, q. 1. art. 3. ait. *Deum eſſe cauſam ſubſtractionis gratiæ, & eſſe cauſam actus indifferentis, non quia ipſum ſecundum ſe cauſet quando malus eſt; ſed quia ipſum permittit eum non impediendo.* Ecce Sanctus Doctor non ſolum negat à Deo cauſari actũ reduplicatiuè, vt malũ, verum etiam cauſari à Deo ſecundum ſe, ſeu ſecundum ſuam entitatem, quando malus eſt.

22 Omnia hæc, reſpondet Gonetus intelligi debere de cauſalitate diuina in actus prauos, reduplicatiue, vt tales, vel de Deo, vt prouiſſore particulari; non de Deo, vt cauſa prima. Verum hæc ſolutio non indiget alia impugnatione, quam lectione verborum, quæ adduximus. Etenim, ſi cum negatur abſolute cauſalitas diuina, contrahenda ſit negatio ad ſingularem caſum: & cum dicitur Deum non cauſare actum ſecundum ſe (vt ait D. Thomas verbis citatis) intelligendum ſit, non de actu ſecunſum ſe: ſed reduplicatiue, vt prauo; facilis, & expedita via aperitur ad ſcripturæ Conciliorum, & Patrum authoritatem eludendam.

SECT. III.

Impugnatur prædefinitio ad materiale peccati á ratione.

23 Deus nõ concurrit proprie, & per ſe, ad opera praua; ſed pure permiſſiue, vt conſtat ex cõcilio. At Deum prædeterminare ad materiale peccati eſt concurrere ad opus

præ-

prauum propriè, & per ſe, & non pure permiſſiue. Ergo Deus non prædeterminat ad materiale peccati. Maior conſtat ex concilio Tridentino ſupra allegato. Probatur igitur minor, in qua eſt diffi cultas. Qui ita ſe gerit circa opus malum, vt non ſolum ſinat cum exiſtere; ſed poſitiue ponat aliquid prauie faciens, quod exiſtat opus prauum, non pure permittit peccatum; ſed poſitiue, & per ſe ponit opus, ſeu facit quod exiſtat opus. Sed Deus non ſolum ſinit exiſtere peccatum; ſed ponit poſitiue prædeterminationem, quæ antecedenter facit quod exiſtat peccatum. Ergo Deus non ſolum permittit; ſed poſitiue facit quod exiſtat peccatum: conſequenter que per ſe cauſat peccatum.

24 Dicunt primo Deum per ſe eſſe cauſam operis praui; non vero prauitatis illus: quia non cauſat maliciam: ſed preciſſe opus, quod inficitur malitia: hoc autem dicunt ſufficere, vt dicatur Deus pure permiſſiue ſe habere circa malitiam, quia quamvis cauſetur aliquid inferens malitiam, dummodo malitia non ametur à Deo, neque Deus cauſet operationem moraliter prauam ex intentione malitiæ, non datur aliquid ex parte Dei vltra puram permiſsionem malitiæ.

25 Hæc reſponſio inſufficiens eſt: tum quia vox permiſſio ſignificat non imperditionem, prout negat poſitionem cuiuslibet intrinſece inferentis illatione purè antecedente illud, quod permittitur, vt patet in homine; qui permittit peccatum alterius: tum quia ad alium ſenſu detorquet verba concilij. Etenim concilium non loquitur de malitia; ſed de opere malo (vt conſtat ex ipſis verbis concilij) reſpectu cuius negat Deo aliter, quam pure, permiſſiue, ſe habere; tum quia eſt contra concilij intentum: nam concilium eo ſenſu negat Deo influxum in opera praua, quo tribuitur Deo à Caluino, Melanctone, & alijs hæreticis, cōtra quos ibi concilium agebat. Sed Caluinus Melancton, & alij, non dabāt influxum per ſe, & determinatum in malitiam, ſed in ipſos actus, qui malitia inficiuntur, & ab ipſa inſeparabiles ſunt. Ergo concilium negat pariter Deum per ſe influere in actus prauos à malitia diſtinctos. Conſequentia eſt bona, & maior certa. Minor probatur verbis ipſorum hæreticorum, quæ adducunt Bellarminus lib. 2. de amiſsione gratiæ cap. 2. & 3. Vazquez 1. part. diſp. 99. cap. 4. Ruiz de Montoya tom. de volunt. diſp. 39. ſect. 2. Beccano tom. 1. opuſcul. opuſcul. 5. de authore peccati. Valentia 1. part. quæſt. 19. diſp. 1. pūct. 3. & 22. diſp. 6. q. 6. pūct. 1. Annatatus de Sciēcia Media diſ. 4. cap. 4. Ribadeneyra, tract. de Prædeſtinat.

diſp. 11. cap. 2. à num. 13. Quiros in 1. p. tract. 6. diſp. 24. ſect. 5.

26 Ex quibus vnum tantum, vel alterum ſeligam locum. Caluinus lib. de prædeſtinat. pag. 944. apud Ribadeneyra loco citato, ait loquendo de hominum prauis operibus. *Et quidem quatenus mala ſunt, quæ malo animo perpetrant homines, vt ſtatim planius exponam, Deo minimè placere fateor*; Ergo negabat Caluinus prædeterminationem ad formale peccati directè. Deinde rationem malitiæ, & deformitatis, quæ reperitur in peccato, nō à Deo; ſed à creatura prouenire, docuit Theodorus Beza Caluini ſectator. Aphoriſm. 19. *Quid quid* (ait) *agit Deus bonum eſt, cum à ſummo bono nihil mali poſſit proficiſci; omnia autem efficit: omnia igitur bona ſunt; quatenus à Deo efficiuntur: & diſcrimen illud boni, & mali, in inſtrumentis dumtaxat locum habet.* Merito ergo dixit Zumel iuratiſsimus Thomiſta 1. p. q. 22. art. 4. in appendice concluſ. 5. *Nullus hæreticorum aſſeruit Deum concurrere ad formale peccati; ſed tantum ad materiale, præmouendo, & prædeterminando, & nihilo minus damnantur, idque maximè execrantur Sancti, vt Auguſtinus, Damaſcenus, Fulgentius, Thomas.*

27 Præterea creatura catenus cauſat formale peccati, quatenus ſe determinat ad materiale incircunſtantijs, in quibus malitia conſequetur neceſſario materiale: malitia enim peccati non attingitur immediate, neque affectiuè, neque effectiuè à creatura, quia creatura neque vult furtum, quia peccaminoſum, neque immediate producit malitiam, ſed mediate tantum, quatenus immediate producit actum, ex quo malitia abſque nouo creaturæ influxu reſultat. Ergo ſi Deus hoc materiale, ex quo reſultat malitia, vult, determinat, & cauſat, ab ipſo cauſabitur malitia perinde, ac cauſatur à creatura.

28 Dicunt ſecundo adhuc ipſum materiale peccati duo inuoluere, & materiale materialitir ſumptum, & materiale formaliter acceptum. Materiale materialiter, ſeu phyſicè ſumptum, eſt ipſa entitas materialis ſecundum ſe, præſcindendo, non ſolùm ab eo quod habeat malitiam, verum etiam ab eo quod eam fundet. Materiale formaliter acceptum, eſt entitas materialis, non præciſſe ſecundum ſe, ſed reduplicatiuè, quatenus fundat malitiam; ſeu quatenus eſt materiale peccati. Ex his dicunt creaturam non ſolum cauſare, & velle, materiale peccati materialiter, & phyſice ſumptum; verum etiam formaliter, &

reduː

reduplicatiue acceptum, Deum autem ſolum cauſare, & velle, materiale materialiter vſurpatum, in hocque diſtingui Dominicanos à Caluiniſtis, quia Caluiniſtæ influxum tribuunt Deo in materialo peccati reduplicatiue vt tale; ſecus autē Dominicani, qui ſolū tribuūt Deo influxū in materiale materialiter, & phyſice acceptū.

29 Hæc reſponſio plus cæteris omnibus, quæ adhibentur, mihi diſplicet. Etenim, dum aduerſarij diſtinguunt inter *materiale materialiter ſumptum, & materiale formaliter ſumptum* triplici modo poteſt conſiderari, ſiue apprehendi hæc diſtinctio Primo realiter; ita vt *materiale materialiter ſumptum* diſtinguatur vere, & realiter, & aparte rei *à materiali formaliter* ſūpto: modo quo plures dicunt malitiam formalē peccati diſtingui realiter ab actu peccati, adhuc vt libere poſito: quia putant ex actu, vt libere poſito, reſultare malitiā diſtinctā ab actu, ſiue quia eſt aliqua carentia, ſiue, quia eſt aliqua relatio difformitatis ad rectam rationem realiter diſtinctam à ſuo fundamento. Secundo modo poteſt conſiderari materiale peccati materialiter ſumptum diſtingui à materiali formaliter ſumpto: nō quidē à parte rei, ſed terminatiue, ſeu obiectiue: hoc eſt eſſe prædicata obiectiue præſendibilia à voluntate. Quem ad modum enim, in plurium ſententia, hic actus præciſiuus. *Animal* attingit prædicatum animalis, quin vere, & realiter attingat prædicatum rationalis, propter vim, quam habet intellectus præſcindendi obiectiue inter prædicata realiter identificata: ita pariter volūtas poſſit attingere ex parte obiecti materiale materialis peccati, quin attingat ex parte obiecti verè, & realiter, formale materialis peccati.

30 Tertio modo poſſet excogitari hæc diſtinctio purè ex parte actus: ita vt materiale peccati materialiter ſumptum ſit ex parte obiecti omnia prædicata materialis peccati realiter, & vere amata; non tamen amore tendente in talia prædicata ſub expreſsione fundantis malitiam; ſed ſolum ſub expreſsione talis actus ſub tali libertate, præſcindendo, non ex parte obiecti; ſed ſolum ex parte modi, ab eo, quod fundet, vel non fundet malitiam, modo, quo, qui præciſsiones obiectiuas actibus intellectus negāt, præciſsiones formales, tenentes ſe omnino ex parte modi tendendi, concedunt. Hac diuerſitate intelligendi materiale peccati formaliter ſumptum, ſic aduerſus hanc ſolutionem argumentum. Nullo ex his modis poteſt explicari hæc diſtinctio, prout requiritur ad ſatisfaciendum propoſitæ difficultate. Ergo hæc ſolutio eſt abſolute inſufficiens.

Digitized by Google

31 In primis nequit dici materiale peccati materialiter ſumptum diſtingui realiter à materiali peccati formaliter ſumpto: quia odium Dei libere elicitum, catenus realiter fundat malitiam, quatenus realiter eſt odium Dei libere, & aduertenter, elicitum. Sed eſſe odium Dei libere, & aduertenter, elicitum, eſt materiale peccati materialiter acceptum. Ergo materiale peccati materialiter acceptum ſe ipſo in ſenſu reali habet eſſe fundamentum malitiæ. Nec in hoc eſt immorandum, cum à nemine Thomiſtarũ, quẽ viderim, inter materiale peccati materialiter ſumptum, & materiale peccati formaliter acceptum, realis adſtruatur diſtinctio.

32 Præterea dato materiale materialiter ſumptum, & materiale formaliter acceptum, diſtingui realiter, adhuc remanet difficultas: quia materiale formaliter ſumptum, ſi diſtinguitur realiter à materiali materialiter accepto, prout ita diſtinctum, erit ens phyſicum, & reale, & bonum in linea, entis realis, & phyſici: cũ ergo omnis bonitas phyſica, & realis, debeat iuxta Thomiſtas, à Deo, vt à cauſa prima, cauſari, manifeſte infertur materiale peccati formaliter acceptũ debere à Deo, vt cauſa prima, cauſari. At influxus cauſæ primæ, iuxta Thomiſtas, eſt media prædeterminatione. Ergo ex munere cauſæ primæ teneretur prædeterminare materiale peccati; non ſolũ materialiter, verũ, & formaliter acceptũ.

33 Præterea data hac diſtinctione reali. In ipſo materiali materialiter accepto eſſet conſiderari materiale materialiter acceptum ſecundum ſe, & materiale materialiter acceptũ, prout eſt fundamentũ, & radix materialis formaliter accepti, ſeu prout eſt ſaltẽ inferens materiale formaliter acceptũ. Vel ergo Deus prædeterminaret ad hanc ſecundam rationem, vel nõ. Si prædeterminaret: ergo etiam prædeterminabit ad materiale, prout eſt fundamentũ malitiæ. Non enim eſt maior ratio vnius, quam alterius. Si nõ prædeterminat ad hanc ſecũdam rationem: rurſus rogo: an prædeterminet ad primam, prout fundat, & infert hanc ſecũdam: & ſic, vel procedendũ eſt in infinitum, vel eſt concedendum Deum amare materiale peccati prout eſt fundamentum ad aliquid, quod Deus non poteſt prædeterminare.

34 Si dicant Thomiſtæ materiale peccati materialiter acceptũ non diſtingui realiter à materiali peccati formaliter accepto, ſed tantũ terminatiue, ſeu obiectiue, Deúque cũ prædeterminat ad materiale peccati materialiter acceptũ, reuera in nõ attingere ex parte obiecti materiale formaliter acceptũ: quia prædefinitio, prædeterminatio, & cauſalitas diuina, præſcindunt realiter ex par

ſe obiecti inter hæc duo prædicata inter ſe realiter identifica-ta.

35 Contra ſic argumentor. Primo; quia licet tendentiæ intentionales admittantur à pluribus præciſiuæ ex parte obiecti inter prædicata realiter identificata, attamen influxus, & cauſalitas phyſica, eam vim præciſiuam minime habet: cum vero Deus, non ſolum tendat intentionaliter affectiue in materiale peccati; verum etiam illud phyſice cauſet, infertur Deum, vt phyſice cauſantem, non poſſe attingere vnum prædicatum, quin per ſuam phyſicam cauſalitatem attingat quodlibet aliud cum primo identificatum. Antecedens autem videtur conſtans in phyloſophia: nam cauſæ phyſicæ, & reales, non producunt vnum prædicatum in producto alio; ſed vel omnia, vel nullũ ſua productione attingunt. Cuius ratio eſt; quia actiones phyſicæ attingunt ſuos terminos phyſicè, & prout ipſi phyſice, & realiter ſunt: non in tentionaliter, conſequenterque attingunt ſuos terminos ſecundum omnia prædicata, quæ realiter, & à parte rei habent. Nec poſſum non mirari ſupremũ Thomiſtarum aduerſus identitatis iura dominium, quo prædicata inter ſe penitus indiſtincta in diuerſa fruſtra concidunt, quorum vnum, alio illibato, cauſalitas phyſica attingat, & aliud, primo phyſicæ alicui cauſæ ſubiecto, à cauſalitatis ſubiectione permaneat indemne. Sed hoc omiſſo.

36 Contra ſecundo. Creatura eatenus cauſat formale peccati, quatenus ſe determinat ad materiale in circunſtantijs, in quibus formale neceſſario conſequitur. Vel aliter, vt ſolutionem datam præoccupem. Ideo creatura cauſat materiale peccati formaliter acceptum, ſiue prout eſt fundamentum malitiæ, quatenus determinat libere materiale peccati materialiter acceptum. Ergo ſufficit ad cauſandum materiale peccati formaliter acceptum determinare libere materiale peccati materialiter acceptum. Sed Deus determinat materiale peccati materialiter ecceptum. Ergo cauſat materiale peccati formaliter acceptum eodem titulo, quo creatura illud cauſat.

37 Contra tertio. Hoc prædicatum eſſendi fundamentum malitiæ, quod nõ attingit cauſalitas diuina: vel vltra id, quod attingit cauſalitas diuina, eſt aliquod ens, vel purum nihil. Non purum nihil: quia non eſt aliqua carentia, licet connotet illam. Ergo eſt aliquid, quod non eſt purum nihil. Ergo aliquod ens. Ergo iam datur aliquod ens, quod, vt ens, non determinatur à prima cauſa, neque ab ea immediate dependet.

Digitized by Google

38 Dices illud prædicatum, prout eſt id, ad quod non terminatur cauſalitas diuina, eſſe aliquid præſcindens a poſitiuo & negatiuo, ab ente, & puro nihilo. Sed contra: quia illud prædicatum, adhuc prout eſt id, ad quod non terminatur cauſalitas diuina, & eſt determinatum à creatura, exigit identificari realiter cũ entitate poſitiua, & excludit ſuum defectum, qui defectus eſt purum nihil. Sed exigere identitatem cum ente poſitiuo, & excludere formaliter ſuum defectum, qui defectus ſit formaliter carentia, eſt eſſe ens poſituum. Ergo illud prædicatum, prout eſt id, ad quod non terminatur cauſalitas diuina, eſt aliquid verum ens poſitiuum.

39 Contra quarto. Deus per te determinat odium liberum, quod verſatur circa Deum, prout eſt odium liberum erga Deum. Ergo prout eſt fundamentum malitiæ. Probo conſequentiam. Eatenus formaliſsime odium Dei liberum eſt fundamentum malitiæ, quatenus eſt odium Dei liberum, & cum aduertentia factum. Sed Deus per te determinat odium Dei libere, & cum aduertentia factum, ſecundum quod eſt odium Dei libere, & aduertenter elicitum. Ergo Deus determinat odium Dei prout eſt fundamentum malitiæ. Conſequentia eſt legitima, & minor certa ſiquidẽ Deus determinat ad odium contra ipſum, ſecundum quod eſt actus liber: ſiquidem determinat illud ſecundum quod dirigitur, & regulatur, iudicio indifferente.

40 Probo iam maiorem: nempe eatenus odium eſſe fundamentum malitiæ, quatenus eſt actus liber. Fundamentum, cui innititur bonitas, & malitia moralis actuum, eſt tendentia libera in ſuum obiectum ſub his, vel illis circunſtantijs. Ergo eatenus odiũ Dei eſt fundamentum malitiæ, quatenus eſt actus liber. Antecedens eſt certum; nam malitia, & bonitas actus nequit ex alio deſumi, quam ex obiecto, quod reſpicit actus, ex aduertentia, & libertate, qua fit, & ex circunſtantijs, tam, quæ ſe tenent ex parte actus, quam, quæ ſe tenent ex parte obiecti. Ergo fundamentum, cui innititur bonitas, aut malitia moralis actus, eſt tendentia libera in ſuũ obiectum ſub his, vel illis circunſtantijs.

41 Confirmatur. Tranſgreſsio libera legis, vt præciſſe tranſgreſsio libera legis eſt, eſt fundamentum malitiæ: ita vt in eſſe fundamenti malitiæ per tranſgreſsionem, vt talem conſtituatur. Sed Deus, iuxta Thomiſtas, prædeterminat tranſgreſsionem legis, vt tranſgreſsio legis eſt. Ergo, & vt eſt fundamentum malitiæ. Conſequentia eſt bona, & Maior certa. Minor probatur: Deus determi-

terminat, quòd homo cognoſcens, & aduertens phyſicè, & realiter ſibi eſſe prohibitum mendacium, velit, & proferat mendacium: ſiquidem Deus determinat omnem actionem phyſicè exiſtere ſub ea ratione, & circunſtantijs realibus, ſub quibus realiter, & phyſicè exiſtit. Sed tranſgredi legem prohibentem, formaliſsimè eſt ponere extremum prohibitum cum plena libertate, & aduertentia prohibitionis. Ergo Deus iuxta doctrinam Thomiſtarum, prædeterminat traſgreſsionem legis, vt tranſgreſio, & violatio legis eſt.

42 Si autem Thomiſtæ dicant (vt videtur docere curſus Theologicus carmelitanus, ſi attente legatur) hanc diſtinctionem materialis peccati materialiter accepti, & materialis peccati formaliter accepti, non eſſe diſtinctionem realem, neque ex parte prædicatorum in eſſe obiectorum; ſed totam ſe tenere ex parte modi tendendi, ita vt diuinum decretum etiam decernat ex parte obiecti rationem fundandi malitiam peccati, licet non moueatur ex tali ratione: contra facilè, & efficaciter arguitur: nam ex hac doctrina plane fieret Deum eſſe authorem materialis peccati, ſecundum quod eſt ratio fundandi malitiam: nam licet Deus formaliter, & ex parte modi tendendi, non decernat rationem fundandi ſub expreſsione talis, vel ſe mouendo ex eo, quod ſit talis; nihilominus vere, & aparte rei ex parte obiecti decernit rationem fundandi malitiam, & phyſice prædeterminat ad tale prædicatum. Ergo vere, & realiter Deus eſſet author malerialis peccati, ſecundum quod materiale peccati eſt ratio fundandi malitiam.

43 Confirmatur. Homo non eſt author peccati, quia velit actionem prauam formaliter ſub expreſsione fundandi malitiam; hoc enim, vel nunquam, vel rariſsime euenit, ſed quia volendo actionem prauam ſub expreſsione delectabilis: vel ſub alia ratione, vere & realiter determinat omnino libere rationem fundandi malitiam. Sed iuxta hunc dicendi modum, licet Deus non prædeterminet ad rationem fundandi malitiam ſub expreſsione fundandi malitiam, & mouendo ſe ex eo, quod fundet malitiam; nihilominus reuera, & aparte rei determinat ad rationem fundandi malitiam. Ergo reuera, & aparte rei, eſt author peccati æquo iure, ac homo peccati author dicitur eſſe.

44 Neque Deus, iuxta Caluinum, vult actionem prohibitam propterea quod fundet malitiam; ſed propter oſtenſionem ſuæ iuſtitiæ, aut propter alia motiua ergo aliunde petendum eſt diſcrimen inter doctrinam, quam impugnamus, & Caluini doctrinam, quam damnat Eccleſia. Hoc vltimum antecedens conſtat ex

verbis

verbis ipſius Caluini adductis à Bellarmino vbi ſupra. *Magna* (verba Caluini ſunt) *eſt differẽtia inter opus Dei, & opus impij cũ Deus eo vice inſtrumenti vtitur: impius enim ſuæ auaritia, aut ambitione inuitatur ad ſacinus ſuum, neque alium finem ſpectat: ideo ex radice illa, id eſt ex fine, quem ſpectat opus, qualitatẽ ſumit, & merito malum iudicatur. Sed Deus reſpectum omnino contrarium habet, ſcilicet, vt iuſtitiam ſuam exerceat.* Neſcio quid clarius.

SECT. IV.

Alijs argumentis probatur idem intentum.

45 ARgumẽtor 2. Quãdo Deus aliquid ſeueriſsimè prohibet, non poteſt efficaciter, & antecedenter velle, quod fiat in ſenſu compoſito prohibitionis. Sed Deus ſeueriſsime prohibet materiale peccati v.g. periurium. Ergo Deus nequit velle, quod committatur periurium in ſenſu compoſito prohibitionis. Minorem probo, poſtea maiorem probaturus. Cum Deus nobis prohibet periurium, non nobis prohibet directe malitiam formalem reſultantem neceſſario, & non libere ex periurio libere poſito; ſed ipſum periurium, quod eſt immediatum exercitium noſtræ libertatis: aliter nec violaremus præceptum diuinum, quatenus ponentes periurium, cum nobis prohibitum non eſſet, nec in reſultantia malitiæ daretur violatio præcepti, cum reſultantia eſſet ex actione nobis non prohibita. Ergo nõ violaremus diuinum præceptum. Præter quam quod, vt ex ipſis terminis conſtat, ex eo reſultat malitia ex actione nobis prohibita, ſemel ſtatuta aliqua diſtinctione inter phyſicum, & formale peccati, quia actio opponitur prohibitioni. Sed opponi actionem prohibitioni, eſt actionem eſſe prohibitam. Ergo actio eſt, quæ formaliter prohibetur.

46 Iam maior illa, videlicet Deum non poſſe antecedenter efficaciter velle quod id, quod ſeuere prohibet, ametur, & fiat in ſenſu compoſito prohibitionis, videtur adeo clarum, vt probatione non indigeat: eius tamen veritatem ſic explico. Prohibere Deum ſerio, & ſeuere, quod aliquid fiat, eſt illud obiectum conſtituere dignũ, quod nõ eligatur: imo indignum, quod ſerio ametur, & procuretur. Sed Deus nequit velle efficaciter, quod ametur, & ponatur obiectum in ſenſu compoſito indignitatis, vt ametur, & ponatur. Ergo Deus non poteſt efficaciter velle, quod id, quod ſeuere prohibet, ametur, & fiat, in ſenſu compoſito prohibitionis.

Maior eſt certa, & conſequentia legitima. Minor probatur. Nequit Deus velle quod detur amor irrationalis, & indecens, ſub ratione irrationalis, & indecentis. Sed velle quod obiectum ametur, & ponatur in ſenſu cum poſito indignitatis, vt ametur, & ponatur, eſt velle, quod detur amor, & poſitio irrationalis, & indecens, ſub ratione talis. Ergo Deus nequit efficaciter velle quod ametur, & ponatur, obiectum in ſenſu compoſito indignitatis, vt ametur, & ponatur.

47 Confirmatur, velle Deum materiale peccati in ſenſu compoſito ſui præcepti eſt velle formaliter formalem violationem ſui præcepti. Sed nequit aliquis decenter velle efficaciter quod ſua lex formaliter violetur, & contemnatur. Ergo nequit Deus velle materiale peccati in ſenſu compoſito ſui præcepti. Conſequentia eſt bona, & minor videtur toto rationis lumine clara. Quis enim Princeps ſalua ſua maieſtate, & dignitate, poteſt efficaciter velle, quod ſuæ leges, ſuaque præcepta contemnantur? Maior autem etiam eſt certa: quia violare legem, formaliſsime acceptum, nihil aliud eſt; quam materiale peccati materialiſsime acceptum. Ergo velle Deum materiale peccati in ſenſu compoſito prohibitionis, eſt velle formaliter formalem violationem ſui præcepti.

48 Confirmatur ſecundo. Si doctrina aduerſariorum vera eſſet, non peccaret Ioannes, cui per reuelationem conſtaret peccatum Petri futurum, quod peccatum eſſet odium Dei, deſiderando, & optando Petrum v.g. elicere actum odij contra diuinum præceptum, nihil aliud volendo, niſi elicientiam phyſicam liberam actus odij. Vel ſaltem hic amor non eſſet ita eſſentialiter malus, vt non poſſet eſſe licitus in alio caſu ob conformando ſe cum diuina voluntate. At nemo poſſet deſiderare, quod alter libere, & cum aduertentia præcepti, eliceat odium Dei. Ergo doctrina aduerſariorum non eſt vera. Conſequentia eſt bona, & minor certa: nemo enim catholicus dicet me poſſe abſque peccato deſiderare, & optare, quod creatura libere, & aduertenter ad offenſam diuinam, odio habeat ſuum creatorem, & Deum. Probo igitur maiorem. Odium Dei libere, & cũ aduertentia factũ, eſt obiectũ dignũ, quod ametur amore tendente in illud ſub his rationibus, dummodo nõ tendat amor in tale obiectum ſub ratione mali. Sed creatura poteſt licite amare obiectum ea ratione qua bonum, & amabile eſt. Ergo Ioannes poteſt licite deſiderare Petrũ elicere odium Dei libere, & aduertenter, dummodo non deſideret Ioannes hoc odium in Petro ſub ratione mali, aut ſub ratione formali fundandi malitiam.

49 Huius ſyllogiſmi conſequentia bona eſt, & minor vera, ſiquidem nemo poteſt peccare, aut operari illicite, in amore erga aliquod obiectum, amando illud obiectum ea ratione, qua licite, & decẽter amabile eſt. Maior ergo probatur. Quidquid Deus amat amabile decenter eſt ea ipſa ratione, qua à Deo amatur. Sed odium Dei elicitum, vel elicibile à Petro, amabile eſt à Deo, ſecundum quod eſt odium cum libertate, & aduertentia ad diuinam prohibitionẽ. Ergo odium Dei libere, & cum aduertentia factum, eſt obiectum dignum, quod ametur amore tendente in illud ſub his rationibus, dummodo non tendat in illud ſub ratione mali, aut fundantis malitiam.

50 Vrgetur hoc paulo aliter. Laudabile eſt, vel ſaltem licitum, velle id, quod Deus vult nos velle. Sed ſi Deus abſoluto, & efficaci decreto, prædefiniat materiale peccati, vult nos velle entitatem actus mali. Ergo licitum erit, & laudabile eam velle.

51 Huic argumento reſpondet Gonetus cum ſuis, laudabile eſſe velle id, quod Deus vult voluntate ſigni, conſilij, præcepti, vel legis permiſsiuæ: non autem neceſſario eſſe licitum, & laudabile, velle quod Deus vult voluntate generali primæ cauſæ: nam hac voluntate generali Deus plura vult, quæ non eſt laudabile, nec licitum velle v.g. bella, peſtes, incendia &c.. Id igitur, quod Deus vult, de quo nobis conſtat per præceptum, aut conſilium, poſſumus laudabiliter velle. At vero (inquiunt hi authores) quod Deus vult, & Deum velle non conſtat nobis per præceptum, aut conſiliũ; licet aliter nobis innoteſcat, poteſt ſæpe ſæpius eſſe nobis illicitum velle: puta quod eſt malum proximi, aut ſibi peccatum habet annexum.

52 Hæc ſolutio mihi maximopere diſplicet: tum quia ex terminis videtur irrationale offendi Deum eo, quod ego velim id ipſum, quod ſcio Deum velle: præſertim, ſi non ſolum ſciam Deũ illud obiectum velle, verum etiam Deum velle, quod ego velim. Quis enim iudex, vel Dominus, iure iraſcitur ſubdito, quia ſubditus exequitur quod cognoſcit Dominum ſuum velle quod ipſe exequatur? Tum etiam quia hæc ſolutio opponitur aperte regulis Chriſtianæ perfectionis traditis à Sanctis Patribus, & eximiæ religionis viris, qui omnes vno ore fatentur maximam perfectionẽ eſſe ſummam cum Dei voluntate conformitatem. Qua obrem erit maxima perfectio gaudere de adimpletione diuinæ voluntatis, etiam in ſuprema chariſsimorum pignorum amiſsione: poteſt enim pater gaudere de morte dilectiſsimi filij, non quia malum phy-

phyſicum filij eſt: in hoc enim peccaret; ſed quia voluntas Dei eſt, vt propera morte rapiatur: idem dicito de bellis, peſtibus, & alijs cladibus à Dei voluntate poſsitiua, & beneplaciti prouenietibus: ſemper enim mihi licitum eſt conformari cum diuino beneplacito omnino antecedenti: dummodo conformitas ſit tam in obiecto, ſeu volito materiali, quam in obiecto, & volito formali; ita vt ſi Deus velit mortem alicuius, vt melius hac ratione vniuerſo prouideat, & hoc mihi certo conſtet, poſsim gaudere de morte illius, vt Deus maiori perfectione prouideat vniuerſo. Videatur P. Vazquez in 1.2.quæſt. 2.

53 Argumentor tertio. Si Deus præmoueret moraliter hominem ad materiale peccati præcipiendo, ſuadendo, vel cõſulendo actum, à quo malitia eſt in ſeparabilis, vere diceretur illum tentare, & ſeducere, eſſetque cauſa peccati hominis. Ergo potiori iure dicetur Deus author peccati, ſi hominem phyſice ad peccatum præmoueat. Cõſequentia videtur bona: quia eatenus præceptum, & ſuaſio cauſant peccatum, quatenus mouẽt ad opus peccaminoſum; ſed fortius, & validius, mouet phyſica præmotio. Ergo potiore iure dicetur Deus author peccati phyſice præmouendo, quam præcipiendo, aut conſulendo.

54 Reſpondent adverſarij reddendo ex duplici capite diſparitatem inter ſuaſionem, & prædeterminationem. Primo ex parte modi tendendi ſuaſionis, & prædeterminationis. Secũdo ex parte ipſius Dei, ſiue munerum, quæ Deus obit in ſuadendo, & prædeterminando. Ex parte modi tendendi ſuaſionis, & phyſicæ præmotionis, dicunt eſſe valde diſparem rationem, nam phyſica præmotio, ſiue abſoluta, & efficax prædefinitio, cum ſiſtat præciſſe intra ordinem phyſicum, eſt præciſsiua inter bonitatem phyſicam, & malitiam moralem, ſiue inter rationem entis phyſici, & prædicatũ fundandi malitiam moralem. Motio autem moralis, quæ fit per cõſilium, aut ſuaſionem, cum ſe extendat ad ordinem moralem, attendit potiſsimum ea, quæ ſunt illius ordinis, & præcipue ad conformitatem, vel difformitatem à lege.

55 Deinde ex alio capite reddunt etiam diſparitatem: videlicet: quia Deus eatenus præmouet, quatenus habet rationem primæ, & generalis cauſæ, cui ex ſua munere incumbit cauſis particularibus, & ſecundis, media ad operandum neceſſaria prouidere. At vero Deus non ſuadet, vt cauſa generalis; ſed vt cauſa particularis: quia munus ſuadendi, & conſulendi, non competit Deo, niſi, vt prouiſſori ſpeciali, qui non ſolum ſubminiſtrat media neceſſa-

ria; verum etiam vtilia ad operandum. Ex quo infertur, quod ſi Deus hominem hac ſecunda ratione moueret ad materiale peccati, hominem ſeduceret, eſſetque Deus peccati author. non vero dum primo dumtaxat modo ad materiale peccati mouet, quia in hac phyſica præmotione cauſæ primæ ſatisfacit muneri.

56 Hæc ſolutio, quoad vnam, & alteram pertem, pura verba continet. Aſſeritur in prima ſolutionis parte conſilium, quia pertinet ad ordinem moralem, attendere ad ea, quæ ſunt illius ordinis, nempe bonitatem, & malitiam; ad ea vero non attendere phyſicam præmotionem, quia ſpectat ad ordinem phyſicum.

57 Sed contra. Quando dicitur conſilium attendere ad ordinem moralem, vel id dicitur, quia conſilium reſpicit ex parte obiecti ordinem moralem, & conſequenter bonitatem, & malitiã, vel quia, quod cauſat phyſice phyſica cauſa, cauſat moraliter, & in æſtimatione prudentum, ſuaſio, & conſilium: nec alium reperies ſenſum, in quo conſilium pertineat ad ordinem moralem. Si dicatur primum ergo eo conſilium, & ſuaſio eſſent cauſa peccati, quia conſilium, & ſuaſio forent de ipſa bonitate, & malitia. Ergo conſilium, quod ſolum foret de materiali peccati, ita vt non eſſet de ipſa malitia, ſed ab ea in conſulendo præſcinderet (de quo conſilio loquitur argumentum) neque eſſet cauſa peccati, neque ad ordinem moralem pertineret. Patet conſequentia: quia eatenus conſilium pertinet per ſe ad ordinem moralem, quatenus reſpicit pro obiecto conſilij ipſam moralitatem, nempe malitiam, aut bonitatem. Ergo conſilium, quod hanc moralitatem non reſpiceret, ad ordinem moralem non ſpectaret.

58 Sed dices implicari in ſuppoſitione: quia conſilium nequit non reſpicere bonitatem, aut malitiam moralem, quia nequit ad ordinem moralem non ſpectare. Sed manifeſte petis principium. Equidem ex eo dicis conſilium pertinere ad ordinem moralem, quia reſpicit pro obiecto malitiam, aut bonitatem: & deinde ex eo affirmas reſpicere bonitatem, aut malitiam, quia pertinet ad ordinem moralem, ergo petis principium, & rationem concluſionis non reddis.

59 Deinde ſicuti ſaluatur tendentia affectiua in Deo reſpiciens modo abſoluto decretiuo, & reſolutorio, vt ita loquar, materiale peccati, præſcindendo à formali: cur non poterit intelligi tendentia affectiua per modum ſuaſionis eadem ratione præciſiua. Vel ſi ſuaſio, præſcindere non valet propter inuiolabilem connexionem materialis cum formali: cur phyſica præmotio poterit

terit præſcindere? Præſertim cum minùs præciſiuus ſit influxus phyſicus & realis, quam tendentia intentionalis ſuaſiua. Ergo nulli fundamento; ſed ſolùm liberæ voluntati reſpondentis innititur prædicta ſolutio hac ratione explicata.

60 Deinde, ſi moralitas ſuaſionis ſecundo modo explicetur, prout ſi ſincere, & ingenue ſentiendum, & loquendum ſit, debet explicari. Ergo eatenus ſuaſio ſpectat ad ordinem moralem, quatenus ipſi in æſtimatione prudentum, & per æquiualentiã, tribuitur, quod cauſa phyſicæ realiter, & formaliter tribuitur. Ergo ſuaſio, & conſilium, ne moraliter quidem tribui debet malitia moralis. Probo conſequentia. Id, & non aliud, cauſat moraliter ſuaſio materialis peccati, quod cauſat phyſicê cauſa phyſica materialis peccati. Sed cauſa phyſica, qua cauſat phyſicè ſolum materiale peccati, ſolum eſt cauſa phyſica materialis peccati, quin ſit cauſa phyſica, & realis, formalis peccati. Ergo ſuaſio, qua ſolum eſt ſuaſio materialis peccati, ſolum cauſat moraliter & in æſtimatione prudentum, materiale peccati; nulla vero ratione formale peccati.

61 Secunda diſparitas, quæ deſumitur ex eo, quod Deus in prædeterminando operetur, vt cauſa vniuerſalis; in ſuadendo vero, vt cauſa, & prouiſor particularis, impertinẽs eſt omnino ad præſentem difficultatem; nam ſuaſio, qua non phyſice, ſed ſolum per allicientiam inclinat, non porrigit ſuam vim cauſatiuam ex eo quod ſit à prouiſore particulari, potius, quam à generali, vltra id quod moraliter, & in prudentem æſtimatione cauſat. Sed moraliter, per æquiualentiam & in prudentum æſtimatione, ſolum cauſat ſuaſio, quod cauſa phyſica cauſat phyſice ex eo præciſe, quod cauſa phyſica ſit & ex alio capite cauſa phyſica materialis peccati non ex eo præciſe cauſat phyſicæ formale. Ergo ſuaſio ad materiale ex eo, quod ſit ſuaſio à cauſa, & prouiſore particulari proueniens, non porrigit ſuam vim cauſatiuam ad formale peccati.

62 Vrgetur vlterius aliter difficultas cum quodam recentiore apud Conetum de volunt. diſp. 8. art. 4. §. 10. poſt medium. Deus prædeterminat ſuaſiones, quibus dæmon mouet nos moraliter ad peccandum. Ergo non ſolum phyſicè; ſed etiam moraliter prædeterminat ad actus malos, ſiquidem prædeterminat ad actum ſuaſionis vt ſuaſio eſt, & ſub qua ratione allicit.

63 Reſpondet Conetus diſtinguendo antecedens: prædeterminat ſuaſiones, quibus dæmon mouet nos moraliter ad peccãdũ

quatenus tales ſuaſiones ſunt actus quidam phyſici, & vitales, concedo antecedens: quatenus ſunt malæ moraliter, & ad peccatum inducentes, nego antecedens, & conſequentia.

64 Sed contra. Deus prædeterminat has dæmonis ſuaſiones prout inducentes ad peccatum. Sed, vt videtur colligi ex ſolutione, idem eſt prædeterminare ſuaſionem dæmonis, vt inducentem ad peccatum, ac prædeterminare ſuaſionem dæmonis, vt malam moraliter. Ergo Deus prædeterminat ſuaſionem dæmonis, vt malã moraliter. Probo maiorem, in qua eſt difficultas. Suaſio dæmonis ex ſua tendentia phyſica habet inducere ad peccatum, ſaltem aliquæ ſuaſiones id habent. Sed Deus prædeterminat ſuaſionem dæmonis ſecundum tendentiam phyſicam, ſecundumque vltimam differentiam illius in eſſe tendentiæ phyſicæ. Ergo Deus prædeterminat ſuaſionem dæmonis, prout inducentem ad peccatum. Conſequentia eſt bona, & minor doctrina aduerſariorum. Maior probatur. Inducere ſuaſionem ad peccatum eſt ſuadere peccatum, & exhortare ad peccatum. Sed ſuaſio dæmonis tendens phyſice, & realiter ſub hac expræſione. *committe peccatum: occide inimicum, licet peccaminoſa ſit talis occiſio, imo vt pecces: eſto malus*: quæ quidem ſuaſiones poſſunt fieri a dæmone, ex ſua tendentia phyſica habent ſuadere, & exhortari ad peccatum. Ergo aliquæ ſuaſiones dæmonis ex ſua tendentia phyſica habent inducere ad peccatum.

65 Nec negari poteſt poſsibilitas ſuaſiones dæmonis ad formale peccati: nam plures, licet non habeant pro obiecto formali malitiam peccati; habent tamen pro obiecto materiali volito eam malitiam: imo quoties cumque homo peccat per actum tendentem hac ratione. *Volo furari, licet video furari peccatum eſſe*, habet pro obiecto volito materiali peccatum ſub ratione peccati. Si ergo homines poſſunt, & de facto habent, affectus tendentes formaliter in malitiam peccati, cur dæmon id non poterit ſuadere? Præterea, ſicut admittitur poſsibile odium Dei, ita admitti debet affectus, adeo prauus, vt in contemptum, & odium Dei amplectatur ipſam malitiam formalem peccati: ergo dæmon id ipſum ſuadere poteſt.

SECT. V.

Argumenta aduerſariorum proponuntur, & diſſoluuntur.

66 OBI. 1. Deus ab æterno prædefinit (iuxta Scripturam, & Sanctos PP.) omnes actiones, & paſsiones Chriſti Domini.

Ergo

Ergo prædefiniuit eius crucifixionem. Sed crucifixio Chriſti D. erat actio intrinſecè mala, vtpote occiſio iniuſta Chriſti D. Ergo actio intrinſecè mala poteſt à Deo prædefiniri: non quatenus mala; ſed quatenus habet talem phyſicam entitatem.

67 Reſpondeo in crucifixione Chriſti D. diſtinguendam eſſe actionem externam crucifigendi à voluntate, à qua procedit crucifixio. Concedo voluntatem, qua crucifixio peracta fuit, fuiſſe voluntatem intrinſecè malã; nego tamen ipſam crucifixionẽ, prout à voluntate crucifigentium diſtinctam, intrinſecè malam fuiſſe: nã poterat Deus eam ipſam crucifixionem præcipere, ſicut vere iuſsit Abrahamo immolationem filij ſui: imò nulla actio purè externa, prout diſtincta a voluntate, à qua imperatur; & prouenit, eſt intrinſecè bona, aut mala.

68 Ex hoc infero poſſe dici Deum prædefiniuiſſe, tum ipſam actionem externã crucifixionis, praſcindendo à voluntate, à qua proceſſura fuerit crucifixio: tum etiam prædefiniuiſſe Deum actum conformitatis voluntatis Chriſti D. qua ſuſtinuit crucifigi. Imó in mea, & plurium ſententia: quæ tenet poſſe Deum prædefinire actum bonum ſupponentem peccatum aliquod, vt puta pœnitentiam, & redemptionem: iuxta hanc in quam ſententiam, potuit Deus prædefinire actum volũtatis Chriſti D. qua acceptauit mortem, etiam vt inflictam à Iudæis per peccatum omnium, ſi velis, maximum, quin ex inde inferatur ipſam voluntatem malam Iudæorũ fuiſſe à Deo prædefinitam, ſicuti ex prædefinitione pœnitentiæ non infertur prædefinitio materialis peccati, de quo eſt pœnitentia. Hic ſuppoſitis.

69 Ad argumentum propoſitum, conceſſa maiori, diſtinguo minorem. Crucifixio Chriſti D. ſumpta pro actione externa crucifigendi, vel pro actu voluntatis Chriſti Domini tolerantis, & acceptantis crucifixionem, & mortem, fuit intrinſecè mala, nego: accepta pro voluntate praua Iudæorum imperante crucifixionẽ Chriſti Domini, concedo minorem, & nego conſequentiam.

70 Sed inſtabis 1. Iuxta nos poteſt Deus prædefinire actum bonum Chriſti Domini connexum cum peccato Iudæorum v. g. acceptationem mortis, vt inflictæ per voluntatem prauam, nec non voluntatem, qua orauit Patrem, vt eorum peccatum dimitteret. Tunc ſic. Non minus connectuntur hi actus Chriſti Domini cũ malitia aliqua formali Iudæorum, quam materiale peccati connectitur cum formali peccati. Sed, non obſtante ea connexione, poteſt Deus prædefinire voluntates Chriſti Domini. Ergo, ſimili

connexione non obſtante, poterit Deus prædefinire materiale peccati.

71 In primis plures ex Thomiſtis non ſolum connexionem; verum, & realem identitatem ponunt inter formale peccati, & illud extremum, quod Deus ſua prædefinitione, & prædeterminatione attingit. Nam aliqui formale peccati commiſsionis conſtituunt in tendentia actus humani ad obiectum vt regulis morum difforme: vt Gonetus tract. de peccatis diſp. 3. artic. 1. §. 2. ad finem. Tendentia autem actus humani cum entitate phyſica actus humani identificatur. Deinde omnes, qui malitiam formalem in poſitiuo dicunt conſiſtere, cum ex alia parte doceant Deum concurrere ad omne poſitiuum ſecundum entitatem phyſicam, pariter tenentur concedere malitiam peccati duo prædicata inter ſe realiter identificata inuoluere: nempè, & prædicatum phyſicæ entitatis, & prædicatum, per quod ad eſſe malitiæ determinatur. Denique cum etiam Thomiſtæ plures defendãt, vt ſupra vidimus, Deum non prædeterminare ad materiale peccati ſecundum rationem fundandi malitiam, & ratio fundandi malitiam non diſtinguatur realiter ab actu peccaminoſo vt libero materialiter accepto, hinc fit apud Thomiſtas dari identitatem realem inter aliquas rationes, quarum vna prædeterminatur à Deo, alia nullo modo à Deo prædeterminata.

72 Præterea, omiſſo hoc, dico non ex eo præciſsè nos reijcere prædeterminationem ad materiale peccati, quia materiale connectitur metaphyſicè cum formali; ſed quia ita connectitur, vt materiale ſit omnino antecedens ad formale, ita vt formale prout diſtinctum à materiali nulla prorſus ratione ſubſequatur. At vero pœnitentia, & actus Chriſti Domini ſubſequuntur ad peccata, quibus cum connexionem habent.

73 Secundo: quia materiale peccati ita connectitur cū formali, vt poſito materiali, abſque exercitio diſtincto alicuius libertatis exiſtat formale: at vero cum exiſtit pœnitentia, non exiſtit peccatum per ipſam libertatem, per quam exiſtit pœnitentia; ſed per aliam omnino diſtinctam.

74 Tertio: quia materiale peccati eſt fundamentum, & titulus exiſtendi malitiam: nam eo datur malitia in odio Dei v.g. quia odium Dei liberum, & contra regulas morum exiſtit. At vero pœnitentia, & actus Chriſti, non ſunt fundamentum, aut titulus, cui tribui debet exiſtentia malitiæ peccatorum, quæ ſupponunt. Ecce quot diſcrimina inter prædefinitionem ad materiale

pec-

peccati, & prædefinitionem ad pœnitentiam, & actus voluntatis Chriſti Domini interveniant.

75 Hinc ad inſtantiam in forma: conceſſa prædefinitione ad pœnitentiam, & ad actum Chriſti Domini, per quem mortem, à praua Iudæorum voluntate irrogatam, acceptauit. Diſtinguo maiorem ſequentis ſyllogiſmi. Non minus connectuntur aliqui actus Chriſti Domini cum malitia aliqua formali Iudæorum, quam materiale peccati cum formali peccati: non minus, & eodem modo, nego: non minus; ſed diuerſo modo, concedo maiorem. Deinde conceſſa minori: nego conſequentiam propter tot diſcrimina ſuperius aſsignata. Vbi aduerte: quod ſi in conſequenti per illum terminum *ſimili connexione non obſtante*, intelligatur ſimilitudo non ſolum quoad rationem connexionis metaphyſicæ vt ſic; verum etiam quo admodum connexionis; negandum eſt ſuppoſitũ conſequentis: quia connexio materialis cum formali peccati diuerſiſsima eſt quoad modum à connexione actuum Chriſti Domini cum malitia peccatorum, quæ ſupponit, vt patet ex multiplici diſcrimine numero præcedenti explicato.

76 Inſtabis ſecundo. Crucifixio Chriſti Domini materialis de facto fuit actio peccaminoſa, licet non à ſe ipſa; ſed à voluntate crucifigentium. Deinde Deus præuidit non aliter de facto extituram, niſi à voluntate praua: quia Deus præuidit, quod, ſi decreuiſſet eam crucifixionem materialem, permiſſurus eſſet peccatum crucifigentium, à quo de facto proceſsit ea crucifixio. Ergo Deus prædefiniuit actionem non aliter extituram, quam infectam malitia. Ergo Deus prædefiniuit actionem crucifixionis ſub circunſtantijs, quibus impoſsibile erat exiſtere ſine peccato. Probatur hæc conſequentia. Nequit crucifixio exiſtere ſub circunſtantia præuiſsionis permiſsionis peccati ſub conditione decreti crucifixionis; quin exiſtat peccatum crucifigentium. Sed Deus decreuit crucifixionem ſub circunſtantia illius præuiſsionis conditionatæ. Ergo Deus decreuit crucifixionem ſub circunſtantijs, quibus impoſsibile erat exiſtere ſine peccato. Cur ergo non potecit materiale peccati prædefinire?

77 Reſpondeo recte poſſe Deum velle id, quod ſpecificatiuè duntaxat eſt malum, per malitiam realiter diſtinctam, & iam aliunde ſuppoſitam. Cum igitur crucifixio materialis ſit actio mala ſpecificatiuè à malitia diſtincta realiter à crucifixione, nimirum à malitia prauæ voluntatis crucifigentium, quæ malitia ſupponitur antecedenter ad crucifixionem materialem,

quando praua voluntas crucifigendi ſupponitur ad actionem externam, quam imperat: ideo optimè, & abſque vlla morali indecentia, poteſt Deus velle actionem externam crucifigendi Christum Dominum: quia indecens non eſt velle obiectum ſpecificatiuè malum per malitiam diſtinctam, & aliunde ſuppoſitam.

78 Præterea omitto (nam illud nego tract. de Scientia Media) Deum propriori ad aliquod decretum, v.g. decretum A. habere Scientiam Mediam de eo, quod decernet ſub conditione exiſtentiæ decreti A. Conſequenterque Deum prædefinire crucifixionem, vt exiſtentem ſub circunſtantijs, in quibus nequeat exiſtere diuiſim à malitia formali crucifigentium: quatenus crucifixio, vt exiſtens in illis circunſtantijs, connectitur cum malitia prauæ voluntatis eorum hominum. Verum connexio cum malitia peccati non eſt connexio omnino antecedens: ſiquidem crucifixio ſupponit voluntatem tortorum: & præuiſsio conditionata de eo, quod Deus permittet peccatum crucifigentium, ſi decernat crucifixionem, ſupponit etiam inefficaciam auxilij præuiſſam, & totum hoc eſt conſequens ad malitiam formalem Iudæorum. At vero cōnexio materialis peccati cum formali eſt omnino antecedēs: ideo redditur ſufficiens diſparitas inter vnum, & alterum caſum.

79 Explicatur amplius. Obiectum huius diuini decreti: *Decerno exiſtere crucifixionē ſimul cū ſcietia, quā habeo de eo, quod ſi exiſtat decretum crucifixionis, exiſtet mea permiſsio de peccato crucifixionis*; eſt ipſa crucifixio materialis pro caſu illius Scientiæ Mediæ. Iam vero hæc Scientia Media *Si decreuero crucifixionem, conferam Iudæis auxilium, cum quo video eos peccaturos peccato occiſsionis Chriſti, ſi illis conferatur* ſupponit futuritionem conditionatam peccati Iudeorum ſub conditione talis auxilij, ſiuê talis libertatis. Hinc fit obiectum illius decreti connecti quidem cū peccato Iudæorum; ſed connexione conſequente, modo, quo in noſtris principijs Scientia Media, & purificatio conditionis, connectuntur cum conſenſu abſoluto.

80 Hinc ad inſtantiā in forma, cōceſſo toto primo antecedente, & prima cōſequentia, diſtinguo ſecundā. Ergo Deus prædefiniuit crucifixionē in circunſtātijs, in quibus impoſsibile erat exiſtere ſine peccato, impoſsibilitate cōſequenti peccatū, cōcedo: impoſsibilite omnino antecedente peccatū, nego cōſequentiā. Iuxta quā diſtinctionē reſpondendū eſt probationi vltimæ cōſequentiæ. Ex quibus patet cur, hac prædefinitione admiſſa, nō admittamus

prædefinitionem ad materiale peccati: nimirum quia materiale peccati connectitur cũ formali connexione omnino antecedente; at vero crucifixio, vt coniuncta cum Scientia Media de permiſsione peccati Iudæorum, non connexione antecedenti, ſed conſequenti cum Iudæorum peccato connexa eſt.

81 Deinde ex alijs duobus capitibus ſupra explicatis poteſt etiam reddi diſparitas: nimirum, tum quia materiale connectitur cum formali peccati, vt cum aliquo non habente aliam libertatẽ, quã libertatem materialis prædefiniti. At crucifixio, prout præ definitur, contra ſe habet: quia non habet in ſe libertatem humanam, ſed tantum habet libertatem humanã in actu voluntatis, quẽ Deus non prædefinit. Tum etiam quia materiale peccati eſt totum fundamentum, & titulus malitiæ, & cui vt radici malitia tribuitur. At crucifixio, etiam vt coniuncta cum ſcientia illa conditionata, neque fundamentum, neque titulus, neque radix malitiæ eſt.

82 Minorem continent difficultatem alia duo argumenta, quæ aduerſus noſtram ſententiam proponuntur. Primum ſumitur ex illis verbis Ioan. 11. quæ Caiphas protulit in Pontificum, & Sacerdotum concilio. *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*. Ex quo loco hac ratione cõficiunt aduerſarij argumentum: Quando Caiphas illa verba pronunciabat peccabat peccato grauiſsimo: perſuadebat enim, Iudæis, vt Chriſtum interficerent: & tamen ad hoc dicendum, mouebatur à Spiritu Sancto, quia tunc prophetabat, vt ait ſacer textus: mens autem prophetæ mouetur à Spiritu Sancto, ſicut inſtrumentũ ab artifice, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 173. art. 4. & ipſum euangelium diſerte aſſerit. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit*. &c. Ergo ſecundum Scripturam diuinæ ſanctitati non repugnat mouere, & applicare mentem hominis ad actus intrinſece malos, non qua mali ſunt; ſed vt actus, & entia ſunt.

83 Hæc verba *Hoc autem à ſemetipſo non dixit* dupliciter exponuntur à Patribus. Aliqui volunt hæc verba dixiſſe Caipham, non ſponte, aut ſcientem quid loqueretur, vt Teodorus Heracleotes. Mopſueſtenus, Cirillus, & Leontius apud Maldonatũ ad hunc locu. Quibus adde Chriſoſtomum in catæ D. Thomæ vbi hæc habet. *vide quanta eſt pontificalis virtus poteſtatis: Pontifex enim effectus, & ſi indignus exiſtens, tamen prophetauit neſciens quid diceret ore enim ſolum* (attende) *vſa eſt gratia, contaminatum autem cor non tetigit*. Iuxta hanc explicationem facile reſpondetur Deum ſolum authorem fuiſſe verborum illorum, non vero ma-

læ voluntatis Pontificis, a qua illa verba nec proficiſcebantur, & à qua nulla prorſus ratione aliquam extrinſecam hauriebant malitiam.

84 Secunda expoſitio communior eſt, iuxta quam hæc verba duplicem habebant ſenſum: alium intentum à Caipha, videlicet, expedire Iudæis morte Chriſtum afficere, ne Romani tollerent Iudæorum gentem, & regnum: quibus verbis intendebat Pontifex ad Chriſti iniuſtiſsimam necem permouere Iudæos. Alius erat ſenſus intentus à Spiritu Sancto: videlicet expedire mortem Chriſti ad redemptionem generis humani: iuxta quem ſenſum prophetauit Caiphas.

85 Cum autem dicit ſcriptura hæc verba non dixiſſe Pontificem à ſemetipſo, non intelligendum eſt abſolute; ſed iuxta ſenſum intentum ab Spiritu Sancto: hoc eſt Caipham non intendiſſe ea proferre iuxta ſenſum, iuxta quem Caiphas prophetauit. Voluit ergo Deus ea verba externa prout inducentia ſenſum propheticum; minimè vero voluit, aut prædefiniuit intentionem prauam Pontificis; à qua procebant. Non ergo Deus prædefiniuit materiale peccati: quia nec prædefiniuit voluntatem Caiphæ, nec prædefiniendo externa verba aliquid prædefiniuit, in quo fundaretur, & a quo oriretur malitia formalis prauæ voluntatis Pontificis.

86 Verum ad rationem prophetiæ non requiritur indiſpenſabiliter mentem aut voluntatem Prophetæ moueri vt inſtrumentum à Deo; ſed vage requiritur, vel ita moueri voluntatem, & mentem ad ea verba proferenda: vel neſciente Propheta eius moueri linguam: vel (quod etiam ſufficit) intendere Deum eum ſenſũ, iuxta quem verba prophetica ſunt; licet qui verba profert, alium ſenſum valde diuerſũ intendat. Quando autẽ dicit **D. Thomas** mentem Prophætæ moueri à Deo ad prophetandum tanquam inſtrumentum ab artifice, vel loquitur iuxta regularem modum prophetandi, vel non loquitur de prophetia vt ſic; ſed ſolum de cognitione prophetica, vt patet ex titulo ipſius quæſtionis.

87 Deniqui non omittam quod ſi argumentum ducatur ex illis verbis. *Hoc autem non dixit à ſe metipſo*, quaſi innuant voluntatem Pontificis ab Spiritu Sancto fuiſſe motam, & determinatam ad prophetandum, nullatenus aduerſarijs fauere. Etenim negant ea verba voluntatem Pontificis ex propria determinatione dixiſſe, & vbi propria determinatio non eſt, ſaltem in genere cauſæ ſecundæ, neque libertas, neque peccatum eſt. Quapropter in proferendis illis verbis nec Pontifex peccaſſet, nec Deus ad mate

Digitized by Google

riale peccati determinaſſet illum : quo ceſſat argumentum.

88 Aliud argumentum valde ſimile huic opponitur ab adverſarijs petitum ex conſecratione hoſtiæ propter aliquem prauum finem. In quo caſu talis actio eſt grauiſsimum peccatum : & nihilominus Deus mouet ad eam actionem, vt pote ſuper naturalem & totius naturæ vires excedentem. Ergo Deus poteſt mouere, & de facto mouet, ad peccatum ſumptum pro materiali.

89 Reſpondeo Deum nullatenus mouere voluntatẽ Sacerdotis, vt velit ob pravum finem conſecrare; ſed Deum concurrere ad eam voluntatem determinatum à Sacerdote, ſicuti concurrit ad quamlibet aliam voluntatem peccaminoſam. At vero ad ipſam prolationem verborum ſupponentem iam totam malitiam, poſſe Deum liberè concurrere; imo, & eam velle, & prædefinire modo, quo diximus Deum poſſe velle crucifixionem Chriſti Domini.

90 Alia etiam ſolutio poteſt adhiberi prædictis argumentis: videlicet Deum eodem modo præparare concurſum ad actionem externam, quæ eſt peccatum, quam ad actum internum peccaminoſum, & in quo conſiſtit malitia: nimirum per decretum indifferens ad actum internum & externum, ita vt quando Deus concurrit cum peccatore ad actionem externam, non ſolum determinetur à creatura ad actum voluntatis ; verum etiam ad ipſam actionem externam. Quando vero Deus, poſito actu interno peccatoris, non concurrit cum illo ad actionem externam, v.g. ad motum manus, aut brachij ad percutiendum, vel ad furandum : ideo ſit, quia Deus præuidens conditionate hanc prauam voluntatem, noluit ob altiſsimos fines ſuam omnipotentiam præparare indifferenter ad hanc externam actionem.

91 Iuxta hanc ſolutionem dicendum eſt Deum non prædefiniuiſſe actionem externam crucifigentium Chriſtum Dominum; ſed prædefiniuiſſe effectus ex hac actione prouenientes. Vt puta dolores Chriſti Domini, ſui pretioſiſsimi ſanguinis effuſionem, ipſam Chriſti mortem: & alia huiuſmodi, quæ non ſunt peccata, adhuc externa, ſed peccati effectus. Pari ratione dicendum eſt Deum non mouere Sacerdotem ad conſecrationem ſacrilegã; ſed permittere ſe determinari ad eam conſecrationem.

92 Ad id, quod additur, nempe actionem conſecratiuam eſſe ſupernaturalem, conſequenterquè debere à Deo determinari, Deumque ad eam præmouere: reſpondeo id non poſſe intelligi de actione externa, quæ imperatur à voluntate efficaci Sacerdotis

cederet, contendebat tamen vltra hanc deſertionem purè tolerantem, in excæcatione, & obduratione peccatorum coniungi cũ illa plurimos, atque mirabiles effectus diuinæ omnipotentiæ.

96 Iuxta hanc intelligentiam dicendum eſt Auguſtinum negare illam propoſitionem Iulian.: videlicet *cum deſiderijs ſuis traditi dicuntur, relicti per diuinam patientiam intelligendi ſunt, nõ per potentiam in peccata compulſi*, non quia affirmet vllum hominem per potentiam diuinam in peccata compelli; ſed quia negat peccatores ſolum abdurari quatenus impuniti relinquuntur, cum alij etiam effectus diuinæ omnipotentiæ interueniant: videlicet ſubſtractio gratiæ efficacis cum præuiſione eius inefficaciæ.

97 Nec poterat Auguſtinus quin ſibi contradiceret aſſerere Deum ad peccatum compellere, cum id ipſum aliis in locis aperte neget, præſertim cum ex profeſſo diſputat de Iudæorum excæcatione, ac obduratione tract. 53. in Ioan. colum. 3. vbi hæc habet. *Fecerunt peccatum Iudæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet*. Præterea S. Proſper Auguſtinianæ mentis ſagaciſsimus indagator, atque propugnator acerrimus, ad capita Gallorum ſic reſpondet ſentent. 11. *Qui dicit quod per potentiam Deus homines ad peccata compellat, meritò repræhenditur. Neque enim Deus, qui iuſtitiæ & bonitatis author eſt, quemquã ad peccatum cogere, & ab innocentia in facinora præcipitare, credendus eſt.* Non ergo Auguſtinus ex eo negat illam Iuliani propoſitionem, quod cenſeat Deum ad peccatum compellere; ſed quia ſentit aliter derelinqui peccatorem, quam per puram peccatorum tolerantiam; aut non punitionem.

98 Ex quo inferes Gonetum ſatis callidè, & parum fideliter hanc propoſitionem Auguſtino adſcribere, loquendo de excæcatis, & obduratis. *Non ſolum relicti per diuinam patientiam intelligendi ſunt: ſed etiam per potentiam in peccata compulſi*. Hanc enim propoſitionem Auguſtinus non docuit; ſed tantum negauit propoſitionem Iuliani aſſerentis ſolum obdurari peccatores, quia per patientiam relinquantur; non quia per potentiam compellantur. Ex eo autem quod ſit falſa hæc, non eſt verum quod *non ſolum per patientiam relinquuntur, ſed per potentiam compelluntur*. Sed ſolum infertur veram eſſe hanc propoſitionem: *Non ſolũ obdurantur peccatores quia per patientiam relinquuntur; non quia per potentiam compelluntur*. Sicuti ex eo quod falſa ſit hæc propoſitio *ſolus Iudas peccauit; non autem Chriſtus*, malè infertur hæc. *Non ſolum Iudas peccauit, ſed etiam Chriſtus*. Solum enim infertur

pro-

propoſitio negans totam aliam propoſitionē indiuiſibiliter ſumpta, videlicet, *non ſolum Iudas peccauit; non autem Chriſtus*. Hæc dixerim pro detegenda hac calliditate Goneti. Qui huius textus D. Auguſtini vlteriorem expoſitionem optauerit, legat P. Ruiz de Montoia de voluntate Dei diſp. 43. per tres primas ſectiones.

99 Obijciunt. 4. à ratione. Si Deus non prædefiniret materiale peccati, ſed circa illud decretum purè indifferens haberet, daretur in rerum natura aliqua actualitas, & aliquis exiſtentiæ gradus, qui diuinam cauſalitatem ſubter fugeret: quod eſt incidere in errorem Manichæorum, vel ſaltem in ſententiam Durandi, quæ iam à ferè omnibus Theologis deſeritur. Sequela probatur. Determinatio volūtatis ad materiale peccati eſt aliqua actualitas, & aliquis gradus exiſtentiæ. Sed ſi Deus non prædefiniret materiale peccati; ſed circa illud haberet decretum purè indifferens, non cauſaret determinationem voluntatis ad illud. Ergo daretur aliqua actualitas, & aliquis gradus exiſtentiæ, qui diuinæ cauſalitati non ſubiaceret. Maior eſt certa, & conſequentia legitima. Minor probatur ab aduerſarijs: quia decretum indifferens expectat determinationem voluntatis, ſeu illam ſupponit. Ergo non cauſat illam.

100 Confirmatur: quia iuxta nos, concurſus ſimultaneus in actu primo, ſiuè decretum indifferens, ſe habet ſicut habitus reſidens in potentia, quo vtimur quando volumus. Sed habitus non cauſat determinationem potentiæ; ſed potius ab ipſa determinatur ad agendum. Ergo nec decretum indifferens cauſat determinationem.

101 Mirum eſt quam ſæpe hanc æquiuocationem patiantur aduerſarij. Reſpondeo ergo Deum immediatè producere omnem actualitatem, & gradum quemlibet exiſtentiæ: ad hocque non requiri Deum illum prædeterminare; ſed ſufficere ad illum cōcurrere determinatum à creatura. Iuxta quem ſenſum dicitur Deus cauſa permiſsiua: non quia poſitiuè non influat; ſed quia in effectibus liberis non dicitur, iuxta communem modum loquendi, cauſa effectus ea, quæ ſolum ex alterius determinatione concurrit abſque obligatione illum effectum impediendi. Iuxta hanc igitur acceptionem nego primum antecedens, ſiue ſequelam, quæ in eo continetur. Ad eius probationē, cōceſſa maiore, nego minorē. Et ad probationē huius diſt. ant. Decretū indifferēs expectat determinationē creaturæ, vt præuiam ad ſuam operationem, nego, vt cau-

cauſalitatem, ſiuè influxum actualem, per quam concurrat in actu ſecundo; concedo Antecedens, & nego conſequentiam.

102 Ad confirmationem: conceſſa maiore, nego minorem: nam habitus reſidens in voluntate cauſat determinationem illius, licet determinatus à voluntate: quod enim determinetur à voluntate minimè oponitur cum eo, quod cauſet ipſam voluntatis determinationem, à voluntate per ipſam determinationem determinatus.

103 Obijciunt. 5. Iuxta ſententiam aliquorum ex noſtris, famulus, qui adiuuat herum, vt aſcēdat per feneſtram ad furādum, vel ad adulterandum, neque peccat, neque cenſetur cauſa furti, ſi id faciat ex metu ingentis mali imminentis ſibi. Ergo ob aliquod motiuū poteſt cauſa ſecunda phyſicè influere, & cooperare ad actus intrinſece malos, quale eſt furtum, & adulterium. Ergo potiori iure Deus ratione cauſæ primæ poterit influere in materiale peccati, quin cenſeatur cauſa malitiæ formalis.

104 Reſpondeo famulum ad iuuantem dominum, vt per feneſtram aſcendat, non adiuuare, nec cooperari ad actionem intrinſecè malam: etenim famulus ſolum cooperatur ad aſcenſū per feneſtram: qui aſcenſus non eſt intrinſecè malus; ſed ſolum extrinſecê à praua voluntate aſcendentis. Porro ad adulterium, & furtum ab hero commiſſum non cooperatur phyſicê; ſed ſolum cooperaretur interpretatiuê, ſi haberet obligationem impediendi furtu, m& adulterium cō graui damno. Cū autem, iuxta hos authores in prædicto caſu non habeat famulus obligationem impediendi ea peccata (à cuius propoſitionis veritate modo præſcindo) ideo cenſent famulum non peccare adiuuando herum, vt feneſtram aſcendat. Præterea famulus non influit phyſice immediate in furtum, neque influit immediatè in actionem connexam intrinſecè cum furto; ſed influit dumtaxat in aſcenſum per feneſtram, qui ex ſe indifferens eſt ad furtum, & carentiam furti. Qua propter ex hoc præciſſe iuuamine in aſcenſum non habet rationem cauſæ perſe influētis in furtum, ſed per accidens, & remotê.

105 Verum Deus prædefiniendo ad materiale peccati, & ad illud prædeterminando, cauſat immediatè materiale peccati, quod vel identificatur cum formali, vel ſaltem infert neceſſario illud abſque vllo alio libertatis exercitio: ideo maximum inter vnum, & alterum caſum, verſatur diſcrimen.

106 Hinc ad argumentum in forma conceſſo primo antecedente, diſtinguo conſequen. Ergo ob aliquod motiuum poteſt

cau-

cauſa ſecunda influere, & cooperari mediatè & per accidens, ſiuè permiſsiue, concedo: immediatè, ſiuè per ſe, & poſitiue nego conſequentiam: qua ratione poterit etiam Deus influere in peccatum; non autem prædeterminando ad materiale: quia prædeterminare ad materiale eſt eſſe cauſam poſitiuè, & per ſe peccati.

107 Ob. denique Defectus in motu progreſsiuo, nimirũ obliquitas in inceſſu, ſiuè claudicatio, ita prouenit ab anima, & à tibia curua, vt (ſicut ait D. Thomas 2. lib. ſentent. diſt. 37. quæſt. 2.) *quidquid eſt ibi de greſſu, totum eſt à virtute greſsiua, ſed defectus, vel obliquitas greſſus non eſt à virtute greſsiua, ſed à tibia tantum. Similiter etiam eſt ordo Dei ad voluntatem cauſatam ſicut cauſæ primæ ad ſecundam: ideo ex parte Dei nullus defectus accidere poteſt, voluntas autem cauſata ad defectum poſsibilis eſt: & ideo quidquid eſt in actu deficiente ſcilicet peccato de ratione actus, & entis & boni, totum hoc à primo agente ſcilicet Deo procedit, mediante voluntate ſed ipſe defectus, qui eſt in actu, hoc modo eſt à voluntate, quod à Deo non procedit.* Ergo iuxta exemplum à D. Thoma adductum, & iuxta ipſius Angelici Doctoris mentẽ, Deus eſt cauſa materialis peccati; non autem formalis. Ergo per ſe cauſat materiale peccati, & non formale. Ergo mouet, & determinat ad vnum, quin moueat, aut determinet ad alterum.

108 Reſpondeo D. Thomam hoc exemplo ſolum intendere defectum voluntatis humanæ non ita tribui debere Deo, vt ipſi vitio vertatur actionem humanam eſſe peccaminoſam, quaſi ipſe non ſufficientem virtutem ad actum bonum miniſtraſſet, ſed totum debere tribui creaturæ. non quia realiter loquendo ex duobus prædicatis realiter identificatis, vnum ſit à Deo, & alterum ſit à creatura, & realiter non ſit à Deo; hoc enim D. Thomas non docuit. Sed quia, cum Deus dat virtutem ſufficientem, & penitus indifferentem, nullatenuſque determinatam ad vnum, potius quã ad aliud, voluntatis ſuæ vitio ad malũ, potius quã ad bonum determinatur. Quod vero dicat S. Doctor rationem boni, & entis eſſe à Deo; non autem rationem defectus, nõ ex eo eſt, quod ex parte obiecti vnum prædicatum ſit à Deo; ſecus alterum; ſed quia iuxta communem modum loquendi ponitur ex parte obiecti, quod in re, & quoad ſenſum, ſe tenet ex parte modi. Ita dicimus frequenter per propoſitionem conditionalem affirmari exiſtentiam conditionatam; non abſolutam: quo ſolum ſignificamus per propoſitionem conditionatam affirmari conditionatè exiſtentiam non autem affirmari abſolutè: ita etiam dicitur vulgo nullũ equum deter-

determinatum,& ſingularem requiri ad equitandum; ſed requiri equum indeterminatum hunc,vel illum:non quia aliquis ſit equus indeterminatus,qui requiratur;ſed quia omnes,& ſinguli equi ſingulares & determinati,requiruntur neceſsitate vaga, & indeterminata,non vero determinata.

109 Pariter ergo in noſtro caſu non negat S. Thomas defectum, & inordinationem eſſe phyſicè à Deo, phyſicèque à Deo produci;ſed docet non eſſe à Deo defectibiliter, & plusquã phyſicè,& entitatiuè. Ita etiam defectus, & obliquitas in motu progreſsiuo,verè,& realiter & phyſicè, eſt ab anima; non autem eſt ab anima defectibiliter,quaſi à principio non habente ſufficientem virtutem ad rectum motum. Hac ergo ratione debent explicari prædictæ loquutiones:non autem prout materialiter ſonant. Etenim ex duobus prædicatis identificatis, & penitus indiſtinctis realiter,vnum phyſicè dependere ab vna cauſa,& alterum phyſicè non dependere,nec phyloſophiæ conguit,nec à Doctore Angelico doceri vnquam credam:hanc enim inter prædicata identificata fictionem omnes phyloſophiæ leges,vel euertit,vel confundit.

QVÆST. VIII.

Noſtra ſententia circa applicationem omnipotentiæ ad actus liberos.

Reiectis prædefinitionibus omnino antecedentibus, necnon phyſica prædeterminatione,reliquum eſt,vt noſtram ſententiam proponamus.

SECT. I.

Non nullis præmiſsis proponitur noſtra ſententia.

Svpponendum eſt 1. Deum ad quodlibet ens poſitiuum immediate concurrere effectiuè,vt contra Durandum communiter iam Theologi ſupponunt. Ex quo infertur, iuxta noſtram ſententiam conſtituentem formale peccati in poſitiuo,

illudque identificantem cum eius materiali, nempe cum exercitio libero prohibito, vt prohibito, & libero: Deum concurrere immediatè effectiuè ad formale peccati: nequit enim in creatis prædicatum, A. v. g. produci ab aliquo, quin pariter eodem modo producatur quodlibet prædicatum à prædicato. A. penitus realiter indiſtinctum.

2 Supponendum eſt 2. Deum non eſſe cauſam per ſe peccati; ſed ſolum permiſsiuam. Patet hoc ex Concilio Tridentino ſeſ. 6. canon. 6. ex illis verbis iam ſupra allegatis. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere; ſed mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permiſsiuè ſolum; ſed etiam propriè, & per ſe: adeo vt ſit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema ſit.* Ex his duobus præſuppoſitis patet duo nobis componenda eſſe inter ſe: nempe, & Deum cōcurrere immediate effectiuè ad materiale, & formale peccati, & nihilominus Deum non eſſe cauſam poſitiuè, & per ſe peccati; ſed ſolum permiſsiuè, & per accidens. Cum ergo totum hoc dependeat ex modo, quo Deus ſuam omnipotentiam applicat ad concurrendum: ideo, rectè explicata diuinæ omnipotentiæ applicatione, fit ſatis vtrique difficultati.

3 Dico ergo Deum habere aliquam voluntatem indifferentem, tam ad conſenſum, quam ad diſſenſum: vi cuius formaliter manet omnipotentia ita indifferenter applicata ad conſenſum, & diſſenſum, vt voluntati incumbat hoc diuinum decretum potius ad vnum quam ad aliud extremum in actu ſecundo determinare.

4 Patet hæc concluſio ex ſupra dictis: nam omnipotentia diuina non eſt ſe ipſa omnino applicata ad concurrendum, cū poſsit Deus liberè ſuum cohibere concurſum. Ergo ſaltem indiget hac non cohibitione. Ergo ad applicationem ſuæ omnipotentiæ, ita vt iam non penes Deum; ſed penes creaturam ſit non operari, aliquod exercitium diuinæ voluntatis requiritur. Hoc ergo omnipotentiæ applicationem appellamus.

5 Præterea, hæc applicatio non poteſt eſſe prædefinitio omnino antecedens, & abſoluta, vt ſatis ſupra monſtratum eſt. Deinde, neque poteſt eſſe prædefinitio efficax regulata Scientia Media. Ergo debet eſſe voluntas indifferens. Hæc vltima minor probatur, Tum quia applicatio omnipotentiæ ſe tenet ex parte actus primi, & libertatis: & tota libertas integre, & complete accepta, debet eſſe coniungibilis cum vtroque extremo libertatis: quam coniungibilitatem non habet prædefinitio efficax vnius extremi,

quamtumuis Scientia Media reguletur. Tum etiam, quia prædefinitio regulata Scientia Media eatenus libertati non nocet, quatenus in caſu purificationis hypotheſis ſubijcitur libertati hominis eius exiſtentia, qua propter à tota libertate diſtingui debet, conſequenterque non poterit eſſe applicatio omnipotentiæ: ſiquidem applicatio omnipotētiæ ex parte libertatis ſe tenet. Tum denique, quia nihil connexum cum vno libertatis extremo poteſt influere immediatè in illud abſque libertatis præiudicio. Cum igitur applicatio omnipotentiæ influat immediatè, ideo nequit conſiſtere in aliquo connexo cum vno potius, quam cum altero libertatis extremo, vt infra dicemus.

6 Hoc decreto indifferente intellecto, tota determinatio voluntatis penes voluntatem eſt: ſiquidem humana voluntas prolibito ſuo poteſt hoc decretum indifferens determinare, vt potius ad conſenſum, quam ad diſſenſum, & etiam ad diſſenſū potius, quam ad conſenſum concurrat. Quo fit, vt actio libera in actu ſecundo, indiuiſibiliter ſimultanee pendeat à Deo, & à creatura; diuerſo tamen modo: nam à creatura dependet tanquam à determinante. At vero à Deo pendet tanquam à permittente ſe determinari à creatura: non quia aliquid ſit in hac actione, ſiuè in hac determinatione in actu ſecundo, quod non ſit realiter à Deo; ſed quod tota actio eſt à creatura determinantè, totaque actio eſt à Deo ſinente ſe determinare: ipſaque actio indiuiſibiliter ſumpta eſt determinatio creaturæ; non autem determinatio Dei.

7 Hac doctrina intelligitur Deum eſſe cauſam per ſe actionis bonæ; eſſeque cauſam non per ſe; ſed per accidens, & permiſsiuam peccati. Etenim illa eſt cauſa ſimpliciter abſolutè, & per ſe, quæ influit iuxta propriam inclinationem in effectum. Illa autē eſt cauſa per accidens, quæ influit præter intentionem. Hac ratione cauſæ naturales influunt per ſe, quia influunt iuxta naturalem inclinationem: & hac etiam ratione influit habitus per ſe, quia ex natura rei ordinatur, & propendet in talem concurſum. Porro Deus ex eo eſt cauſa per ſe actionis bonæ, iuxta datam explicationem, non præciſſè quia immediatè influit in actionem bonam; ſed quia in illam influit iuxta inclinationem propriam: quando enim conſtituit hominem liberum ad benè, & malè operandum, habet Deus ſeriam, & veram intentionem operis boni.

8 Verum Deum concurrere phyſicè (cum addito limitante *permiſsiuè*) ad formalem malitiam peccati, traditur à plurimis authoribus. Ex externis Caietanus 1.2.q.71.artic.6. §. *in eo*

arti-

articulo, & q.79.art.1.& 2.Soto lib.1.de Natura, & Gratia cap. 18.in fine dicens, *& quamuis per multi ſint, quibus non ſit explicatu facile quo modo in odio Dei, quod internam habet malignitatem, poſſit Deus cauſa eſſe entitatis; culpæ verò non item. Non tamen eſt ita intellectu difficile: quando enim Patres (imò Scriptura) negant Deum eſſe cauſam peccati, non ad illum vniuerſalem influxũ ſpectant: ille enim inter cauſas naturales cenſetur, &c. quia in moralibus ille prorſus eſt verè, iudicaturque cauſa, qui lege, conſilio, fauore, vel perſuaſu mouet quempiam.* Curiel 1.2.q.71. art.6.dub.1.§. 8.verſ.*ad ſecundum.* Vbi pro ſe adducit Canum lib.2.de locis cap. 4. Cornejo q.71. diſp.4.dub.8.num.23. verſ. *reſpondeo breuiter.* Dicens, *licet Deus ſit cauſa naturalis totius entitatis poſitiuæ, non ſolum quantum ad materiale, ſed etiam quantum ad formale; non tamen eſt cauſa illius vt peccatum eſt, &c. eo quod non cauſat illam concurſu morali, &c.* Holcot.quæſt. 11. determinationum art. 4. litt. CC. dicens: *ad primum concedendum eſt quod Deus eſt cauſa peccati, ſed non dicitur author peccati: quia hoc eſt ſpeciale in libero arbitrio conſtitutum, quod ſi homo vult aliquid, Deus coagit cum voluntate illam volitionem: ſic tamen quod prima cauſalitas huius volitionis eſt voluntas.* Ob quam rationem addit. *Ideo peccatum dicitur eſſe ab homine, ſicut ab authore, & non à Deo: & tamẽ ab vtroque eſt, ſicut à cauſa efficiente partiali.* Circa, quæ verba dum ea refert P. Theophil. Raynaud. de noua libertate part. 2. cap.4.num. 34. rectê admonet doctrinam quoad ſenſum veram eſſe, modum autem loquendi corrigi debere. Eamdem doctrinam tradunt Greg, Arim, in 2. diſt. 34. art.1 vbi (teſte Medina 1.2.q. art.2.) ait Deum ideo non eſſe cauſam peccati *quia quamuis faciat actum malum, ſed non male.* Denique OKam, & Gabriel aientes apud eundem (ſed pluſquam abſurdè) Deum in rigore, & proprietate ſermonis, eſſe cauſam peccati, non in ſenſu, quod peccet, ſed quod ſit cauſa actus mali.

9 Ex authoribus Societatis tradunt concurſum phyſicum Dei determinati à creatura ad malitiam peccati Puente Hurt. diſp. 6. metaphyſ. à §. 14. præſertim à §. 29. Arriaga hic diſp.39.num.14.dicens. *Cur Deus non ſit cauſa peccati ratio non eſt deſumenda ex eo, quod concurrat ad ſolum materiale, non vero ad formale: nulla enim eſt formalitas in actu peccati, ad quam non concurrat Deus*, & diſp.53.num.3. *Eſto Deus immediatè concurrat phyſicè ad totam entitatem peccati, & ad ipſam malitiam: nihilominus quia, &c. non eſſe cauſam illius niſi permiſsiuam*: quod ibi la-

tè

tè proſequitur. P. Amicus diſp.22.num.75.dicens. *Obijcies eſſe morale in peccato eſt aliquid reale poſitiuum. Ergo à Deo. Reſpondeo eſt à Deo phyſice concedo, moraliter nego.* P. Herice 1. p. diſp. 27. num. 33. & 34. dicens: *ex bis efficitur Deum cooperatione ſua ex æquo producere totum actum bonum, & totum actum malum, atque immediatè, & directè, & phyſicè loquendo, non minus attingere actione ſua reali malitiam, quam bonitatem, &c.* P. Quiros tom 2. tract. 6. diſp. num. 10. dicens. *Deus concurrit quidem phyſicè in peccatum, etiam pro formali, ſi conſiſtat in poſitiuo; non tamen à ſe, ſed determinatus à noſtra praua voluntate, &c.* Idem in re ſentit P. Ouiedo, dum tract. de Peccatis controu. 7. num. 16 ait loquens de peccato: *Si enim intendatur eſſe aliquam peculiarem rationem in effectu, quæ ſit à Deo independens* (nempè à Dei influxu) *doctrina ſuſtinenda non erit*: & num. 38. *ex vi concurſus phyſici, quem Deus immediatè per omnipotentiam præſtat ex munere cauſæ primæ, non magis influit in actionem honeſtam, quam peccaminoſam.* Ideo addit totum diſcrimen eſſe penes influxum moralem intendendi, conſulendi, &c. Idemque tradit aperte Vazq. 12. diſp. 129. num. 29.

10 Denique, vt rectè notant RR. quibus hunc authorũ pro hac ſententia ſillabum debemus, concurſum iſtum quoad rem tradunt alij authores, quorum plures refert, & ſequitur Raynaud. eo cap. 4. num. 14. qui quidem ex eo ſolum negant Deum concurrere ad actum vt malum, quia non concurrit ad eum vt liberum. Quo loquendi modo ſolum ſignificare intendunt Deum non concurrere liberè, & determinatiuè; non vero Deum non concurrere phyſicè ad ipſam noſtri actus libertatem.

11 Et quidem hunc eſſe horum authorum ſenſum, ex eo patet, quia Rainaud. cum Vazq. & alijs eodem modo negant Deũ concurrere ad actum noſtrum vt vitalem: cum tamen certum ſit ad totam vtilitatem concurrere, ex eoque dicere Deum non concurrere ad actum vt vitalem, quia non concurrit vitaliter. Qua propter dum Deus negatur concurrere ad actum vt vitalem, ly *vt vitalem* non ſe tenet ex parte obiecti, ſed ex parte modi. Pariter ergo in noſtro caſu, dum à Deo excluditur à prædictis authoribus concurſus in actũ noſtrũ vt liberũ, non ſe tenet ly *vt* ex parte obiecti, quaſi aliquod ſit prædicatum in actu ſubterfugiens diuinum concurſum phyſicum, ſed ſe tenet ex parte modi concurrendi ſignificando videlicet Deum non concurrere liberè, & determinatiuè ad actum creaturæ.

12 Cæterum ex eo Deus non eſt cauſa per ſe peccati, quia; tametſi phyſicè concurrat ad illud, etiam quoad formale; concurrit tamen contra propriam inclinationem, qua vellet non eſſe peccatum; ſed opus bonum. Hoc explicuit eleganter Anſelmus lib. de caſu diaboli cap. 28. per hæc verba. *Non ſolum habet aliquis à Deo quod Deus ſponte dat; ſed etiam quod ſponte rapit Deo permittente: & ſicut dicitur Deus facere, quod permittit fieri, ita dicitur dare, quod permittit rapi: quoniam igitur permittente Deo Angelus malè vſus eſt poteſtate à Deo data, à Deo habuit* (intellige per rapinam) *vti; quod non eſt aliud, quam ipſum velle.* Ergo ideo Deus non eſt author, & cauſa per ſe peccati, quia præter intentionem concurrit; ſeu quia quaſi ab eo rapitur concurſus.

13 Nec obeſt, vt Deus dicatur purè permittere peccatum, quod ad illud phyſicè concurrat. Etenim *permiſsio* ſolum dicit in ſuo conceptu quod is, qui permittit, non ſit cauſa per ſe; at vero non eſt de conceptu puræ permiſsionis nullo modo phyſicè influere per influxum poſitiuum: quia permiſsio accipitur prout opponitur cauſalitati per ſe; non vero prout opponitur omni influxui poſitiuo. Quapropter cum dicitur Deus purè permittere, non ponitur ly *purè* ad excludendam efficientiam poſitiuam; ſed ad excludendam *cauſalitatem per ſe* quæ *cauſalitas per ſe* ſub nomine cauſalitatis abſolutè prolatæ intelligitur. Idcirco Deus purè permittit peccata, licet phyſicè immediatè influat in illa; quia nulla ratione eſt cauſa per ſe alicuius peccati: hoc eſt quia non concurrit phyſicè ad illud iuxta aliquam propriam inclinationem.

14 Ex dictis infertur quantopere diſtinguendi ſint inter ſe concurſus in actu primo, & concurſus in actu ſecundo. Etenim concurſus in actu primo eſt illa voluntas Dei indifferens ad actionem malam, & bonã: qui concurſus, & optimus eſt, & omnino à libertate diuina dependens. At vero concurſus in actu ſecundo eſt ipſa actio humana, ſiuè determinatio libera voluntatis creatæ proueniens indiuiſibiliter ab homine, vt ſe determinante, & à Deo, vt permittente ſe determinare. Vnde quando homo peccat, ipſa voluntas praua, quæ peccatum quoad materiale, & quoad formale eſt, eſt concurſus in actu ſecundo. Quapropter, licet Deus velit ſuum concurſum in actu primo circa peccatum: quia concurſus in actu primo eſt voluntas Dei indifferens. Attamen cõcurſus in actu ſecundo ad peccatum, vtpote identificatus cum ipſo peccato, nequit amari à Deo; ſed potius de illo diſplicet: quæ omnia clariora fient argumentorum ſolutione.

15 Hæc

15 Hæc ſunt in duplici differentia. Alia, quæ applicationem Indifferentem, indifferentiæ titulo, reijcere conantur. Alia, quæ impugnant modum tendendi voluntatis diuinæ indifferentis. Primi generis argumenta ſoluemus ſectione proximè ſequenti. Alia vero, poſtquam modum tendendi voluntatis indifferentis explicuerimus, & obijciemus, & diſſoluemus.

SECT. II.

Soluuntur obiectiones, quæ opponuntur indifferentiæ huius applicationis prout á nobis traditur.

16 Obijcies 1. Poſito hoc decreto indifferente, non eſt maior ratio, quare creatura ſit determinans immediatè, & formaliter peccatum, potius quam Deus. Ergo non datur prædictum decretum indifferens. Antecedens probatur. Poſito hoc decreto, tam indifferens eſt Deus ad efficiendum phyſicè actũ peccaminoſum ſimul cum creatura, ac indifferens eſt creatura ad efficiendum cum Deo eundem actum. Sed quando cõcurrunt duo principia æquè indifferentia, non eſt maior ratio, quare primum determinet ſecundum, quam èconuerſo. Ergo in prædicto caſu decreti indifferentis non eſt maior ratio quare creatura determinet Deum, quam Deus determinet creaturam ad efficiendum actum peccaminoſum.

17 Confirmatur. Determinari liberè ad conſenſum præ diſſenſu eſt ponere conſenſum cum omnimoda indifferentia ad ponẽdum diſſenſum, & abſque præuia alterius determinatione. Sed Deus ex vi decreti indifferentis ita ponit conſenſum. Ergo determinat immediatè conſenſum.

18 Nego aſſumptum argumenti. Ad probationem, conceſſa maiore, diſtinguo minorem. Quando concurrunt duo principia æquè indifferentia ad aliquem actum: ſi ad illud exercitium æquè diriguntur cognitione, & actus eſt æquè voluntarius vtrique, ſeu actus voluntatis conſtituit volens vtrumque principium: non eſt maior ratio, quare primum determinet ſecundum, quam èconuerſo: concedo. Si, vel non æquè dirigantur cognitione, vel non æquè actus voluntatis denominet volens vtrumque principiũ, non eſt maior ratio, quare primum determinet ſecundum, quam è conuerſo. Nego minorem. Et deinde nego conſequentiam.

19 Ad confirmationem reſpondeo eodem modo. Determinari liberè ad conſenſum eſt præciſe ponere conſenſum cum indifferentia ad diſſenſum, nego: eſt ponere conſenſum, habendo cognitionem dirigentem ad illum, & conſentiendo per illum. Concedo maiorem. Et diſtinguo minorem. Deus cum indifferentia ad diſſenſum ponit conſenſum: conſentiendo per illum, nego: aliter concedo minorem, & nego conſequentiam.

20 Itaque vltra indifferentiam duo alia requiruntur, vt aliquis actus voluntatis, ſiuè volitio aliqua, ſit determinabilis à principio, à quo oritur. Primum, quod hoc principium cognitione dirigatur ad elicientiam talis actus. Ex hoc capite quando indiuiſibiliter concurrunt ad aliquem actum voluntas, & habitus, voluntas ſola determinat illum actum: quia videlicet habitus non dirigitur cognitione aliqua ad eliciendum actum, cum habitus nō ſit cognoſcitiuus.

21 Requiritur ſecundo, quod principium eliciens actum voluntatis, illum eliciat volendo per illum: quia ex terminis illud principium ſe determinat libere, quod operatur, quia vult. Cum autem Deus, licet cum indifferentia efficiat voluntatis conſenſum; non tamen per illum conſenſum conſentiat, aut velit: ideo Deus non ſe exercet libere per conſenſum creaturæ: licet illum cū indifferentia ad oppoſitum producat.

22 Sed aduerſus hanc noſtrorū authorū cōmunē explicationē inſtat 1. P. Quiros, poſſe inueniri formalem libertatem in actione tranſeunte, vt ipſe tenet cum Aureolo, necnon in actione intellectus, vt cenſet Arriaga. Sed in his actionibus nō reperiuntur quæ à nobis ad determinationem liberam aſsignantur. Ergo non eſt firma noſtra ſolutio. Reſpondeo negando firmiſsimé antecedens: quia libertas eſt præciſsè dominium electiuum: quod duntaxat reſidet in voluntate, ad ipſam enim poteſtas electiua dumtaxat pertinet.

23 Inſtat 2. Vti poteſt Deus ſuam omnipotentiam præbere determinandam à voluntate creata, cur repugnabit quod vna voluntas creata determinetur ab alia ad ipſam actionem volendi. V. g. ſi, vti in genere efficientis duæ cauſæ concurrunt per eandem actionem, ponamus quod duo Angeli velint per eamdem volitionem: in quo caſu Michael determinet Gabrielem ad volendum: cum enim non ſit contra conceptum volendi determinari ab alio, ſi aliunde ratio determinandi non petat præmotionem, bene hic Gabriel determinabitur à Michaele. Et tamen

non ſolum Michaeli, eſt actio voluntaria formaliter: cum etiam Gabriel velit per eam actionem. Ergo non ſatis per hanc voluntarietatem formalem explicatur ratio determinantis.

24 Reſpondeo, quod ſi ita conſtituantur duæ voluntates, vt eas meditatur hic author: quælibet determinabit aliam. Verum hæc mutua determinatio implicabit: quia eſt contra rationẽ dominij libertatis vt videbimus quæſtione ſequenti, dum decretum comitans reijciamus.

25 Ob.2. Licet ex noſtro modo explicandi concurſum indifferentem rectè deducatur Deum non eſſe cauſam per ſe peccati; non tamen vitatur eſſe cauſam per accidens. At eſſe cauſam per accidens etiam repugnat diuinæ bonitati. Ergo aliquid repugnans Deo non vitatur.

26 Reſpondeo dupliciter ſtare eſſe cauſam per accidẽs. Primò pro cauſare aliquid eſſentialiter inferens aliud (licet illud aliud directè formaliter non intendatur) adeo, vt poſito primo, neceſſario, & abſque libertate, debeat exiſtere ſecundum. Hac ratione in ſententia Dominicanorum cauſatur ab homine malitia formalis peccati: quia cauſatur ab homine materiale peccati: ex quo materiali, ſemel exiſtẽte, abſque exercitio aliquo libertatis neceſſario reſultat malitia formalis. Secundo poteſt intelligi aliquid eſſe cauſam per accidens, quatenus influat in illud ex aliena determinatione, & contra propriam inclinationem. Dicimus ergo primum modum cauſandi per accidens peccatum repugnare Deo, quia eſt interpretatiuè illud velle. At vero ſecundo modo cauſare per accidens peccatum, non dedecet Deum, cum non excedat cauſalitatem permiſsiuam. Cæterum ex noſtro modo explicandi concurſum indifferentem infertur hic ſecundus modus; minimè autem ille primus.

27 Ob. 3. Si Deus concurreret ad peccatum, Deus adiuuaret ad peccandum. Repugnat Deo adiuuare ad peccãdum, & eſſe cooperatorem, & complicem peccati. Ergo nullo modo poteſt Deus concurrere ad peccatum. Reſpondeo Deum in noſtro caſu adiuuare ad peccandum permiſsiuè ex determinatione alterius, & contra propriam inclinationem; hoc autem modo adiuuare non repugnat Deo. Repugnaret autem adiuuare, vel ex propria determinatione, ſiuè inclinatione: vel aliter, quam purè permiſsiuè.

28 Ob.4. Omnis actio procedens à Deo immediatè eſt libera Deo, & à Deo vt volente procedit. Ergo à Deo vt authore,

Antecedens variè probatur. 1. Quia Deus nihil agit niſi per intellectum, & voluntatem: quod quidem in opere contingente eſt agere liberè. 2. ex illo ſapientiæ 11. *Diligis omnia, quæ ſunt & nihil odiſti eorum quæ feciſti: neque enim odiens aliquid conſtituiſti, & feciſti.* 3. Nam ſi Deus concurſum in actu ſecundo præſtaret non volens ipſum, ſed nolens, non rectè ageret, ſed malè: ille enim malè agit, cui iure diſplicet egiſſe. Iure autem diſplicet Deo egiſſe, ſi nolenter egit.

29 Reſpondeo omnem actionem immediatè procedentem à Deo debere eſſe à Deo volente, vel poſitiuè, vel permiſſiuè, non tamen à Deo volente determinatè poſitiuè. Neque illa actio, qua concurrit ad peccatum eſt immediatè libera Deo; ſed tantum mediatè in præparatione indifferente concurſus: neque mediatè electiuè, ſed permiſſiuè. Quare Deus non ſemper agit per voluntatem intentiuam illius, quod agit; ſed per voluntatem, vel intentiuam, vel permiſſiuam. Cum autem id ſolum, quod exiſtit vi voluntatis electiuæ Dei, dicatur à Deo ſimpliciter *factum, & conſtitutum*: ideo dicitur in Scriptura Deus non odiſſe, ſed potius amare ea, quæ ſunt, non vt cumque, ſed facta, & conſtituta à Deo: id enim ſignificant illa verba. *Neque enim odiens aliquid conſtituiſti, & feciſti.* Ad 3. quod additur, nempe Deum malè agere, ſi faciat id, quod factum diſplicet, reſpondetur hoc principium verum eſſe de eo, qui facit ex propria determinatione; non de faciente ex determinatione alterius, ad quam ſolum concurrit permiſſiuè ex munere proprij officij.

30 Ob. 5. Deus nihil agit, quod non agat propter vltimum finem. Ergo ſi Deus ponit (licet determinatus ab alio) actionem peccati, illam ponit propter ſe, tanquam propter vltimum finem. Ergo Deus amabit actionem ipſam peccati propter ſe ipſum, tanquam propter finem: quod quidem inuoluit amare peccatum. Conſequentia probatur. Ponere aliquid propter finem, eſt illud eligere, & amare propter finem. At Deus ponit actionem peccati propter finem. Ergo illam amat, & eligit propter finem. Reſpondetur ſolum fieri propter finem id, quod propriè cauſatur. Quod vero ſolum fit permiſſiuè, non fit à Deo propter finem, niſi forſam impropriè, quatenus permiſſio, ſeu applicatio indifferens omnipotentiæ fit propter finem. Ex quo non deducitur Deum amare peccatum propter finem; ſed Deum velle permiſſionē propter finem.

31 Ob. 6. Non minus recta, & ſancta eſt omnipotentia

Dei,

Dei, quam voluntas. Sed hæc propter ſuam ſanctitatem neque ex determinatione creaturæ poteſt ferri in malitiam peccati affectiuè. Ergo neque omnipotentia poteſt ferri effectiuè in malitiam peccati, adhuc ex determinatione alterius.

32 In primis inſtatur argumentum in ſanctitate intellectus diuini, æternitatis, & immenſitatis, aliorumque attributorum, quæ attingunt immediate malitiam peccati apud omnes; cũ apud nullum attingat voluntas. Pariter ergo eſt diſparitas de omnipotentia.

Reſpondeo deinde diuerſam eſſe rationem inter voluntatem ex vna parte, & reliqua attributa ex alia, v. g. intellectum, & omnipotentiam: munus enim proprium ſanctitatis eſt auertere affectum à malitia, & ab omni influxu, qui interventu talis affectus præſtandus eſt. Non autem eſt munus ſanctitatis auertere ab operatione aliorum attributorum. Ergo ſpecialiter recta voluntas debet auerti à peccato, qua ratione non debent reliqua attributa.

33 Ratio huius eſt: quia bonitas, & malitia, conſtituuntur per ordinem ad amorem, & odium; non per ordinem ad exercitia aliarum potentiarum. Quare, ſi formaliter loquendum ſit, intellectus non eſt ſanctus; ſed clarus, & verus: omnipotentia etiam, formaliter vt talis, non eſt ſancta; ſed maximè potens: quia ſanctitas formaliter, quatenus ſolum dicit rectitudinem operandi, ſolum eſt per ordinem ad bonum, & malum, vt talia. Cumque vt talia reſpiciant amorem, & odium: ideo ſanctitas, quatenus dicit rectitudinem operandi, & quatenus actiua ſanctitas eſt, ſolum eſt per ordinem ad amorem, & odium.

34 Ob.7. Malitia formalis peccati non dicit perfectionẽ. Ergo, neque adhuc phyſicè, & determinatus à creatura, poteſt in eam Deus influere. Antecedens videtur certum: id enim, quod in ſuo conceptu malum, & dignum odio eſt, non inuoluit perfectionem, cum perfectio, ſeu bonitas, idem ſint cum amabilitate. Conſequentia probatur. Eatenus Deus debet influere in res creatas, quatenus ad ſuam perfectionem ſpectat nullam bonitatem, ſeu perfectionem eſſe, à Deo non dimanantem. Ergo vbi nulla fuerit perfectio, non eſt ratio exigens concurſum diuinũ. Si ergo formalis malitia caret perfectione, carebit titulo exigente diuinũ concurſum.

35 Reſpondeo obiectum omnipotentiæ non eſſe duntaxat bonum morale, verumetiam bonum phyſicum, ſeu tranſcẽdentale:

quod quidem ad ſuæ bonitatis rationem non exigit amabilitatem iuxta regulas rationis; ſed ſolum poſſe abſolutè amari. Cum antē quodlibet ens reale habeat aliquam rationem potentem mouere ad amorem, licet hoc non ſit iuxta regulas rationis: hinc fit quodlibet obiectum reale habere dignitatem phyſicam, licet non moralem, ad amorem terminandum. Quare, licet non morale, bonum tamen phyſicum eſt quodlibet ens poſitiuum.

36 Ob. 8. Si Deus concurrat ſimultaneè cum creatura, licet ab illa determinatus, ad totum quod dicit peccatum, Deus amabit peccatum. At hoc implicat. Ergo, & quod Deus determinatus à creatura concurrat ad totum, quod dicit peccatum. Probatur maior. Si Deus ita concurrit, concurſus Dei in actu ſecundo erit peccatum dependens indiuiſibiliter à Deo, & creatura. At Deus amat ſuum concurſum in actu ſecundo. Ergo, & peccatum. Maior eſt certa iuxta noſtra principia, & conſequentia eſt legitima, Minor probatur primo: quia hic concurſus eſt ens poſitiuum. Ergo bonum, & amabile.

37 Secundo præcipuè. Deus poteſt amare illud opus, per quod ſe exercet honeſtè, & laudabiliter. Sed per concurſum in actu ſecundo ſe exercet honeſtè, & laudabiliter. Ergo Deus poteſt amare ſuum concurſum in actu ſecundo. Probatur minor. Deus nihil poteſt agere, niſi honeſtè, & laudabiliter, vtpote qui eſt laudabilis in omnibus operibus ſuis. Ergo Deus per concurſum in actu ſecundo ſe exercet laudabiliter.

38 Confirmatur. Deus honeſtiſsime poteſt velle adimplere munus cauſæ primæ. Sed concurrere ad peccatū eſt adimplere munus cauſæ primæ. Ergo Deus poteſt decentiſsimè velle concurſum in actu ſecundo ad peccatum.

39 Reſpondeo negando primam maiorem. Ad eius probationem nego minorem. Ad primam huius minoris probationē, conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens. Ergo hic concurſus eſt ens bonum, & amabile: prout ens bonum, & amabile, dicit integritatem prædicatorum, & capacitatem, vt ametur, ſiuè honeſtè, ſiuè in honeſtè, concedo: prout ens bonum, & amabile, dicit ius morale ad amorem, ſiuè capacitatem, vt ametur honeſtè, nego conſequentiam. Ad ſecundam probationem, conceſſa maiore, nego minorem. Ad huius probationem diſtinguo antecedens. Deus nihil poteſt agere per ſe, & ex propria determinatione, niſi honeſtè, & laudabiliter, concedo: per accidens, & ex aliena determinatione, nego antecedens: in his enim operationibus non eſt neceſſario lau-

dabi-

dabilis: nam hæ operationes abſolutè, & ſimpliciter, non ſunt operationes Dei.

40 Ad confirmationem reſpondeo eodem modo diſtinguendo maiorem. Deus honeſtiſsimè poteſt velle adimplere munus cauſæ primæ: quando adimpletionem ponit ex propria electione, determinatione, aut inclinatione, concedo: quando eam ponit purè permiſsiuè, ex alterius determinatione, & præter inclinationem: nego maiorem. Et diſtinguo ſimiliter minorem: concurſus in actu ſecundo eſt adimpletio muneris cauſæ primæ poſita ex propria electione, aut inclinatione, nego: ex alterius determinatione, & præter intentionem, concedo minorem. Et nego conſequentiam.

41 Ob. 9. Deus amat poſitiuè, & ponit totam libertatem ad peccandum. Ergo amat, ſaltem diſiunctiuè, peccatum. Conſequentia probatur. Qui amat, & ponit neceſsitatem diſiunctiuam duorum extremorum, amat diſiunctiuè illa extrema. Sed Deus amando libertatem ad peccandum, amat, & ponit neceſsitatem diſiunctiuam peccandi. Ergo amat diſiunctiuè peccatum. Probatur maior. Qui amat, & cauſat neceſsitatem determinatam peccati, amat determinatè peccatum, ſaltem interpretatiuè. Ergo qui amat, & cauſat neceſsitatem diſiunctiuam peccati, amat diſiunctiuè peccatum, ſaltem interpretatiuè.

42 Reſpondeo eum, qui neceſsitat determinatè ad vnū extremum, dici amare æquiualenter illud extremum: quia amor efficax neceſsitatis determinatæ extremi. A. v. g. æquiualet amori efficaci extremi. A. in ordine ad cauſandam exiſtentiam extremi. A. licet non æquiualeat in ordine ad alia munera. Quapropter amor efficax neceſsitatis determinatæ extremi A. non eſt dicendus in diſcriminatim æquiualere amori efficaci extremi. A. ſed determinando munus, in quo illi æquiualet, nempe in ordine ad cauſandam exiſtentiam extremi. A. quia perinde cauſat extremum A. amor efficax neceſsitatis determinatæ illius, ac amor efficax illius.

43 Cæterum amor efficax neceſsitatis vagæ peccandi non æquiualet amori vago peccandi modo, quo Deum dedeceat: quia neque æquiualet in munere tendendi affectiuè in ea extrema: quia non ita tendit: nec æquiualet in munere cauſandi, non enim datur tale munus in amore vago duplicis extremi. Quia hoc, quod eſt cauſare, ex conceptu ſuo habet non eſſe influxum vagum, ſed determinatum. Solum ergo amor efficax neceſsitatis vagæ æqui-

uale-

uialebit amori vagò efficaci peccati in munere determinādi vagè. At vero determinare vagè ad peccandum, vel liberè non peccandum, non dedecet Deum. Itaque amor efficax neceſsitatis determinatæ peccati æquiualet amori efficaci peccati in munere turpi cauſandi peccatum: quod munus reperitur in amore efficaci peccati. At vero efficax amor neceſsitatis diſiunctiuæ non æquiualet amori efficaci diſiunctiuo peccati in hoc munere turpi, quia non datur tale munus in amore vago peccati. Quapropter in nullo munere turpè amor efficax neceſsitatis vagæ peccandi æquiualet amori vago peccati.

44 Hinc ad argumentum in forma: conceſſo primo antecedenti, nego conſequentiam. Ad huius probationem: nego maiorem: & ad huius probationem: diſtinguo antecedens. Qui amat efficaciter neceſsitatem determinatam peccati, amat interpretatiuè, & æquiualenter peccatum: æquiualentia in ordine ad cauſandum peccatum, concedo: in ordine ad omnia alia munera amoris peccati, nego antecedens. Et deinde diſtinguo conſequens. Ergo qui amat efficaciter neceſsitatem vagam peccati, amat æquiualenter vagè peccatum in ordine ad cauſandum peccatum, nego ſuppoſitum: quia amor vagus peccati non eſt cauſa peccati: in ordine ad munus determinandi vagè ad peccatum, concedo conſequentiam.

SECT. III.

Quæ ſit tendentia decreti applicantis omnipotentiam?

45 Difficultas in aſsignanda præparatione indifferenti concurſus diuini oritur ex pluribus capitibus: nam, licet Deus ad actum peccati phyſice concurrat; illud tamen nequit, vel inefficaciter velle. Quapropter decretum omnipotentiæ applicatiuum nequit velle omnem concurſum actualem diuinum. Ex hoc capite diſplicet ſententia P. Molina aſſerentis præparationem indifferentem concurſus ad omnes actus liberos, ſiuè bonos, ſiuè malos, fieri per decretum vagè tendens in hæc extrema, conſentaneeque docentis indifferentiam voluntatis ad conſenſum præceptum, vel diſſenſum prohibitum, conſtitui per decretum diuinum tendens hac ratione: *decerno quod Petrus eliciat conſenſum præceptum, vel diſſenſum prohibitum.* Quo planè concedit poſt Deum

pro-

proſequi peccatum affectu disiunctiuo: quod nos ex ipſis terminis diuinam bonitatem dedecere exiſtimamus.

46 Præterea neque facile percipitur hæc applicatio per decretum tendens hac ratione: *volo concurrere cum creatura, ſi ſe determinauerit*: quæ videtur eſſe communior explicatio. Non inquam facile percipitur: tum quia hoc decretum proſequeretur cōcurſum actualem ad peccatum pro caſu, quo creatura ſe determinaret: omnis autem peccati amor, adhuc conditionatus, debet eſſe procul à Deo. Tum quia hęc tendentia eſſet inutilis, cum decerneret id ipſum, quod neceſſarium eſt, nempe concurrere Deum ex ſuppoſitione, quod creatura ſe determinet. Nequit autem cadere ſub decreto prudenti veritas neceſſaria.

47 Dices hanc tendentiam non eſſe propriè conditionalem, ſed quaſi conditionalem: quia licet quoad ſpeciem tendat modo conditionato; re tamen vera tendit tum modo abſolute inefficaci, tum etiam modo negatiuo efficaci abſoluto exceptiuo: quæ tendentiæ ſub his terminis explicantur. *Volo inefficaciter opus creaturæ, efficaciter tamen nolo quod fiat me non concurrente.* Cæterum hoc longè difficilius percipitur: tum quia ille amor inefficax, ſi tēderet etiam in actum prauum; eſſet aliqualis amor peccati, ſi vero non tenderet, inexplicatum remaneret qua ratione omnipotentia conſtitueretur proximè indifferens ad phyſicè concurrendum ad actum peccati. Tum quia ille actus negatiuus eſſet de obiecto impoſsibili: quia impoſsibile eſt hominem ſe determinare Deo non cōcurrente. Sicut ergo repugnat ſerio decernere quod detur obiectum neceſſarium, iuxta repugnat ſerio decernere ne detur obiectum impoſsibile. Quam obrem remanet difficultas, quæ vitari debebat.

48 Deinde ægrè admodum explicatur hæc omnipotentiæ applicatio per decretum, quod in recto, vel in obliquo tendat in actum vt liberum. Hoc dico propter non nullo RR. qui ſibi videntur facilè huic difficultati reſpondere aſſerendo decretum applicatiuum omnipotentiæ nihil aliud eſſe, quam voluntatem, qua Deus vult, ne deficiat ex parte ſua concurſus ad peccatum: rurſuſque interrogati quod ſit huius decreti obiectum, vel quid contineatur ſub illis terminis *non deficere ex parte Dei concurſum ad peccatum*, reſpondent hoc decretum ſupra ſe ipſum reflectere, & ſe ipſum velle: cum enim ſit ſe ipſo applicatio omnipotentiæ, velle Deum omnipotentiam applicare, nihil aliud erit, quam hoc decretum velle ſe ipſum.

49 Ne

49 Nec reflexionem huius decreti ſupra ſe ipſum nego: neque dubitari poteſt, quin hoc decretum velle ſe ipſum ſit velle applicare omnipotentiam: quando quidem in ipſo decreto omnipotentiæ applicatio conſiſtit. Dico nihilominus non explicari naturam huius decreti, niſi aliud addatur: reflexio enim ſupra ſe ipſum in ſufficiens eſt, cum omnia decreta ſupra ſe ipſa reflectant, & tamen applicatio omnipotentiæ non ſint. Deinde aliam debet habere tendentiam præter eam, quæ explicatur his terminis *volo me ipſum*: hanc ergo inueſtigamus minimeque explicatur per voluntatem tendentem in actum vt liberum: quia cum libertas vltra cogitationes addat applicationem omnipotentiæ: idem eſt inueſtigare quid ſit illa applicatio, ac quærere quid dicat libertas in ſuo conceptu vltra iudicium indifferens. Idem ergo dubium, quod eſt circa conſtitutiua libertatis, pariter eſt circa intelligentiam obiecti decreti decernentis libertatem. Ergo prius eſſe debet noſcere quid ſit libertas ſecundum omnia ſua conſtitutiua, quam ſcire quod ſit obiectum actus volentis libertatem: conſequenterque explicare decretum applicatiuum omnipotentiæ per tendentiam in actum vt liberum, minime eſt adhibere explicationem; ſed dubiũ iterare.

50 Ob hanc rationem non ſatis mihi videtur explicari omnipotentiæ applicatio per voluntatem ſemi efficacem actus boni mediam inter efficacem, & omnino inefficacem, quatenus ex illa maneat Deus neceſsitatus ad ponenda media ſufficientia ad huiuſmodi actum. Hoc in quam non ſufficit: quia hic amor actus boni ſemi efficax, vel tendit in actum bonum ſecundum ſe, præſcindendo à libero, & neceſſario, vel tendit in actum bonum, reduplicatiuè vt liberum. Primum non ſufficit. Secundum non ſatisfacit difficultati. Ergo,

51 Minor per partes probatur. Si decretum illud ſemi efficax tantum reſpiciat actum ſecundum ſe, quamvis ex eo non inferatur Deum teneri ad ponenda media neceſsitancia infallibiliter ad conſenſum, ſed ſolum ad ponenda media ſufficientia. Attamen non eſt contra illam ſemi efficaciam neceſsitare de facto ad huiuſmodi actum: quando quidem ſufficientia ad actum ſecundũ ſe non inuoluit carentiam neceſsitatis. Ergo non manet omnipotentia applicata ad actum, & carentiam actus. Patet conſequentia: quia indifferentia poſitiua ad duo extrema excludit neceſsitatem vnius. Si ergo hæc ſemi efficacia non excludit neceſsitatem ad actum, non erit indifferentia poſitiua ad actũ, & ejus carentiã.

52 Di

52 Dicere autem illam volitionem ſemi efficacem tendere in actum bonum vt liberum, erit dicere tendere in actum poſitū cum cogitationibus alliciente, & retrahente, & cum decreto applicante indifferenter omnipotentiam. Hoc ergo eſt quæſtio, quæ non repeti, ſed diſſolui oportebat.

53 Ideo cum alijs noſtræ Societatis recentioribus ſentio applicationem omnipotentiæ nihil aliud innoluere vltra cogitationes allicientem, & retrahentem, quam decretum excludens quamlibet neceſsitatem poſitiuam ad aliquod ex his extremis. Declaratur. Deus poteſt poſitiuè neceſsitare ad amorem ponendo phyſicam qualitatem in voluntate connexam cum conſenſu, vel etiam concipiendo liberè aliquod decretum efficax conſenſus omnino independens à conſenſu: cum enim ſit neceſsitas illius, quod decernit, minimèque cõſenſui, aut diſſenſui ſubdatur (cum ab vno & altero omnino ſit independens) erit neceſsitas ineuitabilis. Dicimus ergo omnipotentiam non indigere alia ſui applicatione, quam excluſione tum prædeterminationis, tum decreti efficacis vnius extremi, ab illo extremo omnino independentis.

54 Ex qua doctrina colligitur Deum determinare ad indiuiduationem actus reddendo impoſsibilia alia extrema diſtincta, tum à conſenſu A, tum à diſſenſu A: hocque Deum exequi nolēdo efficaciter quælibet alia extrema. Qua nolitione efficaci exiſtēti independenter omnino à carentia eorum extremorum, redduntur impoſsibiles illi actus, & neceſſaria eorum carentia. Quo fit ſolum remanere in homine poteſtatem liberam, & expeditam ad cõſenſum A, & ad diſſenſum A.

55 Obijcies 1. aduerſus hanc explicationem decreti indifferentis, ſiuè applicationis omnipotentiæ. Deus nō purè permiſſiuè ſe habet circa noſtra bona opera, ſicuti ſe habet circa praua. At, iuxta hunc modum applicandi omnipotentiam, Deus purè permiſsiuè ſe habet circa noſtra bona opera, eodem prorſus modo, ac circa mala. Ergo non rectè omnipotentiæ applicatio explicatur. Maior eſt certa. Minor probatur. Deus eodē prorſus modo iuxta hanc ſententiam ſe haberet circa actum turpem, ac circa actum bonum: ſiquidem neque vnum, neque alium poſitiuè proſequeretur: deindeque vnius, & alterius neceſsitatem excluderet. Ergo Deus, iuxta hunc modum applicandi omnipotentiam, purè permiſsiuè ſe habet circa noſtra bona opera, eodem prorſus modo, ac circa praua.

56 Reſpondeo ex pluribus capitibus poſſe Deum dici

autho-

authorem boni operis, & non purè permiſsiuè circa illud ſe habe-re: tum quia conferens auxilium, illud confert intendendo opus bonum: qua ratione non ſe gerit, dum cauſat cognitionem retrahentem: tum quia principium actus boni, quod per ſe influit in actum, nempe gratiam ſupernaturalem, operatur Deus vt author ſupernaturalis: tum quia ipſa excluſio neceſsitatis cuiuslibet ex extremis identificat ſecum amorem inefficacem actus boni; ſecus actus mali. Tum denique quia hæc omnipotentiæ applicatio, ſimul cum reliquis conſtitutiuis libertatis, decernuntur à Deo per decretum habens pro fine bonum opus. Suppetunt ergo tituli, quibus Deus author ſit boni operis, & purè permittat peccatum.

57 Ob. 2. Hoc modo videmur nos non indigere applicatione poſitiua omnipotentiæ; ſed tantum negatiua, quatenus non reddente impoſsibile vllum extremũ libertatis. Hoc autem videtur eſſe contra communem ſententiam: ſemper enim dicitur Deus applicare ſuum omnipotentiam; non vero dicitur præciſè non impedire: imò vt deſtruatur, & in nihilum abeat quælibet creatura, dicitur ſufficere negatio concurſus. Ergo non dicendum eſt applicationem fieri per carentiam neceſsitatis poſitiuæ; ſed conſiſtere in eo, quod Deus poſitiuè applicet ſuam omnipotentiam.

58 Hæc obiectio parum vrget. Etenim concedimus contra Durandum, & alicias, Deum immediatè concurrere ad omnes effectus creatos: item applicationem omnipotentiæ conſiſtere in aliquo exercitio diuino libero, ita vt habeat Deus libertatem ad applicandam, vel non applicandam omnipotentim ea ratione, qua quilibet effectus, quantumuis liber, diuinæ omnipotentiæ ſubijcitur. An vero hoc conſiſtat vltra collationem cogitationum, in aliqua voluntate poſitiua, vel in pura carentia decreti neceſsitantis (dato quod pura omiſsio libera Deo poſsibilis ſit) ſub lite eſt: quare poteſt vtrumque defendi. Argumentum deſumptum à modo loquendi debiliſsimum eſt, cum ſolum licentiæ vocũ innitatur. Adde probabilius nobis eſſe repugnare Deo puram omiſsionem liberam. Quapropter excluſio decreti neceſsitantis erit aliud poſitiuum decretum: quo fiet Deum non negatiuè, ſed poſitiuè, ſuam omnipotentiam applicare.

59 Ob. 3. Poſito iudicio indifferente, & carentia phyſicæ qualitatis prædeterminantis (in ſententia admittente puram omiſſionem liberam in Deo) poterit Deus non concurrere, quin habeat aliquem actum, quo nolit concurrere. Ergo vt Deus ſit paratus ad concurrendum debet intelligi poſitiuè volens concurrere.

60 Reſ-

60 Reſpondeo, poſito iudicio indifferente, & carentia qualitatis prædeterminantis, poſſe quidem Deum non parare concurſum, non præciſſe per puram carentiam; ſed poſitiue determinando per ſuum decretum ad aliquod ex illis extremis. Supponere autem poſſe Deum negare concurſum, ſtante iudicio indifferente, per carentiam præciſſe alicuius, quod dicitur in hoc, quod eſt *præparare* vltra iudicium indifferens, eſt ſupponere probandum; cum noſtra concluſio ſit non aliter Deum, poſito iudicio indifferente, poſſe negare concurſum, quam poſitiuè neceſſitando.

QVÆST. IX.

Vtrùm poſſit admitti decretum comitans á Scientia Media independens: ratione cuius Deus, & liberum arbitrium creatum, mutuo determinentur?

HVius dubij exactum examen plurimum vtilitatis ad totum de Prædeſtinatione tractatum afferet; ideo placuit illud ex profeſsó diſcutere.

SECT: I.

Explicatur hoc decretum.

1 P. Doctor Gaſpar de Ribadeneyra tract. de Prædeſtin. diſp. 10. aſſerit, ſuppoſito ſigno poteſtatis liberæ Petri ad conſenſum, & diſſenſum, vt Petrus de facto eliciat conſenſum, requiri decretum efficax diuinum de huiuſmodi conſenſu: quod decretum non antecedat; ſed comitetur omnino ſimultaneè conſenſum Petri. Hoc decretum non dirigitur aliqua Scientia Media iuxta hunc authorem; ſed Deus inſtructus, tum ſcientia naturali: tum ſcientia viſionis libertatis Petri, illud concipit. Neque hoc decretum, tametſi cum conſenſu connectatur, influit in conſenſum per modum principij, ſed cauſalitatis, qua Deus redditur actu cauſans conſenſum.

2 Itaque hoc decretum, iuxta hunc authorem, hæc habet prædicata. Primo requiri eſſentialiter ad conſenſum, ratione cuius

prædicati conſenſus connectitur eſſentialiter cum illo. Secundo, connecti ipſum decretum cum conſenſu, quia eſt decretum intrinſecé, & eſſentialiter efficax. Tertio non eſſe antecedens, ſed comitans, quia hæc connexio non eſt per modum influxus decreti in conſenſum; licet ſit per modum influxus Dei in ipſum conſenſum: hoc eſt non eſt hoc decretum *quod* influit; ſed *quo* Deus influit in conſenſum. Quarto, ita ſimul natura exiſtere hoc decretum cum conſenſu, vt Deus per hoc decretum determinet creaturam ad conſenſum, & creatura per conſenſum determinet Deum ad decretũ. Quapropter, & quando de facto datur conſenſus datur mutua determinatio: & antecedenter ad conſenſum datur in vtroque plena libertas, cum & Deus creaturam ad conſentiendum, & creatura valeat Deum determinare ad decernendum.

3 Cæterum ad diſſenſum peccaminoſum non requirit; imò impoſsibile arbitratur hic author decretum aliquod, adhuc quoad materiale peccati. Sed aſſerit tunc creaturam ſe ſola ponere diſſenſum, permittente Deo quod illud ponat: non quia Deus determinatus à creatura concurrat ad diſſenſum; ſed quia ipſi creaturæ permittit quod ſe ſola diſſenſum eliciat, neque quia Deus liberè eligat carentiam ſui decreti requiſiti ad conſenſum; ſed quia Deus ſe permittit creaturæ, vt ab ipſa impediatur, quo minus decretum concipiat. Imó neque, adhuc (iuxta hunc authorem) Deus determinatus à creatura ponit carentiam decreti; ſed nullo modo eiuſmodi carentia à Deo dependet, neque vt à determinante ſe, neque vt à determinato à creatura: quia carentia decreti, neque eſt aliquid negatiuum, cum apud hunc authorem excluſiua negatiua non dentur; neque aliud decretum, quia eſſet liberum. Primaria ergo carentia illius decreti de conſenſu eſt in hac ſententia ipſe diſſenſus creaturæ. Cumque diſſenſus nullo modo, iuxta hunc authorem, quoad efficaciam, & de facto, dependeat à Deo: inde fit primarium excluſiuum huius decreti nullatenus à Deo dependere, quamvis ſecundarium excluſiuum, ſeu contradictorium, nempe ſcientia viſionis de diſſenſu Deo inſit per creaturæ determinationem.

4 Hæc ſententia acumine, & ingenio plena eſt; veritate tamen vacua: ab ſchola Societatis non parum exorbitans, & ſolido fundamento non ſatis innixa. Falſã eſſe, & à doctrina Societatis deuiare, nonnullis argumentis oſtendere conabor. Debilitatem autem fundamenti, cui innititur, in argumentorum ſolutione oſtendam. Decretum comitans, tametſi aliter, & aliter explicatũ,

pro-

propugnãt P. Vazq. tõ.1.p diſp.99.n.43.& 44. P. Gaſpar Hurt. diſp.5.de Præd.diffic.12. P. Alarc. P. Arrub. P. Dicaſtillo, Bellarmin. Almainus, Alex. D. Bonau. Diotalenius, & Smiſingus apud Ribadeneira de Præd. diſp. 10. cap. 1. Idem docet P. DerKenis de Deo diſp.11.cap.3. Montepeloſo 1.p. tom.2 diſp.47. art. 4. Pontius in Philoſoph. diſp.6. quæſt.8.n.600.

SECT. II.

Oſtenditur repugnantia huius decreti.

5 IMplicat duo agentia mutuo ad inuicem determinari. Ergo implicat decretum comitans, per quod Deus, & creatura, mutuò ſe determinent. Probatur antecedens. Primo ab authoritate Clementis Romani, D. Thomæ. D. Anſelmi, & aliorum aſſerentium agens liberum de ratione talis habere à ſe ſolo, & non ab alio determinari ad ſuum opus liberum. Ergo vnum agens liberum nequit ab alio determinari. Antecedens conſtat ex textibus allegatis cõtra prædeterminantes ſupr. quæſt 6. ſect. 2. à num. 20. vſque ad 41. præſertim n. 20. & n. 35. & reliquis vſque ad 40.

6 Probatur à ratione. Dominium perfectum in ordine ad aliquam actionem liberam opponitur cum ſubiectione phyſica in ordine ad eamdem actionem. Sed poteſtas determinandi conſenſum Petri immediate eſt verum dominium phyſicum, & perfectum, circa conſenſum Petri. Deinde neceſſaria determinabilitas ab alia cauſa libera in ordine ad eumdem conſenſum eſt vera ſubiectio phyſica in ordine ad prædictum conſenſum. Ergo poteſtas determinandi conſenſum, & neceſſaria determinabilitas ab alia cauſa libera in ordine ad eumdem conſenſum opponuntur inter ſe. Conſequentia eſt legitima. Minor videtur euidens: ſubijci enim cauſam A alteri poteſtati liberæ v. g. cauſæ B in ordine ad aliquẽ effectum, nihil aliud eſt, quam ita eſſe cauſam A ſub poteſtate libera cauſæ B in ordine ad illud opus, vt cauſa A nequeat tranſgredi determinationem liberam cauſæ B. Si enim cauſa B. ita habet in ſua poteſtate effectum cauſæ A, vt poſsit determinare cauſam A vt eliciat ſuum effectum, & cauſa A nequeat ponere illum, niſi determinante cauſa B. cauſa A. ſubijcietur cauſæ B. in ordine ad prædictum effectum: quid enim eſt aliud ſubiectio phyſica, quam phyſica neceſsitas conformandi ſe determinationi alterius? Sicut

enim ſubiectio moralis per moralem obligationem huiuſmodi neceſsitatis explicatur: pari ratione ſubiectio phyſica per phyſicam conformitatis obligationem debet explicari.

7 Maior illa, videlicet dominium verum, & veram ſubiectionem alteri cauſæ, opponi inter ſe, adeo mihi videtur clarum, vt huius principij veritatem aliter quam terminorum explicatione probare non ſperem. Explico ergo. Dominium phyſicum phyſicæ libertatis cauſæ A v. g. ſubijcit Domino, & agenti libero, hoc eſt cauſæ A, exiſtentiam, & nõ exiſtẽtiam illius operationis, prout illa operatio poteſt exiſtere à parte rei. Cum autem nequeat aliter exiſtere, quam dependenter à cauſa B. v. g. illa operatio, adhuc prout dependens à cauſa B, ſubijcietur dominio, & poteſtati cauſæ A. Ergo ſubijcietur etiam dominio cauſæ A, quòd illa operatio dependeat à cauſa B. At quod ipſum dependere à cauſa B. ſubijciatur cauſæ A, tollit quod ipſum dependere à cauſa B. ſit plenè pro dominio cauſæ B. Ergo eſſe plenè pro dominio vnius cauſæ pugnat cum ſubiectione ad alteram.

8 Confirmatur, ſeu explicatur iterum. Subijci alteri in ſua ratione formali dicit inferioritatem in ordine ad id, ad quod ſubijcitur. Habere ſibi ſubiectum alterum dicit ex ſuo conceptu formali ſuperioritatem in ordine ad id, ad quod alterum ſibi ſubijcitur. At ſuperius, & inferius, reſpectu eiuſdẽ, & in ordine ad idẽ, implicationẽ involuit. Ergo, & *ſubijcere, & ſubijci. Determinare*, & *determinari* in ordine ad idem involuet implicationem.

9 Hinc accipitur ratio, quare rectè probet argumentũ Patrum ad oſtendendum vnicum eſſe Deum, & non plures: videlicet quia ex diuerſitate libertatum infertur poſſe vnum Deum oppoſitum illius, quod vellet alter Deus. Quæ ratio omnino inefficax eſſet, ſi poſsibilitas mutuæ determinationis admitteretur: poſſet enim facilè reſponderi vtrumque Deum habere talem voluntatum ſympatiam, vt neceſſario quidquid vnus vellet, & determinaret liberè, id ipſum alter Deus vellet, & eligeret. Vt ergo ratio Patrum efficaciam habeat, debet mutua determinatio repugnare; aliter enim neque repugnantia plurium Deorum, neque imperfectio ſuarum voluntatum ſatis oſtenderetur.

10 Reſpondet P. Ribadeneira fieri ſatis rationi Patrum ex eo, quod imperfecta foret voluntas, quæ nihil poſſet velle ſe ſola determinante: quin requiratur implicatio in libertate talis naturæ ex prædicato libertatis prout à diuina, & humana præſcindentis. Cum autem ex imperfectione inferatur in diuinis

repug-

repugnantia: inde fit repugnare Deum nihil poſſe liberè eligere, niſi illo coeligente; non autem implicare creaturam, quæ huiuſmodi libertatem duntaxat habeat.

11 Sed contra. Perfectio dominij ex eo debet æſtimari, quod maiori, vel minori facilitate, maiori, vel minori reſiſtentia poſsit operari: ita vt tunc ſit perfectiſsima libertas, quando nulla difficultate, nulla reſiſtentia, nullaque ſuppoſitione non dependenti à ſuo libero arbitrio, impedire, retardari vè poſsit, quo minus ſe determinet. Porrò, ſi ita ſit liberum alicui ponere extremum B, vt nulla difficultas, aut reſiſtentia vincenda ſit: nullaque aliena determinatio ſit expectanda: nullumque detur, dari ve poſsit impedimentum, neque adhuc retardans, niſi conſequens ipſam liberam determinationem: hoc agens in hoc caſu perfectiſsimè liberè operaretur. Sed ita ſe haberent plures Dij. Ergo nihil detraheretur eorum dominio, quamvis non aliter exerceri liberè, niſi mutuo determinati, valerent.

12 Confirmatur iterum expẽdendo, quo modo PP. ad excludendam Deorum pluralitatem argumentantur. Non enim argumentum deſumunt ex eo, quod voluntates mutua determinatione indigentes imperfectionem vtcumque involuerent; ſed ex eo quod voluntates diuerſæ, cum diuerſa gauderent libertate, oppoſita poſſent liberè eligere. Ergo Patrum argumentum non ſumit pro antecedente neceſsitate ſimultaneæ determinationis, vt exinde inferant imperfectionem, poſteaque repugnantiam in Deo. Sed ex voluntatum diuerſitate colligunt poſſe oppoſitas determinationes concipere: ex quo imperfectionem deducunt: & tandem repugnantiam euincunt. Quod ita Patrum argumẽtum procedat, conſtat, tum ex ipſis: tum ferè ex omnibus ſcholaſticis, dum multiplicitatem Deorum contra Gentiles reijciunt.

13 Impugnatur 2. hoc decretum. Prædictũ decretum, quod ab aduerſarijs comitans appellatur, non poteſt non eſſe immediatè antecedens, & tollens libertatẽ. Ergo nequit dari tale decretũ. Probatur antecedens. Quidquid præcedit immediate, & neceſſario, ad conſenſum, & cõnectitur intrinſecè, & eſſentialiter cũ conſenſu, tollit libertatẽ. Sed hoc decretũ præcedit immediatè, & neceſſario, ad conſenſum. Ergo tollit libertatẽ illius. Conſequẽtia eſt legitima, & maior certa iuxta doctrinã Societatis, iuxta quã loquimur in tota hac quæſtione. Minor igitur, in qua eſt difficultas, probatur. Hoc decretũ, iuxta P. Ribaden. quod modo impugnamus, eſt productio actualis, qua Deus ponit in rerũ natura con-

tatem in conſenſu humano, prout à decreto Dei diſtincto. Ergo decretum præcedere debet conſenſum humanum. Minor, in qua eſt difficultas, probatur. Immediatum exercitium potentiæ volitiuæ eſt velle, vel id, quo formaliter voluntas denominatur volens, ſiue actu amans. At conſenſus humanus, neque eſt velle Dei, neque aliquid ingrediens formaliter denominationem volentis: ſupponitur enim ab hoc authore denominationem volendi in Deo diſtingui adæquatè ab obiecto volito. Ergo conſenſus humanus nequit eſſe immediatum exercitium voluntatis diuinæ.

17 Confirmatur. Prius eſt voluntatem diuinam decernere, quam omnipotentiam exequi id, quod voluntas decreuit, dũ modo decernere, & exequi, diſtinguantur. Ergo antequam omnipotentia exequatur conſenſum à voluntate decretatum, voluntas id ipſum decernit. Conſequentia eſt bona. Antecedens videtur certum: quia ſemel poſito dependere conſenſum ſe ipſo ab omnipotentia, conſequenterque per dependentiam diſtinctam à decreto: dominium huius actionis potius debet eſſe penes voluntatem vt talem, quam penes omnipotentiam: cum in agentibus rationalibus actiones reliquarum potentiarum dominio, & determinationi voluntatis ſubdantur potius, quam è contra. At hoc non aliter fit intelligibile niſi quatenus prius ſit velle, quam exequi. Ergo hac ratione ſe debet gerere Deus in noſtro caſu.

18 Impugnatur 3. hoc decretum. Voluntas efficax diuina conſenſus Petri non aliunde poteſt habere connexionem cum conſenſu Petri, niſi quatenus, vel ſupponat eſſentialiter ſcientiam conſenſus, vel immediatè influat in ipſum conſenſum. Ergo cum iuxta aduerſarios ſcientiam non ſupponat: vel per influxum inducet neceſsitatem, vel, ſi non influat, amittet connexionem. Antecedens probatur. Decretum diuinum non connectitur cum obiecto decretato præciſè ex efficacia intentionali, & affectiua: quia efficacia intentionalis, ſeu affectiua, quamtumvis maxima, non exercet ſuam oppoſitionem immediatè, & formaliter cum non exiſtentia reali obiecti; ſed cum non exiſtentia affectiua: hoc eſt: qui efficaciter decernit, ex vi huius efficacis determinationis ſolum excludit formaliter à ſe ipſo nolitionem exiſtentiæ eiuſdem obiecti; non autem carentiam exiſtentiæ realis, niſi decreto ſuperaddatur vis phyſicè inductiua ſui obiecti. Hoc conſtat in creatis; quia quamtumvis efficaciſsimè, vehementiſsimè, & ardentiſsime velit Petrus conſenſum Pauli: imò, licet (ſuppoſita ignorantia de eo, quod non poſsit illum determinare) decernat Pauli conſenſum,

Paulus poterit omnino liberè elicere diſſenſum, cemponendo illum cum decreto efficaciſsimo Petri, quin hoc decretū, vel quoad minimum, tollat poteſtatem ad hanc coniunctionem. Ergo connexio decreti prouenire debet ab aliqua vi phyſica proxima, aut remota, mediata, vel immediata, influxiua in conſenſum: aliter enim non apparet vnde decreto diuino connexio valeat prouenire. At ſi detur huiuſmodi vis, auferetur libertas. Ergo, &c. Præter quam quod ſemper ab omnibus tribuitur voluntati diuinæ efficaci hæc vis, cum communiter dicatur de Deo habere voluntatem operatiuam: nempè voluntatem diuinam efficacem eſſe operātem id ipſum, quod efficaciter vult.

SECT. III.

Aliter oſtenditur repugnantia huius decreti comitantis.

19 Aduerſus hoc decretum comitans aliter argumētor primo rationibus ſpecialiter probantibus non poſſe ſubſiſtere ea ratione, qua à P. Ribadeneira explicatur. Ex hoc ſimultaneo decreto infertur Deum non concurrere immediatè ad actionem phyſicam peccaminoſam. At hæc eſt ipſiſsima Durandi ſententia à ferè omnibus Theologis reiecta, & ab ſcholis iam diu exulans. Ergo repugnat prædictum decretum. Antecedens conſtat ex ipſo P. Ribadeneira aſſerente Deum neque decernere materiale peccati, neque in ipſum quemquam influxum præſtare: deduciturque clarè ex eius principijs: iuxta quæ ad nihil Deus phyſicè concurrit immediatè, niſi per ſuum decretum. Cumque Deus decretum efficax non concipiat de diſſenſu peccaminoſo, fit inde neque in phyſicam entitatem illius quo quomodo phyſicè influere.

20 In re concedit ſequelam P. Ribadeneira: honeſta tamen obtendit verba, ne Durandi ſententiam clarè videatur amplecti. Aſſerit igitur, Deum concurrere ad materiale peccati quoad ſufficientiam; ſecus autem quoad efficaciam. Si tamen ſenſum horum verborum exploremus, nihil aliud inueniemus, quam Deum reuera non concurrere ad materiale peccati; fore tamen vt concurreret, ſi materiale peccati exiſteret in circunſtantijs, in quibus morali non inficeretur malitia: & ne ad hypotheſim chimæricam videatur recurrere, aſſerit nullam eſſe actionem malam, quæ eſſen-

tiæ

tialiter mala ſit, ſed omnem actionem extrinſecè malitiam participare. Quo poſito, docet nullam eſſe actionem, ad quam Deus in alijs circunſtantijs concurrere non poſsit. Quapropter quod de facto non concurrat, non Deo, vt ad concurſum inſufficienti tribuendum eſt, ſed circunſtantijs, in quibus Deum huiuſmodi concurſus non decet.

21 In primis vt ſufficientiam ad concurſum reſpectu cuiuslibet termini creati defendat Ribadeneira, negat poſſe dari intrinſecè malum: quo conſequenter negat actus malos poſſe eſſe intrinſecè liberos, connecti ve eſſentialiter cum libertate, à qua procedunt: cuius oppoſitum docuit poſtea tract. de actibus humanis diſp. 19. per totam, & diſp. 20. cap. 2. num. 7.

22 Deinde quis non videat hæc verba nihil omnino continere, quod difficultatem ſequelæ emolliat, eiſque fucatæ speciei, non ſinceræ conſuli veritati: nihil enim aliud continent, quam Deũ non poſſe concurrere ad materiale peccati, dum materiale peccati eſt; poſſe tamen, & de facto concurrere ad actiones, quæ peccata non ſunt. At hæc doctrina eſt ſequela, quam vtpotè falſam opponimus huic authori. Ergo, licet ad ſpeciem compoſitis vtatur verbis; cõcedit tamen reuera eſſe aliquid poſitiuum, & reale, ad quod Deus immediatè non concurrat.

23 Præterea neque hic modus diſcurrendi ſatis præcauet incommodum de determinatione diuina, qua Deus, iuxta hãc ſententiam, determinabit voluntatem humanam ad peccandum, in caſu omiſsionis amoris præcepti, v. g. Quod ſic oſtendo, & argumentor ſecundo. Deus liberè determinat non exiſtentiam decreti. Sed determinare carentiam decreti eſt determinare exiſtentiam peccati. Ergo Deus liberè determinat exiſtentiam peccati. Conſequentia eſt bona, & minor videtur certa: quia cum decretum ſit neceſſarium ad conſenſum, deficiente decreto deficiet conſenſus. At deficere conſenſum liberè, quando eſt præceptus, eſt exiſtere peccatum. Ergo deficiente decreto, exiſtet neceſſario peccatum. Ergo determinare ad carentiam decreti, eſt determinare ad exiſtentiam peccati. Iam vero maior, nempe quod Deus determinet ad carentiam decreti, probatur. Deum non poſſe ponere exiſtentiam decreti habendo pleniſsimam poteſtatem illam ponendi eſt determinare carentiam illius. Sed Deus potens ponere decretum comitans, non ponit illud. Ergo determinat carentiam illius. Conſequentia eſt legitima, & minor eſt doctrina aduerſariorum: ſiquidem Deus non decernit cum poſsit decernere. Maior vero vide-

tur innegabilis, niſi tota de libertate doctrina euertatur: nam liberè non ponere nihil aliud eſt, quam poſſe ponere extremum, & de facto non ponere.

24 Reſpondet P. Ribad. diſp. 11. cap. 4 Deum in caſu omiſsionis amoris præcepti non ponere electiuè carentiam decreti comitantis requiſiti ad amorem; ſed tantum permiſsiuè: hoc eſt Deum permittere voluntati creatæ quod ſe ipſa ſola ponat diſſenſum, ſeu carentiam amoris: quæ carentia amoris eſt etiam defectus formalis decreti. Nec ad hoc, vt Deus dicatur poſſe liberè ponere decretum requiritur (iuxta hunc authorem) in Deo poteſtas determinandi carentiam decreti in conſortio huiuſmodi obligationis; ſed ſufficit quod poſsit determinare carentiam decreti diuiſam ab obligatione amoris. Itaque ait libertatem ad coniungendum decretum cum obligatione involuere duplicem poteſtatem: vnam ad ponendam hanc coniunctionem: aliam ad impediendam illam, non coniungendo carentiam decreti cum obligatione; ſed coniungendo carentiam decreti cum obligationis carentia. Quãdo autem coniungitur obligatio cum carentia decreti, hæc carentia decreti non exiſtit pro determinatione diuina; ſed pro permiſſione: quia licet Deus tunc poſsit liberè ponere decretum; hæc poteſtas ad decretum non conſtituitur in eſſe indifferentis per poteſtatem electiuam carentiæ decreti coniunctim cum obligatione; ſed per poteſtatem electiuam carentiæ decreti diuiſim ab obligatione, ſeu coniunctim cum carentia obligationis.

25 Hæc ſolutio mihi plus, quam difficilis apparet. Sic ergo eam impugno. Non ſolum liberè permiſsiuè, verumetiam liberè electiuè Deus non ponit decretum, ſeu ponit carentiam decreti coniunctim cum obligatione: Ergo Deus determinat ad peccandum. Antecedens probatur. Reuera Deus non ponit hoc decretum, & habet veram poteſtatem immediatam ponendi illud. At hoc eſt electiuè ponere carentiam. Ergo Deus electiuè ponit carentiam. Maior eſt certa. Minor probatur. Eatenus dependet carentia extremi à libertate alicuius, quatenus potuit ab ipſo immediatè poni extremum. Ergo Deum non ponere decretum, habendo poteſtatem immediatam ponendi illud, eſt formaliſsimè dependere electiuè à Deo *non ponere* decretum.

26 Confirmatur. Supponamus eſſe duos homines mutuò determinabiles, modo quo apud Ribadeneira determinabiles ſunt mutuò Deus, & homo, ita vt Petrus poſsit comitanter cum Ioanne elicere actum amoris; non tamen poſsit comitanter elige-

re carentiam amoris, quia ſi eligenda ſit carentia amoris eligi debet à ſolo Ioanne, non impediente Petro. Tunc ſic. In hac etiam hypotheſi, ſi exiſteret carentia amoris, exiſteret pro determinatione Petri. Ergo etiam in noſtro caſu, ſi exiſtat carentia amoris, exiſtet pro determinatione libera Dei. Conſequentia videtur legitima; quia facta eiuſmodi ſuppoſitione pariter ſe haberent hi caſus. Antecedens probatur. Facta hac hypotheſi poſſet Deus præcipere Petro actum amoris. Ergo in hoc caſu ſi exiſteret carentia amoris exiſteret pro electione libera Petri. Antecedens videtur certum: quia Deus poteſt præcipere Petro actum bonum, ad quẽ ſe poteſt determinare. Conſequentia probatur. Poſito hoc præcepto, ſi non exiſteret amor, peccaret Petrus. At peccatum Petri in non ponendo actum amoris dicit determinationem liberam Petri ad non ponendum actum amoris. Ergo ſi poſito hoc præcepto, exiſteret carentia amoris, exiſteret pro determinatione libera Petri. Probatur maior, in qua conſiſtit difficultas. Non ponere actum præceptum in inſtanti, in quo obligat præceptum, habendo veram poteſtatem ponendi actum præceptum, eſt peccare. At in hoc caſu Petrus, potens ponere actum amoris ſibi præceptum, nõ poneret illum. Ergo peccaret. Minor, eſt certa & conſequentia legitima. Maior autem neſcio quo iure negari poſſit, aut cur non erit dignus reprehenſione qui non exequitur id, quod ſibi præcipitur, cum exequi poſſit?

27 Confirmatur 2. ex ipſo conceptu libertatis: nam illa potentia eſt libera, *qua poſitis omnibus requiſitis, poteſt operari, & nõ operari*: ſiue poteſt eligere operationem, & non eligere operationem. Ergo *eligere operationem cum poteſtate non eligendi, & non eligere operationem cum poteſtate eligendi* ſunt extrema libertatis. Sed quodlibet extremum libertatis eſt exercitium, ſeu determinatio illius. Ergo præciſè *Agens non eligere extremum potens illud eligere* eſt exercitium, & determinatio libertatis. Ergo eo præciſè quod Deus omittat decretum potens illud eligere, datur exercitium, & determinatio libertatis diuinæ. Ergo exiſtet omiſſio pro determinatione diuina.

28 Argumentor tertio aduerſus hanc doctrinam. Exiſtente cauſa cum plena poteſtate libera ad operandum, nequit ab alia, & non à ſe ipſo impediri, quo minus operetur. Ergo exiſtente Deo cum plena poteſtate libera ad decernendum, nequit ab alio, quam à ſe ipſo impediri, quo minus decernat. Ergo quando non decernit, à ſe ipſo impeditur, conſequenterque ſe ipſum ad non

decernendum determinabit. Probatur antecedens, à quo conſe-
quentiæ recta illatione deſcendunt. Exiſtente pleno dominio circa aliquod extremum nequit impedire prædictum extremum, niſi ex vi talis dominij, & pro determinatione libera talis Domini. Sed cauſa exiſtens cum plena poteſtate libera ad operandū exiſtit cum pleno dominio ad ſuam operationem. Ergo nequit ab alia cauſa, & non à ſe ipſa, impediri, quo minus operetur. Conſequentia eſt legitima, & minor certa: agens enim plenè liberum ad operandum habet plenum libertatis dominium ad operādum. Maior autem videtur ex terminis ipſis euidens. Qui enim fieri poteſt, vt qui alieno ſubijcitur dominio, ita vt abſque propria determinatione impediatur, plenè ſit Dominus?

29 Explicatur, & ſimul confirmatur. Qui eſt plenè Dominus ad ponendum extremum eſt plene Dominus ne impediatur, quo minus ponat extremum. Sed agens, quod pro aliena electione, ſua non interveniente, poteſt impediri, quo minus ponat tale extremum, non eſt plenè Dominus quoad non impediri. Ergo neque eſt plenè Dominus quoad ponere huiuſmodi extremum. Conſequentia eſt bona, & maior certa: ſiquidem ponere extremum eſt non impediri, quo minus ponat exercitium. Ergo eſſe plenè Dominum ad ponendum exercitium eſt eſſe plenè Dominum, vt non impediatur, quo minus ponat illud. Minor igitur, in qua poteſt eſſe aliqua difficultas, probatur. Nemo poteſt per ſuam determinationem facere ne exiſtat, quod abſque ſua determinatione poteſt fieri quod exiſtat. Sed poteſt fieri quod exiſtat impeditio abſque determinatione illius agentis, quod pro aliena determinatione (ſua non interueniente) poteſt impediri. Ergo prædictum agens nequit facere pro ſua determinatione ne exiſtat huiuſmodi impeditio. Ergo prædictum agens non eſt plenè Dominus quoad non impediri. Maior, cui tota argumenti nititur vis, iterum probatur, licet mihi exterminis videatur euidens. Quod non indiget mea determinatione, vt exiſtat, non ſubijcitur meæ determinationi vt deficiat. Sed *impediri* non indiget, vt exiſtat determinatione illius agētis, quod nullo modo determinat eam impeditionem. Ergo neque ſubijcitur illius determinationi quod deficiat talis impeditio.

30 Argumentor quarto, & eſt confirmatio præcedentis argumenti. Nequit dari poteſtas libera reſpectu alicuius extremi, quin huiuſmodi libertas exerceatur per aliquam ſui electiuam determinationem, ſiuè poſitiuam, ſiuè negatiuam. Ergo libertas diuina ad decernendum nequit non exerceri electiuè, ſiuè poſitiuè, ſiuè

nega-

Digitized by Google

negatiuè. At quando deficit decretum non ſe exercet in poſitione decreti, ſiuè diuiſim, ſiuè coniunctim cum obligatione conſenſus. Ergo ſe determinat electiuè, & determinatiuè in omiſsione decreti. Primum antecedens, cui tota vis huius, argumenti innititur, conſtat ex communi ferè omnium conſenſu, cum omnes, vel ferè omnes, teneant non poſſe libertatem ſuſpenſam manere abſque aliquo eius exercitio. Tum etiam quia libertas electiua, & propria eſt neceſsitas vaga alicuius electionis. Tum denique quia qui eſt planè Dominus alicuius actionis non poteſt non vti ſuo dominio, vel in eius poſitione, vel in eius poſitione.

31 Reſpondere poſſunt aduerſarij verum eſſe non poſſe libertatem manere ſuſpenſam abſque aliquo exercitio huius libertatis. Item verum eſſe libertatem ad plura extrema eſſe vagam neceſsitatem alicuius, adhuc tamen ſuam doctrinam poſſe conſiſtere: quia libertas, quam Deus habet ad decretum non verſatur præciſè inter duo extrema; ſed ad tria ſe extendit, licet non eodem modo: quia ad decretum, & ad carentiam decreti diuiſim ab obligatione conſenſus, ſe extendit electiuè: vtrumque enim extremum valet eligere, & determinare. Ad carentiam autem decreti coniunctim cum obligatione, ſolum ſe extendit permiſsiuè, quatenus illã permittit, & ſinit exiſtere. Cum igitur tria ſint extrema huius libertatis, implicaret quidem nullum exiſtere eo modo, quo eſt extremum libertatis diuinæ; non autem implicat non exiſtere duo prima, dum exiſtat aliud tertium, modo quo libertas diuina extenditur ad illud. Quapropter Deus erit neceſsitatus vagè ad vnum ex illis tribus; non autem ad vnum è duobus. Hinc fit, quando homo diſſentit, libertatem diuinam exerceri quoad extremum permiſsibile, licet non exerceatur quoad aliquod ex extremis determinabilibus.

32 Sed contra. Ex data ſolutione fieret poſſe reperiri voluntatem liberam eo præciſſè quod poſſet ponere extremum, & permittere extremi carentiam, licet eam non poſſet determinare, neque in eam influere, quod hucuſque neſcio an ab aliquo dictum ſit. Sequelam probo: quia præſcindendo ab eo quod poſsit Deus determinare carentiam huius decreti in ſenſu diuiſo obligationis conſentiendi, ſaluatur ita Deum poſſe ponere decretum, vt poſsit adæquatè pro voluntate humana huiuſmodi decretum impediri. Ergo independenter à poteſtate ponendi carentiam decreti diuiſim ab obligatione verificatur in Deo poteſtas decernendi, & non decernendi. Ergo hic conceptus *poſſe operari & non operari* ſaluatur

tur abſque poteſtate electiua duplicis contradictorij. Sed ex ipſo quod detur poteſtas operandi abſque neceſsitate operandi, & impoſsibilitate non operandi; ſed potius cum vera capacitate omittendi, datur poteſtas ad operandum libere, & imputabiliter. Ergo ſaluatur vera libertas cum poteſtate electiua vnius tantum extremi.

33 Hinc infertur ad præſens decretum vt liberum præciſſe defendendum ſupervacaneum eſſe recurſum ad poteſtatem determinandi eius carentiam diuiſim ab obligatione conſenſus: quia præſcindendo ab hac poteſtate, datur vera poteſtas decernendi libera à neceſsitate decernendi, & ab impoſsibilitate non decernendi. Ergo fruſtra fit recurſus ad aliquam poteſtatem determinandi carentiam. Argumentor quinto. Poſito diſſenſu permiſſo à Deo, & determinato à creatura, tollitur poteſtas proxima à Deo ad decernendum conſenſum. Ergo poteſtas in Deo ad decernendum inuoluit carentiam diſſenſus vt permiſsi à Deo, & determinati præciſſè à creatura. Ergo poteſtas Dei ad decernendum non eſt coniungibilis cum diſſenſu hoc modo elicito. Antecedens, in quo conſiſtit dificultas, probatur. Impoſsibilitas exercitij diuini decernendi, quæ neque conſequitur, neque comitatur determinationem diuinam in actu ſecundo, tollit poteſtatem liberam decernendi. Sed ita ſe habet prædictus diſſenſus ita elicitus. Ergo tollit poteſtatem diuinam ad decernendum. Conſequentia eſt legitima. Probo maiorem, poſtea minorem probaturus.

34 Neceſsitas, iuxta Anſelmi, & noſtræ Societatis doctrinam, quæ non deſcendit ex libera determinatione, liberoque conſenſu alicuius agentis, ad vnum extremum, tollit indifferentiam ad aliud. Sed neceſsitas, quæ neque conſequitur, neque comitatur liberum exercitium diuinum, liberamque diuinam determinationem non decernendi, non deſcendit ex exercitio liberi arbitrij diuini vt non decernentis. Ergo tollit poteſtatem decernendi. Probo iam minorem illam ſuperioris ſyllogiſmi, videlicet neceſsitatem non decernendi, ſeu impoſsibilitatem decernendi, identificatam cum diſſenſu, neque conſequi, neque comitari determinationem diuinam in actu ſecundo. Hic diſſenſus, iuxta aduerſarios, vnicè, & ſolitariè dependet à determinatione humana. Ergo neque conſequitur, neque comitatur determinationem diuinam. Cõſequentia videtur clarior, quam quæ probatione indigeat: ſi enim adæquatè determinatur diſſenſus à creatura, adeo, vt ne phyſicè quidem, aut moraliter à Deo dependeat omnino huiuſmodi diſſen-

ſus

Digitized by Google

ſus ſubterfugiet diuinum concurſum, ſiuè moralem, ſiuè phyſicum: Illud autem extremum, in ordine ad quod voluntas diuina nullo modo refertur, neque vt cauſans, neque vt determinans phyſicè, aut moraliter, penitus extra diuinam determinationem conſtituitur. Ergo minimè ex diuina determinatione deſcendit.

35 Reſpondebunt forſam hunc diſſenſum conſequi exercitium diuinum permiſſum, licet non determinatum, & hoc ſufficere, vt ſit conſequens; non determinationem; ſed permiſsionem: cumque permiſsio à Deo poſsit impediri, poterit ſimiliter hæc impediri neceſsitas: neceſsitas autem non decernendi, quæ impedibilis eſt per ipſum exercitium decernendi, non tollit poteſtatem immediatam ad decernendum.

36 Sed contra. Hic diſſenſus eatenus eſt exercitium diuinum permiſſum, & non elicitum quatenus nullo modo de facto dependet proximè à Deo; poteſt tamen impediri à Deo per decretum. At hæc duo inter ſe incompoſſibilia ſunt. Ergo non tenet ſolutio. Minor probatur. Id quod nullo modo dependet à Deo immediatè, & proximè, ſed tantum remotè, aut mediatè, ſolum poteſt impediri à Deo remotè, & mediatè; non autem proximè, & immediatè, cum eo modo & non aliter, ſit impedibile extremum ab agente, quo dependet ab agente. At diſſenſus nullo modo dependet à Deo proximè; ſed tantum remotè. Ergo nequit impediri à Deo proximè in ſe ipſo; ſed remotè in cauſis antecedentibus, nempe impediendo libertatem hominis. At hæc poteſtas non eſt poteſtas immediata decernendi liberè. Ergo Deus non habet immediatam poteſtatem liberè decernẽdi. Hæc vltima minor ſumſumpta facilè probatur: quia poteſtas immediata decernendi involuit immediatam poteſtatem conſenſus liberi. Sed poteſtas impediendi libertatem hominis non involuit ipſam libertatem. Ergo libertas impediendi libertatem ad decernendum non eſt poteſtas immediata ponendi decretum.

37 Confirmatur. Hæc permiſsio diuina, à qua denominatur diſſenſus permiſſus, vel ſe tenet ex parte actus ſecundi, vel ex parte actus primi. Neutro modo poteſt dici iuxta doctrinam aduerſariorum. Ergo, &c. Non ex parte actus primi, quia ſi ſolum ex parte actus primi ſe tenet, eatenus poterit Deus impedire diſſenſum, quatenus poteſt non permittere. Ergo eatenus poterit impedire quatenus poterit tollere actum primum diſſentiendi. Ergo quatenus poteſt tollere libertatem humanam conſenſus. Ergo non eſt poteſtas immediata decernendi: quia (vt ſupra dicebamus) po-

teſtas immediata decernẽdi inuoluit libertatem hominis. Poteſtas impeditiua non inuoluit. Ergo neque eſt poteſtas immediata decernendi.

38 Deinde neque permiſsio ſe tenet ex parte actus ſecundi diſſenſus. Probatur, quia licet diſſenſus non ſit ex determinatione diuina, at permittere diſſenſum ex determinatione diuina debet eſſe. Ergo aliquid ſe tenet ex parte actus ſecundi diſſentiendi, quod eſſet ex determinatione diuina: ac per conſequens peccatum ex determinatione diuina exiſteret. Quod permiſsio ſit proprié ex determinatione diuina probatur: quia aliter permiſsio eſſet permiſſa, & eſſet effectus permiſsionis. Deinde non eſſet opus Dei, ſed creaturæ: implicat autem Deum à creatura determinari ad permittendum. Præter quam quod, ſi permiſsio eſſet ipſe diſſenſus, ipſudque peccatum diſſentiendi, permiſsio Dei eſſet peccatum: quod abſurdum eſt: vel permiſsio non eſſet à Deo, ſicuti & peccatum à Deo non eſt.

36 Denique hic diſſenſus eſſet impoſsibilitas exercitij, determinationis diuinæ: ita tamen, vt neque eſſet antecedens exercitium diuinum, vt fatentur aduerſarij: neque conſequens; cũ exercitium diuinum non influat in eam, aut determinat illam. Deinde neque eſſet comittens, cum non decernat Deus, vel eam impoſsibilitatem, vel aliquid ſimultaneum cum illa: & vt vno verbo dicam: cum non ſit ibi aliquod exercitium diuinum, nullum ordinem immediatum habebit cum diuino exercitio. Ergo daretur impoſsibilitas neque antecedens, neque conſequens, neque comitans: quod eſt abſurdum.

SECT. IV.

Hoc decretum comitans aduerſatur Scholæ Societatis.

40 Probatur 1. hoc aſſumptũ. Dato decreto comitanti Sciẽtia Media, qua Deus videt noſtrum conſenſum ſub conditione auxilij, eſt conſequens, non ſolum ad noſtram determinationem; verumetiam ad determinationem diuinam. Sed hæc Scientia non eſt Sciẽtia Media, quam hucuſque propugnauit Societas. Ergo hoc decreto tollitur è medio Scientia Media hucuſque à Societate propugnata. Maior eſt certa: quia hæc Scientia conſequitur determinationem conſenſus. Cum ergo tam Deus, quã creatura, immediaté determinent conſenſum: ideo hæc Scientia

tia erit conſequens determinationem diuinam iuxtà, ac determinationem humanam. Minor vero, videlicet, quod hæc non ſit Scientia Media Societatis, probatur. Scientia conſequens determinationem diuinam eſt Scientia libera Deo, ſaltem conditionaté. Sed Scientia Media de conſenſu humano, quam ſemper propugnauit Societas, eſt omnino Media inter liberam, & neceſſariam. Ergo Scientia conſequens determinationem diuinam non eſt Scientia Media Societatis. Minor conſtat ex communi conſenſu authorum Societatis, apud quos ſemper negatur Scientiam Mediam de humano conſenſu aliquo modo à Deo dependere, ſemperque aſſeritur eſſe omnino extra Dei dominium: nec facili reperies aliquem aſſerentem Scientiam Mediam de conſenſu humano, aut abſoluté, aut conditionaté, diuino dominio ſubijci.

41 Confirmatur 1. Scientia Media Societatis non eſt ſubiecta abſoluté diuino dominio. Hæc Scientia Media indigens decreto comitante conditionato ex parte actus, & abſoluto ex parte obiecti, eſt abſoluté ſubiecta diuino dominio. Ergo non eſt Scientia Media Societatis. Probatur minor. Hæc Scientia Media abſoluté eſt impedibilis, & abſoluté eſt determinabilis à Deo. Ergo eſt abſoluté ſubiecta diuino dominio. Probatur antecedens. Deus habet veram, & realem poteſtatem ponendi actum primum libertatis immediaté ad conſenſum, ſimulque habet veram poteſtatem determinandi conſenſum. Ergo poteſt abſoluté determinare Scientiam Mediam. Rurſus: ſi Scientia Media ſit circa extrema non mala, poterit vtrumque determinare, conſequenterque vtrumque impedire. Ergo habet Deus veram, & realem poteſtatem determinandi, & impediendi Scientiam Mediam de conſenſu humano. Ergo Scientia Media ſubijcitur abſoluté, & non ſolum conditionaté dominio Dei. Ergo hæc non eſt Scientia Media Societatis.

42 Confirmatur 2. ratione non in efficaci. Quæſtio grauiſsima eſt apud authores Societatis vtrum repugnet creatura libera v.g. homo, qui videatur omnibus auxilijs diſſenſurus. Potiſſimum argumentum ad repugnantiam huius creaturæ eſt exinde inferri non poſſe Deum pro ſuo libito eam conuertere per conuerſionem liberam. Qua ratione conuicti plurimi aſſerunt eam creaturā repugnare, minimé que cum perfectiſsimo Dei dominio cohærere. Alij vero plane concedunt huius creaturæ poſsibilitatem abſurdumque non reputant Deum non poſſe aliquam creaturam conuertere liberé, eo quod illa creatura ſua liber-

bertate ad non conuerſionem vtatur. Hac ſententiarum in authores Societatis diuerſitate ſuppoſita.

43 Aſſumptum propoſitum probo. Si Scientia Media eſſet conſequens, vel ſolum conditionaté diuinum exercitium, non haberet locum præſens quæſtio: neque argumenta vnius partis vrgerent, neque confeſſio alterius de impotentia Dei ad conuertendum illum hominem neceſſaria foret. Ergo ideo illi iudicant caſum repugnare, hi vero admittunt hominem illum non poſſe à Deo conuerti, quia omnes ſupponunt Scientiam Mediam de diſſenſu huius hominis non poſſe à Deo impediri. Si enim per ſuum decretum conſenſus Deus poſſet impedire Scientiam Mediam diſſenſus, haberet in ſua poteſtate immediatè, & proximè huius hominis liberum conſenſum. Vt ergo quæſtioni detur locus, neceſſe eſt Scientiam Mediam non eſſe conſequentem, aut comitantem diuinum exercitium. Ergo Scientia Media, quam huiuſque nouit Societas, non comitatur diuinum exercitium. Probatur hæc conſequentia. Scientia Media Societatis dat locum prædictæ quæſtioni. Scientia conſequens, aut comitans diuinum exercitium, locum non permittit huic quæſtioni. Ergo Scientia Media Societatis neque conſequitur, neque comitatur, aut abſolute, aut conditionatè, diuinum exercitium.

44 Probatur ſecundo propoſitum aſſumptum. Scientia Media iuxta Societatis authores, vno, vel altero excepto, eo fine hucuſque propugnata eſt, vt Deus media illa dirigatur, vt ſine libertatis læſione, & cum omnimoda infallibilitate, perducat hominem per media indifferentia in vitam æternam. At admiſſo hoc comitante decreto ad id munus Scientia Media ſupervacanea eſt. Ergo hoc decretum comitans Scientiæ Societatis aduerſatur. Cōſequentia eſt bona, & maior conſtat ex omnibus ferè authoribus Societatis. Minor autem probatur. Deus ſuo decreto comitante poteſt quodlibet auxilium efficax reddere. Ergo non indiget Scientia Media vt conſenſum per hoc auxilium determinatū obtineat. Antecedens eſt ipſa aduerſariorum ſententia. Conſequentia autem facile apparet. Etenim qui in manu ſua habet, & ſub dominio ſuo hominem conſentire cum auxilio A, quatenus id efficaciter decernat, poteſtque huiuſmodi conſenſum decernere efficaciter: eatenus poteſt obtinere conſenſum ſalutarem per auxilium A, quatenus id efficaciter decernere valet. Sed independenter à Scientia Media id valet decernere. Ergo independenter à Scientia Media valet obtinere conſenſum per auxilium A.

45 Reſ-

45 Reſpondent aduerſarij ad perfectiſsimam Dei prouidentiam ſpectare, quod ſi conferatur auxilium A, conferatur cum notitia euentus, quem habebit: ideoque Scientiam Mediam requiri ad collationem auxilij vt prouidentiſsimam: non enim omnino prouidenter ponitur cauſa, niſi ſimul cognoſcatur quid ex illius poſitione eueniet: aliter enim non iuxta prouidentiam; ſed caſu, & fortuitò, reſpectu ponentis cauſam, cauſæ effectus euenirent.

46 Verũ Societatis authores, vt ex ipſorum ſcriptis conſtat, non ſolum requirunt in Deo Scientiam Mediam, quatenus ad perfectionem conferendi auxilium ſpectat cognoſcere eius euẽtum; ſed etiam quatenus Scientiam Mediam neceſſariam reputant ad conciliandam infallibilitatem, & certitudinem diuinam cum humana libertate. Cum enim hæc concordia ſemper difficilis Patribus, & Theologis viſa fuerit, & in illa protegenda non parum laborauerint antiqui: Societas ab Auguſtino, & alijs Patribus edocta, Scientiam Mediam, quæ in eorum ſcriptis continebatur, noua luce illuſtratam, donauit Scholis: oſtenditque Deum eius prælucentia abſque humanæ libertatis diſpendio homines in vitam æternam certò, & infallibiliter dirigere poſſe. Ergo non ſolum ad prouidentiæ perfectionem; verum etiam ad concordiam humanæ libertatis, & certitudinis diuinæ, iuxta Societatis authores neceſſaria eſt.

47 Cæterum non ſolum ad concordiam libertatis humanæ, & certitudinis diuinæ, admiſſo hoc decreto comitante, Scientia Media neceſſaria non eſt; verum neque ad vllum prorſus munus neceſſaria erit, ſemel admiſſa doctrina Patris Ribadeneira. Probatur hoc. Scientia Media eſt illa Scientia abſoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti nulli decreto innixa abſoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti. Sed, iuxta doctrinam Patris Ribadeneira in hac diſputatione de decreto comitante, ad nullũ prorſus munus requiritur prædicta Scientia non innitens decreto. Ergo iuxta hæc principia ad nullum prorſus munus requiritur Scientia Media. Probatur minor. In qua conſiſtit difficultas. Iuxta P. Ribadeneira poteſt admitti abſque læſione libertatis humanæ hoc decretum abſque prælucentia Scientiæ Mediæ conceptum. *Decerno vt Petrus conſentiat, ſi habeat auxilium A.* Tunc ſic. In hoc decreto cognoſcit Deus efficaciam auxilij. Sed vltra hanc Scientiam huic decreto innixam non requiritur ad perfectam Dej prouidentiam alia Scien-

Digitized by Google

tia independens à decreto; quæ eſt Scientia Media. Ergo abſolutè ad perfectam Dei prouidentiam non requiritur Scientia Media. Probatur minor. Sufficit ad perfectiſsimam prouidentiam in collatione auxilij A cognoſcere efficaciam in ſigno ſufficiente, vt ex illa dirigatur ad poſitionem auxilij. Sed per Scientiam conditionatam conſequentem decretum illud abſolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti, cognoſcit Deus efficaciam auxilij in ſigno ſufficiente, vt ex illa dirigatur. Ergo ſufficiet hæc ſcientia conſequens decretum, quin ſciẽtia alia requiratur.

48 Reſpondet Ribad. tract. de Prædeſtinat. diſp. 17. cap. 5. num. 50. Scientiam conditionatam, quam Deus haberet in prædicto caſu, fore Scientiam Mediam, & non liberam: quia licet de facto exiſteret illud decretum, ſcientia, quam Deus tunc haberet, non eſſet Scientia ſe ipſa dependens ab illo decreto; ſed, vel non dependens, vel ſaltem non eſſentialiter dependens, quamvis per accidens dependeret. Eſſe autem Scientiam Mediam ſolum eſt eſſe actum diuinum non neceſſario indigentem decreto, cui innitatur. Cum autem illa Scientia, licet per accidens coniungeretur cum illo decreto, & per accidens dependeret ab illo; poſſet tamen ex ſe exiſtere, quin ab illo dependeret: ideo tunc eſſet Scientia Media, & non libera.

49 Verum hæc reſponſio eſt inſufficiens. Etenim argumentum intendit, ſemel dato quod hoc decretum conditionatum non directum Scientia Media, libertati non opponitur, poſſe abſque inconueniente dici omnem veritatem conditionatam cognoſcere Deum in decretis conditionatis: quia Deus neceſsitatus ſit ad decernendum vnum ex duobus contradictorijs ſub qualibet hypotheſi: quo decreto cognoſcat Deus quid foret ſub illa hypotheſi. Si enim hoc decretum libertati non apponitur, nec neceſsitas habendi illud opponetur libertati. Ex quo clare deducitur quod quando in reſponſione dicitur illam Scientiam conditionatam eſſe Scientiam Mediam, quia poteſt exiſtere ſine eo decreto, manifeſtè petitur principium: etenim hoc ipſum probat argumentum, nempe poſſe dici decretum conditionatum de hoc, vel illo contradictorio, neceſſarium eſſe vagè: conſequenterque Scientiam conditionatam neceſſario dependere ab eo decreto.

50 Di-

50 Dices reſpectu actus peccaminoſi non poſſe admitti hoc decretum, cum tamen ſit Scientia conditionata. Sed contra: quia facile poſſet dici. Sicut P. Ribadeneira licet ponat neceſſarium decretum abſolutum comitans ad extremum bonum, nihilominus iudicat ſufficere ad actum prauum *non decernere*: ita pariter poſſet dici *non decernere conditionatè* actum præceptum cum poſſit illū decernere, ſufficere ad hoc vt Deus cognoſcat extiturum actum prauum: conſequenterque defectum talis decreti eſſe determinatiuum illius ſcientiæ conditionatæ de peccato, ſeu tranſgreſsione præcepti: & quidem ſi ſemel ſtatuatur prædictum decretum conditionatum libertatem non lædere, nunquam efficaciter probabitur dari Scientiam conditionatam independentem à decreto.

51 Deinde aliter oſtendo hoc decretum comitans cum Societatis doctrina non ſtare. Vnum ex præcipuis fundamentis authorum Societatis ad adſtruendam Scientiam Mediam, necnon Scientiam viſionis futurorum liberorum in ſe ipſis, & non in decreto, eſt commune illud Patrum pronunciatum *Deus cognoſcit rem eſſe: quia eſt; non tamen eſt, quia cognoſcitur*. Sed hoc principium non eſt verum in ſententia Patris Ribadeneira. Ergo ſententia huius authoris conuellit potiſsimum fundamentum ſententiæ Societatis. Conſequentia eſt bona, & maior conſtat ex omnibus noſtris authoribus. Minor probatur. Cum Deus, & creatura, iuxta hanc ſententiam, comitanter determinentur ad conſenſum Petri, non magis Deus vult efficaciter conſenſum Petri, quia Petrus conſentit, quam Petrus conſentit, quia Deus vult. Deinde cum hoc decretum ſit, iuxta probabiliorem ſententiam, ſcientia ſui ipſius, & etiam ſcientia conſenſus, non magis cognoſcetur, quia eſt quam erit, quia cognoſcitur.

52 Vltimo ſicut à P. Ribadeneira admittitur determinatio diuina ad conſenſum abſque læſione libertatis humanæ, quia hæc determinatio non ſe tenet ex parte actus primi; ſed ex parte actus ſecundi: ita ſimiliter dicent, imò dicunt Thomiſtæ ſuam phyſicam qualitatem non ſe tenere ex parte actus primi; ſed ex parte actus ſecundi conſentiendi. Ergo poterit admitti determinatio conſiſtens in aliqua qualitate phyſica determinante ad conſenſum, dummodo hæc determinatio ſe habeat comitanter, & ex parte actus ſecundi conſentiendi.

53 Reſpondet Ribadeneira hanc qualitatem phyſicam

à ſuis authoribus poni in impedibilem, ideoque tollere libertatem. Verum cum non pauci ex Thomiſtis aſſerant prædeterminationem impediri poſſe, vel indirecte, vel in obliquo, jam ſaltem ab his Ribadeneira non diſſentiet.

SECT. V.

Soluuntur argumenta.

54 EA ſunt ipſamet, quibus prædeterminantes ſibi videntur ſuam phyſicam præmotionem euincere. His argumentis noſtri Doctores huius decreti comitantis immemores ſolutionem adhibent, & omnes authoritates, tum Scripturæ; tum Conciliorum; tum D. Auguſtini, & aliorum Patrum, quibus innui videtur noſtrum conſenſum determinationem diuinam indiſpenſabiliter expoſcere, ſatis ſuperque explicari arbitrantur de determinatione diuina ad ponendum auxilium ſub circumſtantijs, quibus præuidetur futurus conſenſus. Vel ergo hæc ſolutio, & aliæ, quæ communiter adhibentur, ſufficiens eſt ad ſoluendum prædeterminantium argumentum, vel inſufficiens. Si hoc ſecundum. Ergo tenetur dicere P. Ribadeneira noſtros authores aduerſariorum argumentis nondum feciſſe ſatis: quod quidem nunquam credam Patrem Ribadeneira dicturum, aut conceſſurum. Si vero dicatur illud primum. Ergo tenetur fateri Ribadeneira omnia ſua argumenta, quibus vtitur ad decretum comitans probandum, inefficacia eſſe. Patet hæc conſequentia. Argumenta, quæ contendunt aliquid probare, ſi ſufficientiſſimè ſoluantur, inefficacia ſunt ad id probandum. Ergo ſi omnia argumenta, quæ contendunt probare determinationem diuinam immediatam ad noſtrum conſenſum, à negantibus eiuſmodi determinationem immediatam ſufficientiſsimè ſoluuntur, inefficacia ſunt.

55 Obijcitur ergo 1. Verba Sacræ Scripturæ ſecundum Auguſtinum ſtrictè accipienda ſunt, vbi manifeſtum non apparet inconueniens. At ſcriptura ſatis ſignificat ad exiſtentiam cuiuſvis rei, excepto peccato, requiri decretū efficax Dei. Deinde ex eo, quod requiratur, non apparet manifeſtū inconueniens: nam argumenta, quæ ſunt contra hujuſmodi decretum, probabiliter

ſoluuntur. Ergo requiritur huiuſmodi decretum. Sed nequit requiri ad actus liberos decretum efficax antecedens, ne libertas lædatur. Ergo requiritur decretum comitans: ſubſequens enim impertinenter ſe haberet. Minor, in qua videtur eſſe difficultas, probatur ex Paulo ad Epheſ.1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. At eius modi conſilium eſt decretum efficax Dei iuxta illud Iſaiæ 46. *Conſilium meum ſtabit*, & *omnis voluntas mea fiet*. Ergo ex Scriptura colligitur ad exiſtentiam rei cuiuſvis, excepto peccato, requiri decretum efficax Dei.

56 Reſpondeo 1. permittendo ex his ſcripturæ verbis inferri requiri neceſſario ad omnes effectus creatos, excepto peccato, decretum efficax Dei; nego tamen hoc decretum debere determinare, aut debere eſſe comitans: ſufficit enim quod ſit antecedens, mediatè in genere efficientis, & ſubſequens obiectiuè: modo quo decretum conferendi auxilium, quia efficax ſe habet reſpectu conſenſus: tunc enim voluntas poterit adquirere, & impedire hoc decretum. Deindeque cum tale decretum non ſe teneat ex parte actus primi immediati, non determinabit ad conſenſum; eadem prorſus ratione, qua decretum conferendi auxilium, quia efficax, nullo modo determinat ad conſenſum.

57 Reſpondeo 2. Per illa verba D. Pauli, *qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, ſolum denotari nihil eſſe, quod ſub prouidentia Dei nō cadat: nihil enim operatur Deus, quod nō velit, ſiuè voluntate poſitiua, ſiuè voluntate permiſsiua: imò ipſa voluntas permiſsiua, licet non ſit voluntas efficax illius, quod permittitur; eſt tamen voluntas efficax permiſsionis. Quapropter eſt conſilium, accepta voce *conſilium* in toto ſuo rigore. Deinde, vt ſupra vniuerſaliter dixi, hoc teſtimonio vtuntur prædeterminantes ad aſſerendum noſtra opera noſtræ determinationi tribui non debere, vt videre eſt apud P. Aldrete in 1. p. tom. 2. tract. de Prædeſt. diſp.4. ſect.1. à num.11.

58 Ob.2. Iuxta Patres Prædeſtinatio bonorum operū eſt decretum efficax ipſorum prioritate æternitatis præcedens ipſa. Deinde ijdem Patres ſignificant eam prædeſtinationem requiri ad opera bona. Ergo ad hæc, iuxta mentem Patrum, requiritur decretum efficax: non antecedens, vt iura libertatis ſeruentur. Ergo ſaltem comitans. Quod autem requiratur neceſſario Prædeſtinatio circa bona opera, probatur ex Auguſt. de Prædeſtinatione Sanctorum cap.10. vbi ait. *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſci-*

Digitized by Google

nit, qua fuerat ipſe facturus. Vnde dictum eſt fecit, quæ futura ſunt: *præſcire autem poteſt etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata*. Ex quibus verbis hoc conficitur argumentum ad probandam neceſsitatem Prædeſtinationis ad bona opera. Iuxta Auguſtinum in Deo eſt circa bona voluntatis opera Prædeſtinatio voluntatis, & præſcientia intellectus, ſicut tantum eſt præſcientia circa peccata. Ergo ſicut ſtare nequit peccatum ſine præſcientia Dei; ita neque bonum opus ſine Prædeſtinatione, & præſcientia.

59 Hoc argumentum debiliſsimum eſt, quamtumvis ad ſpeciem componatur. Reſpondeo 1. permittendo requiri ad opera bona illorum Prædeſtinationem, eſſeque huiuſmodi Prædeſtinationem decretum efficax Dei de bono opere. Nego tamen hoc decretum debere eſſe determinans, & comitans: ſufficit enim eſſe antecedens remotè efficienter, & conſequens obiectiuè, vt ſupra dicebamus.

60 Reſpondeo 2. negando neceſſario requiri Prædeſtinationem ad quolibet bonum opus, verbaque D. Auguſtini hanc neceſsitatem indicare. Etenim Auguſtinus ſolum docet de facto Deum prædeſtinare quæ facit; ſolumque præſcire quæ non facit; at vero eodem modo, eademque neceſsitate prædeſtinare quæ facit, ac præſcit, quæ non facit, ex his verbis non colligitur. Deinde, vt ipſe Ribadeneira teſtatur hoc tractatu diſp. 19. cap. 1. hæc vox *Prædeſtinatio* varias apud Patres habet acceptiones: iam enim pro actu voluntatis, iam verò pro actu intellectus vſurpatur. Perperam ergo ſub nomine *Prædeſtinationis* decretum efficax ſemper contineri affirmatur.

61 Ob. 3. Hoc decretum comitans non implicat. Eo ipſo quod non implicet eſt neceſſarium. Ergo hoc decretum comitans eſt neceſſarium. Poſsibilitas huius decreti ſupponitur ex ſolutione noſtrorum argumentorum. Neceſsitas vero ex ſuppoſitione poſsibilitatis, ſic probatur. 1. quia perfecta ſubiectio, & ſubordinatio actus liberi creati boni ad Deum vt infinitè actiuum, poſtulat non exiſtere actum, niſi Deus ipſum faciat. Ergo perfecta ſubiectio eiuſdem actus ad Deum vt infinitè Dominum, poſtulat non exiſtere, niſi Deus ad eius exiſtentiam ſe determinet. 2. quia omnis effectus creatus eſt Deo perfectè voluntarius iuxta capacitatem ipſius effectus. At actus liber bonus capax eſt, vt non ſolum indifferenter, aut conditionatè, ametur à Deo; verùm etiam vt determinatè, & abſolutè decernatur. Ergo quoties exiſtit, terminat abſolutum, & determinatum decretum.

62 Reſpondeo decretum comitans tot ex capitibus repugnare, quot ſunt argumenta, quibus illud impugnauimus. Quapropter nego huiuſmodi decretum poſsibile eſſe, licet admittatur neceſſarium decretum antecedens mediatè influens, vt ſæpè diximus. Neque ſubordinatio rei creatæ ad Deum, vt ad Dominum, petit determinationem ipſius: ſufficit enim dependere à Deo, vt à donante auxilium cum præuiſione efficaciæ: non enim conſenſus liber creatus ſubordinatur Deo vt determinanti: hoc enim eſt contra conceptũ libertatis; ſed Deo vt donanti poteſtatem in circumſtantijs, in quibus ſcit creaturã ſe determinaturam ad conſenſum.

63 Præterea neque voluntarietas exigit decretum poſitiuum, vt quando pro ipſa libertate huiuſmodi decretum omittitur. Falſum præterea eſt omnem effectum perfectè voluntarium debere habere omnem voluntarietatem, cuius eſt capax: poteſt enim effectus intenſius, & intenſius amari: & quo magis ametur, magis voluntariè exiſtit: & tamen non requiritur quod ſummè intenſè ametur. Ergo non requiritur in Deo reſpectu effectus tota illa voluntarietas, cuius eſt capax: ſufficit enim ita voluntariè exiſtere, vt nulli, vel minimæ involuntarietati ſubijciatur.

64 Ob. 4. Conuerſio libera Petri ſub auxilio A v. g. exiſtere poteſt pro libertate Dei. At hoc eſt Deum poſſe determinare Petrum vt conuertatur liberè ſub auxilio A. Ergo Deus poteſt determinare Petrum, vt libere conuertatur ſub auxilio A: & idem eſt de conuerſione libera ſub quolibet alio auxi[illegible] Maior videtur certa: alioqui non omnis effectus bonus caderet ſub perfecto dominio Dei. Minor probatur. Si Deus non poſſet determinare Petrũ ad conſentiendum auxilio A, poſſet independenter à determinatione libera Dei intelligi quòd Petrus diſſenſurus eſſet, ſi vocaretur auxilio A. At ſi hoc intelligeretur, non poſſet Deus pro ſuo dominio facere quod Petrus conuerteretur liberè ſub auxilio A. Ergo, vt conuerſio liberà Petri ſub auxilio A ſubijciatur libertati diuinæ, neceſſe eſt quòd Deus poſsit determinare Petrum ad conuerſionem ſub prædicto auxilio. Maior eſt certa. Minor autem videtur clara: nam ſemel poſito verum eſſe Petrum diſſenſurum, ſi vocetur auxilio A, non poterit coniungere conſenſum cum illo auxilio, niſi impediendo veritatem illam. At qui ſi determinatio ſtet penes ſolam creaturam, nequit Deus impedire illam veritatem. Ergo intellecta veritate de diſſenſu ſub auxilio A, nequit Deus pro ſuo dominio conuertere Petrum per auxilium A, niſi determinando illam conuerſionem.

65 Reſpondeo falſum eſſe conuerſionem Petri ſub quolibet auxilio determinato ita ſubdi dominio Dei, vt prædictam conuerſionem poſsit in effectu dare: ſufficit enim, vt illam det, quatenus eſt ex ſe: hoc eſt relinquendo hominem in manu conſilij ſui, vt conuerſionem poſsit ponere ſub auxilio, quin opus ſit, Deum poſſe in effectu, & realiter facere pro ſua libertate quod exiſtat. Etenim dominium diuinum reſpectu actuum liberorum creaturæ non eſt ad illos determinandos: quippe hoc repugnans eſt dominio, & libertati creaturæ; ſed ſolum eſt ad donandum creaturæ quidquid ad poteſtatem illorum neceſſarium eſt. Vtrum vero pertineat ad dominium diuinū ne deficiat in collectione auxiliorum auxilium efficax, quo poſsit vti ad obtinendum conſenſum liberum, & ne deficiat auxilium inefficax, quo poſsit permittere peccatum, infra videbimus.

66 Ob. 5. Non ſolùm eſt beneficium diuinum poteſtas ad conſenſum, verùm ipſe conſenſus eſt nouum beneficium, quod poteſt à Deo peti. At, ſi poſita libertate, tota determinatio penes nos eſſet, non eſſet nouum beneficium: nam non aliter donatur nobis à Deo conſenſus, quàm donando libertatem ad illum. ergo nō penes nos dumtaxat eſt determinatio ad bonum opus: verùm etiā penes Deum; aliter qua ratione Deum beneficum oramus, vt expetimur.

67 Hoc argumentum, vt rectè notarunt RR. alij potius aduerſum dec... im comitans vires, & robur habet: nam licèt Deus determinet ad huiuſmodi conſenſum: creatura tamen habet illum plenè ſub ſua poteſtate. Tum ſic. Iuxta D. Aug. lib. de natura, & gratia cap. 18. *Quid ſtultius quàm orare, vt facias, quod in poteſtate habes.* Ergo petere conſenſum à Deo poſtquam eſt in plena poteſtate hominis ſtultum eſt. Imò hinc poteſt etiam argui. Deus poſtquam nobis contulit poteſtatem ad bona opera petit, & exigit à nobis illa bona opera: necnon præcipit, promiſsis allicit, & pœnis (quæ nobis, ſi non fecerimus minatur) terret. Tunc ſic. Iuxta Auguſt. ſtultum eſt petere, quod in poteſtate habemus, At Deus (ſemel admiſſo decreto comitante) habet pleniſsime in ſua poteſtate noſtram determinationem: imò determinatio noſtra eſt etiam determinatio diuina: ergo ſtultè peteret Deus à nobis determinationem: quia hoc ipſo peteret à nobis, quod ipſe Deus faceret opus: & quid ſtultius quàm orare, vt facias, quod in poteſtate habes.

68 Reſpondeo igitur bonum conſenſum catenus eſſe beneficium

ficium nouum ſupra poteſtatem illud eliciendi: quatenus colla-
o poteſtatis in circunſtantijs, in quibus præſcit Deus futurum
nſenſum, non ſolum eſt collatio poteſtatis, ſed etiam cenſetur
oraliter collatio conſenſus. Quando igitur petimus à Deo, mini-
e petimus, quod Deus illum determinet; ſed quod nobis con-
rat auxilia, quæ præuidet congrua, & efficacia ad eliciendum
onſenſum.

69 Obijc. 6. Non repugnat, quod duo exercitia libera
utuo comitanter inter ſe connectantur: in quo caſu poterit dici
num eſſe vicisſim determinationem alterius. Ergo etiam poterit
ari mutua connexio comitans inter determinationem diuinam,
t creatam, conſequentia videtur recta à paritate. Ant. Prob. Ca-
u, quo Chriſto Domino, vel alicui creaturæ impeccabili ponere-
ur præceptum, vt exercitium A. religionis non ponat diuiſum ab
exercitio B. miſericordiæ: & ſimiliter B. non ponat diuiſum ab A.
in quo euentu, data proxima libertate huius ſuppoſiti impeccabi-
lis ad A. & B. inſtantique præcepto aſsignato, ſanè cum ratione im
peccabilitatis, dictique præcepti inſtantis, nullum eorum poſſet ſe-
parari ab alio, & vtrumque ſit liberum, cum ad nullum eorum de-
tur determinatio præcedens, nihilque poſsit excogitari, quod ad
libertatem deſit; plane fiet dari veram poteſtatem ad eliciendum
vtrumque comitanter, qua propter vnus actus erit alterius deter-
minatio.

70 Reſpondeo admittendo caſum, negandoque rectè
ex eo ad decretum comitans paritatem deſumi. Diſparitatis ratio
eſt quia in hoc caſu vtrumque exercitium eidem cauſæ ſub ordina-
tur: qua propter vnicum tantum dominium exercetur: cum autem
implicationis ratio in caſu decreti comitantis, iuxta nos, ſit diuer-
ſitas libertatum, & dominorum: hinc fit perperam ab vno ad alte-
rum caſum paritatem deſumi. Propterea in hoc caſu vnus actus,
quamuis eſſet determinatio ad alium, non eſt prior alio, quia eſſet
idem agens immediatè ſe determinãs ad vtrumque: ſi autem eſſent
duo agentia, non poſſet vnum determinare aliud, niſi cogendo, &
neceſsitando illud; quod antecedentiam involuit.

71 Aliter caſu excogitatur, de quo non idem iudicium
fero: nempe poſſe decernere Deum non concurrere cum Petro ad
actum religionis, niſi ſimul pro eodem inſtanti ſe etiam determinet
Ioannes ad actum etiam religionis. In quo caſu (qui implicatorius
non illicò apparet) libertas Petri, & Ioannis in ordine ad actum
religionis, & ejus carentiam, ita mutuo connectetentur, vt eorum

exer-

exercitia comitanter ſe haberent. Conſequenterque ratione concomitantiæ actus vnius eſſet determinatio ad alterius actum.

72 Hic caſus mihi videtur implicatorius: quia tunc Petrus, & Ioannes haberent diuerſas libertates, & vterque eſſet plenè Dominus ſuæ actionis: at, vt ſupra probauimus, nequit agēs plenè liberum ſubijci determinationi alterius. Ergo nequit Ioannes ſubijci determinationi Petri, aut Petrus determinationi Ioannis. Huc vergunt omnes probationes ſuperius factæ cum de dominio, tum de mutua prioritate, tum etiam de mutua ſuperioritate, & inferioritate. Quod autem Deus præparet concurſum tantum pro caſu, quo vterque elliciet actum religionis, mihi imperceptibile eſt: hic enim concurſus pro caſu vtriuſque actus non eſt voluntas conditionata: nam ſi in eſſet, ad concurrendum cum Petro, prærequiſita eſſet cognitio de actu Ioannis, & ècontra. Neque eſt voluntas abſoluta ſemi efficax de actu vtriuſque: quia quocumque modo ſit, ſi non inducit neceſsitatem, relinquit vtramque in manu cōſilij ſui: quare nequit vnus ab altero determinari: vt enim ſupra dócuimus ex Anſelmo, Beato Thoma, & Clemente Papa, de ratione agentis liberi eſt ab alio non determanari.

73 Obijc. 7. Iuxta RR. plures Societatis non ſolum ſunt poſsibiles: ſed requiſitæ ad noſtros conſenſus liberos bonos prædefinitiones Dei efficaces directæ per Scientiam Mediā. Tunc ſic. Conſenſus, & decretum de auxilio vt coniungendo cum conſenſu, & ad conſenſum liberum indiſpenſabiliter requiſitum, in primis mutuo inter ſe connectuntur. Ergo poſſunt dari duo exercitia duorum agentium liberorum mutuo inter ſe connexa. Ergo quodlibet erit determinatio alterius. Prob. hæc conſequentia quodlibet ex his exercitijs eſt plenè ſub poteſtate ſui agentis liberi. Deinde quolibet affert ſecum connexiuè comitanti exercitium alterius agentis. Ergo quodlibet eſt determinatio alterius: hoc enim, & nō aliud, nomine determinationis volunt intelligere authores decreti comitantis.

74 Reſpondeo mutuam connexionem hanc non eſſe comitantem; ſed antecedentem, & conſequentem in diuerſo genere, vt ſupra latius expoſuimus: decretum enim de libertate conſenſus connexum eſſentialiter cum conſenſu ratione Scientiæ Mediæ de conſenſu ſub prædicta libertate, quam Scientiam Mediam eſſentialiter reſpicit, præcedit immediatè efficienter ad auxilium, ſeu libertatem: & mediatè ad conſenſum. Conſenſus autem, quando de facto exiſtit præcedit obiectiuè immediatè ad Scientiam Mediā,

&

& mediatē ad auxilium.Hinc fit hæc duo non comitanter ſe habere;ſed antecedenter,& conſequenter,in diuerſo genere,neutrumque eſſe propriè,& ſtrictè determinationem alterius : non inquam decretum eſt determinatio conſenſus,quia tantum præcedit remotè:& id,quod ita præcedit,non determinat.Deinde conſenſus abſolutus non eſt determinatio decreti propter eandem rationem:ſiquidem tantum præcedit media Scientia conditionata,quæ nullo modo determinat.

75 Reſpondeo 2.nullam ex his paritatibus ſupra adductis tenere:quia licet hi omnes caſus poſsibiles admittantur, ea tamen ratione mutuo connectuntur hæc extrema,quæ proponuntur ſexto,& ſeptimo argumento,vt etiam determinatio ad carentiam vnius ſimul comitanter debeat eſſe cum determinatione libera ad carentiam alterius,ita vt connexio libertatis, ſeu potentiæ liberæ ſit ad extremum,& eius carentiam.Hoc autem non accidit in decreto comitante,vt à Patre Ribadeneira propugnatur : quia licet Deus,& creatura,ſimul comitanter ad actum bonum præceptum; non tamen ſimul comitanter ſe determinant ad actum prauum: quando quidem Deus ad actum peccati non determinat. Ex hoc ergo capite,omiſsis alijs,poteſt aſsignari diſparitas inter ſimultatem comitantem Dei,& creaturæ à nobis impugnatam, & alias ſimultates ſiuè comitantes,ſiuè alterius ordinis,ab aduerſarijs propoſitas.

76 Ob.8.hoc decreto comitante ſine difficultate intelligi plurima, quæ difficilia in Societatis ſententia apparent.Primo; qua ratione ſaluetur perfectiſsima libertas Dei ad conuertenda corda hominum. Secundo, perfectiſsimum dominium, quo Deus magis Dominus eſt noſtrum actionum, quam nos ipſi iuxta illud D.Auguſtini de Corrept.& Grat.cap.14. *Magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas.* Tertio hoc modo explicatur melius fortitudo attingentiæ,qua Deus attingit vndequaque res creatas cum ſuauitate,iuxta illud Sap.attingit ergo à fine vſque ad finem fortiter, *& diſponit omnia ſuauiter.* Quarto melius conciliatur D.Auguſtinus ſecum ipſo: quatenus ex vna parte inæqualitatem bene conſentientis cum non benè conſentiente reuocat in ipſorum libitum,& electionem,vt conſtat ex cap.15.de Præ deſtinat.& Grat.ex cap.11.de Corrept.& Gratia,& ex cap.6.lib. 12.de Ciuit. Ex alia vero vnum velle , & alterum nolle , non tam in ipſorum libitum,& electionem,quam in diuinum beneplacitum videtur reducere aliquibus in locis:& præcipue de Prædeſt.Sanct.

cap.8. Pari ratione cumulantur alia commoda: quæ eo tendunt, vt facilius diſſoluantur quæ aduerſus nos prædeterminantes obijciunt.

77 Reſpondeo, ſemel probata ex tot capitibus huius decreti comitantis repugnantia, quod hoc decreto comitanti componitur, non vero; ſed chimæricè componi: componitur enim decreto ex vna parte fruſtrabili, & ex alia diuinam & humanam libertatem euertere, quodque, vel à Deo rationem cauſæ primæ aufert, vel amatorem peccati conſtituit. Præſertim quia, ſi iuſtè, & ſincerè æſtimentur quæ à Doctoribus Societatis aduerſus hoc decretum comitans obijciuntur; & vlterius ingenuè examinentur omnia, & ſingularia, & difficilia, tum in Philoſophia, tum in Theologià, quæ ad defenſionem huius decreti, à ſuo authore in medium producuntur; clarè apparebit tot difficultatibus, irretiri, & implicari, vt doctrina, quam continet, obſcuriſsima, & impeditiſsima ſit.

78 Dici igitur omnia ſuperius adducta, & plura alia, rectè, & facilè componi eo ſolum, quod Deus conferat auxilia, in quibus præuidet eorum efficaciam: quia hoc ſolum, reiecta qualibet determinatione diuina immediata ad conſenſum humanum, intelligitur Deū habere in ſua poteſtate noſtrum conſenſum, quatenus poteſt tribuere auxilium in circunſtantijs efficaciæ: quo intelligitur Deus liber ad obtinendum conſenſum. Quo etiam apparet, & fortitudo Dei quatenus infallibiliter obtinet conſenſum, & ſimul innoteſcit ſuauitas, quatenus nos ipſi liberè, & vnicè ex propria determinatione noſtrum conſenſum elicimus. Conciliatur etiam Auguſtinus ſecum ipſo: quia vocare conſentientem auxilio præuiſo efficaci, relicto alio inefficaci, licet æquali, eſt opus Dei: qui ob hoc dicitur ſpecialiter tribuere conſenſum, licet *conſentire præ diſſentire* ſit determinatio humana. Quare cōſenſus, & tribuitur Deo, vt vocanti congruè: & tribuitur creaturæ, vt ſe determinanti.

Pleniorem horum, & aliorum, ſolutionem dedimus hoc ipſo tract. quæſt. *6*. ſect. *6*. & etiam dabimus tract. de Scientia Media.

(*+*)

QVÆ-

QVÆST. X.

Vtrum Deus poſſit prædefinire, & de facto prædefiniat efficaciter noſtrum liberum conſenſum?

HVcuſque egimus de decretis auxiliorum. Nunc agendum nobis eſt decretis ipſorum operum, ad quæ conferuntur auxilia. Quærimus ergo in præſenti: vtrum Deus antecedenter ad noſtrum opus bonum poſsit, & de facto illud efficaciter prædefiniat.

SECT. I.

Nonnulla præſuppoſita.

1 NOmine Prædefinitionis efficacis intelligimus voluntatem abſolutam, qua Deus noſtram operationem decernat: non comitanter cum ipſa libera operatione, ſed antecedenter ad ipſam. Non quidem ea ratione, qua componibilis ſit, adhuc quatenus eſt ex ſe, cum carentia operis decretati, ſed ita, vt ex prædicatis intrinſecis eſſentialiter ſit connexa cum opere, quod decernit.

2 Hæc Prædefinitio efficax multipliciter poteſt excogitari antecedens. Primo ſe ipſa influendo in opus prædefinitum. Secundo ſe ipſa determinando, & cauſando prædeterminationem ad opus prædefinitum. Tertio ita, vt, quamuis ex ſe, neque influat in opus prædefinitum, neque determinet ad prædeterminationē: de facto tamen cauſet conſenſum media determinatione, potius quàm medio auxilio indifferente. Quarto denique ita, vt de facto neque ſe ipſa influat in conſenſum, neque media determinatione, ſed tantum interuentu auxilij indifferentis.

3 Rurſus hæc vltima Prædefinitio, quæ neque ſe ipſa influit in conſenſum, neque prædeterminationem affigit, aliter, & aliter poteſt excogitari tendere in conſenſum. Primo in conſenſum vt liberè faciendum: ſiuè per hanc libertatem determinatam, ſiuè

vagè

vagé per hanc, vel illam. Secundo prædefiniendo conſenſum ſecundum ſe, omnino præſcindendo à modo libertatis, vel neceſsitatis. Tertio prædefiniendo conſenſum, vel vt liberum, vel vt neceſſarium disiunctiué.

4 Ex his prædefinitionibus tres priores libertati opponuntur, vtpoté quæ proximè, vel remoté ad conſenſum prædeterminant. Quæſtio igitur noſtra non procedit de his prædefinitionibus. Satis enim eas vt libertatis inimicas in ſuperioribus reiecimus. Agimus igitur de prædefinionibus abſolutis, & efficacibus quæ per media prorſus indifferentia conſenſum obtineant. De quibus ſeorſim noſtram mentem diuerſis concluſionibus aperiemus.

5 Prius tamen aduertere oportet in plurium ſententia actus liberos non extrinſecè, ſed intrinſecè, & eſſentialiter liberos eſſe. Quapropter iuxta hanc ſententiam, cum non ſit actus indifferens vt liberè, vel neceſſario eliciatur, non poterit Deus prædefinire conſenſum ſecundum ſe, præſcindendo ab eo quod ſit liber, vel neceſſarius. Et licet Deus poſsit prædefinire actum intrinſecè, & eſſentialiter liberum, quin formaliter ex vi ipſius actus prædefiniat libertatem, cum qua actus eſſentialiter cónectitur; non tamen poterit illum prædefinire, quin velit illud eſſe intrinſecè connexum cum libertate. Quam obrem vt quæſtio de prædefinitione actus ſecundum ſe, præſcindendo ab eo quod ſit liber, vel neceſſarius, locum habeat, ſupponenda eſt ſententia conſtituens actus extrinſecè liberos. Qua ſuppoſitione facta, quæſtio procedet.

6 Triplex in hac quæſtione eſt ſententia. Prima tenet omnem prædefinitionem efficacem noſtri conſenſus antecedentem illum tollere illius libertatem. Ita Vazquez, & eius diſcipuli. Secunda docet has prædefinitiones, ſi à Scientia Media dependeant, libertati non obeſſe. Ita Suarez cum pluribus: quos citatos reperies apud P. Ribadeneira, qui eandem tenet ſententiã tract. de Prædeſt. diſp. 12. Tertia ſententia tenet has Prædefinitiones etiam conceptas abſque Scientiæ Mediæ prælucentia libertatem ſeruare. Ita Suarez apud Arriaga 1. p. tract. de Prædeſtinat. diſp. 35. ſect. 3. Coninc. de fide diſp. 2. dub. 7. à num. 107. P. Ribadeneira de Prædeſtinat. diſp. 12. à num. 23. P. Quiros diſp. 9. ſect. 6. & in manuſcriptis Ripalda, Ouiedo, & alij RR.

SECT.

SECT. II.

Nulla Prædefinitio conſenſus, ſiuè vt liberi, ſiuè ſecundum ſe dependens à Scientia Media de ipſo, tollit illius libertatem.

7 Sit noſtra prima concluſio. Prædefinitio efficax antecedens noſtri conſenſus, ſiuè vt liberi, ſiuè ſecundum ſe, dependens à Scientia Media de ipſo ſub auxilio, medio quo prædicta prædefinitio influit in conſenſum illius libertati non opponitur: conſequenterque huiuſmodi prædefinitio poſsibilis eſt. Probatur hæc concluſio. Et primo de prædefinitione conſenſus liberi vt liberi.

8 Deus inſtructus Scientia Media de conſenſu liberè futuro, ſi exiſtat auxilium A, & cognoſcens ſe poſſe ponere auxilium A, cognoſcit ſimiliter habere medium, quo de facto obtineat ab homine conſenſum liberum. Sed qui habet medium aptum ad finem, poteſt intendere finem efficaciter ante poſsitionem medij. Ergo Deus poteſt intendere efficaciter conſenſum liberum Petri ante poſsitionem auxilij. Sed intentio efficax Dei de conſenſu libero non poteſt opponi ipſi conſenſui vt libero. Ergo Deus poteſt abſque libertatis iactura præintendere efficaciter conſenſum liberum.

9 Probatur deinde de qualibet prædefinitione, ſiuè ſit de conſenſu libero ſecundum ſe, ſiuè de conſenſu reduplicatiuè vt libero. Si prædefinitio conſenſus opponeretur illius libertati, ex eo eſſet, quia opponeretur poteſtati proximæ ad diſſenſum. Sed illi non opponitur. Ergo neque libertati conſenſus. Maior eſt certa. Minor probatur. Prædefinitio conſenſus non eſt neceſsitas antecedens immediatè ad conſenſum, neque illam inducit. Ergo neque tollit poteſtatem antecedentem ad conſenſum. Conſequentia eſt legitima: idem enim eſt neceſsitas vnius contradictorij, ac alterius impoſsibilitas. Si ergo prædefinitio non reddit neceſſarium antecedenter immediatè conſenſum, neque per ſe, neque per aliud ab ipſa deriuatum: conſequenter neque reddet impoſsibilem diſſenſum: ideoque non officiet illius proximæ poteſtati. Antecedens probatur. Prædefinitio efficax modo explicato non inducit neceſsitatem antecedentem diſtinctam à ſe, cum tantum medio auxi-

lio indifferenti influat in conſenſum. Deinde neque ſe ipſa eſt neceſsitas immediata antecedens. Ergo, &c. Hoc vltimum probatur. Hæc Prædefinitio non influit immediatè. Ergo non eſt immediatè antecedens.

10 Declaratur. Tunc datur libertas ad conſenſum, quando dantur omnia, quæ requiruntur vt immediatè influxiua in conſenſum, & diſſenſum: & nihil datur influens immediatè in vnum extremum, & cum illo connexum. Sed adhuc, quando datur prædefinitio efficax explicata, datur totum hoc. Ergo & libertas ad conſenſum, & diſſenſum. Probo maiorem, poſtea minorem probaturus. Tota libertas conſenſus ſaluatur in poteſtate proxima ad conſenſum, & diſſenſum. Sed poteſtas proxima ad conſenſum, & diſſenſum ſolum dicit exiſtentiam omnium, quæ vt immediatè influxiua requiruntur, & defectum cuiuslibet influentis immediatè in vnum, & cum illo connexum. Ergo, dato hoc, ſaluatur libertas. Minor huius ſyllogiſmi probatur. Poteſtas immediata conſenſus dicit omnia principia immediatè requiſita ad conſenſum, & quod hæc principia ſint expedita à neceſsitate proxima antecedenti diſſenſum: quod eſt idem, ac eſſe expedita ab omni connexo cum diſſenſu, & in illum immediatè influenti. Ergo poteſtas proxima ad conſenſum, & diſſenſum ſolum dicit exiſtentiam omnium, quæ vt immediatè influxiua requiruntur, & defectum cuiuſlibet influentis immediatè in vnum, & cum illo connexum.

11 Quod autem totum hoc detur, in caſu prædefinitionis efficacis (quæ erat minor primi ſyllogiſmi) facile probatur. Quia in illo caſu ſolum deficit carentia Prædefinitionis. Sed carentia prædefinitionis neque influit immediatè, neque eſt defectus alicuius connexi cum vno extremo, & in illud immediatè influentis, cum prædefinitio, quamuis connectatur cum conſenſu, in illum immediatè non influat. Ergo prædefinitio non opponitur cum eo, quod detur quid quid ad libertatem, ſeu indifferentiam proximã requiritur. Doctrina huius diſcurſus confirmatur ex D. Thoma 1. p. q. 23. art. 6. *Dicendum, quòd prædeſtinatio certiſsimè, & infallibiliter conſequitur ſuum effectum, nec tamen imponit neceſsitatem. Sed non omnia, quæ prouidentiæ ſubduntur neceſſaria ſunt, ſed quædam contingenter eueniunt ſecundum conditionem cauſarum proximarũ, quas ad tales effectus diuina prouidentia ordinauit, & tamen prouidentiæ ordo eſt infallibilis.* Ecce quomodo D. Thomas ad cauſas præciſſe proximas libertatem effectuum reducit.

12 Probatur ſecundo hæc concluſio. Neceſsitas quæ con-

ſequi-

ſequitur noſtrum liberum conſenſum, & ab illo vt libero dependet, nō eſt neceſsitas ſimpliciter antecedens, minimeque eius libertatem lædere poteſt (cum ab ea neceſsitate poſsit liberum arbitrium ſe expedire) ſed neceſsitas identificata prædefinitioni, conſequitur liberum conſenſum, & ab eo vt libero dependet. Ergo prædicta neceſsitas conſenſus non lædit illius libertatem. Maior conſtat ex communi doctrina circa libertatem, eſtque expreſſa doctrina D. Aug. D. Anſelm. & ferè omnium ſcholaſticorum. Minor probatur. Prædefinitio conſequitur proximè Scientiam Mediam, remotèque conſequitur conſenſum, ad quem Scientia Media conſequitur proximè. Ergo prædefinitio, & neceſsitas cum illa identificata, adeo ſubditur libero arbitrio, ac ſubditur Scientia Media, à qua prædefinitio regulatur. Sed Scientia Media conſequitur conſenſum liberum vt liberum, ita vt, quando homo conſentit, dependeat ab ipſo conſenſu: imò, & per diſſenſum impedibilis ſit. Ergo etiam prædefinitio huic Scientiæ Mediæ innitens, conſequitur eundem liberum conſenſum, vt talem: per diſſenſumque potuit impediri. Ergo non eſt neceſsitas ſimpliciter antecedens, neque libertatem conſenſus lædere poteſt. Omnia hæc clariora fient ſolutione argumentorum, quæ ab aduerſarijs opponi ſolent.

SECT. III.

Soluuntur obiectiones, quæ prædefinitiones in genere poſsibiles impugnant.

13 OB. 1. cum Vazq. & Hericc. Vt prædefinitio conſequens Scientiam Mediam non tolleret libertatem, erat neceſſarium quod purificaretur eadem hypotheſis, ſub qua per Scientiam Mediam præuiſſus fuit conſenſus conditionatus. Sed poſita prædefinitione mutatur hypotheſis. Ergo licet prædefinitio conſequatur Scientiam Mediam, tollet libertatem. Conſequentia eſt bona, & maior certa. Quia eatenus neceſsitas conſequens Scientiam Mediam conſenſus non opponitur libertati conſenſus, quatenus, quando exiſtit conſenſus, exiſtit eo modo, quo præuiſſus fuit conditionatè: conſequenterque neceſsitas dependens à Scientia Media eſt conſequens ipſum vt de facto datur: proindeque non ſimpliciter antecedens ipſum, vt de facto datur. Et ideo quamvis phyſica prædeterminatio ad conſenſum conferatur

Digitized by Google

ex directione Scientiæ Mediæ conſenſus ſub auxilio A indifferenti ad ipſum, & eius carentiam: tollit nihilominus eius libertatem: non ob aliam rationem, niſi quia hypotheſis erat auxilium ſecundum ſe, & poſita prædeterminatione coniungitur cum aliquo connexo cum conſenſu, nempe prædeterminatione ad illum, quæ non erat præuiſſa in hypotheſi Scientiæ Mediæ.

14 Quod autem poſita prædefinitione mutetur hypotheſis, probatur. Hypotheſis veritatis conditionalis, quæ eſt obiectũ Scientiæ Mediæ, debet eſſe indifferens ad conditionatum, & eius carentiam: & ideo hypotheſis præuiſſa erat auxilium A ſecundum ſe. Sed poſita prædefinitione intelligitur iam in ſigno antecedente (quod eſt ſignum hypotheſis) auxilium coniunctum cum prædefinitione: quod auxilium, vt ita coniunctum non eſt indifferens ad conſenſum, & eius carentiam, ſed potius cum illo eſſentialiter connexum. Ergo poſita prædefinitione mutatur hypotheſis.

15 Inſtatur argumentum contra Vazquez, & Herice ex eo quod Scientia Media, Prædeſtinatio, & decretum auxilij vt efficacis, eadem ratione mutent hypotheſim abſque libertatis iactura, ſiquidem Scientia Media aſſumebat pro hypotheſi auxilium ſecundum ſe, & non vt coniunctum cum Scientia Media conſenſus, aut Prædeſtinatione, aut decreto de auxilio vt efficaci: & poſtea in ſtatu abſoluto cum illis coniungitur, & vt ſic coniunctum auxilium præcedit ad conſenſum, ſaltem remoté, quando quidem Sciẽtia Media mouet ad auxilium: & Prædeſtinatio, decretumque auxilij vt efficacis, medio auxilio obtinent conſenſum: deindeque auxilium, vt ita coniunctum, non eſt indifferens ad conſenſum, & diſſenſum, ſed cum conſenſu eſſentialiter connexum. Ergo tota ratio, quæ eſt vt prædefinitio mutet hypotheſim, probat pariter Scientiam Mediam, Prædeſtinationem, & decretum auxilij vt efficacis, hypotheſim mutare. Ergo eadem ratione, qua, hoc non obſtante, manet libertas, etiam poterit dari prædefinitio abſque libertatis diſpendio.

16 Reſpondeo igitur dupliciter poſſe mutari hypotheſim, vel immutando intrinſecè virtutem proximam, vel alia ratione. Si varietur hypotheſis per variationem intrinſecam virtutis proximæ, tunc impertinens erit Scientia Media ad ſeruandam libertatem. Quia eatenus ſeruatur libertas ſimul cum neceſsitate conſequente Scientiam Mediam, quatenus in illo ſtatu abſoluto datur conſenſus ſub eadem libertate, qua præuiſſus eſt conditionatè. Cumque libertas conſiſtat in proxima poteſtate ad vtrumque,

muta-

mutata proxima poteſtate, mutari libertatē neceſſe erit. Qua propter non erit conſenſus abſolutus, ſub libertate, qua præuiſſus eſt conditionatè: conſequenterque, vt ita exiſtens, non erit ratio vt exiſtat Scientia Media, à qua dependet. Ex quo fit quod licet illa neceſsitas conſequatur proximè Scientiam Mediā; non tamen cōſequetur remotè ipſum conſenſum, quatenus exiſtit: & ideo erit neceſsitas antecedens conſenſum de facto exiſtentem, & nullo modo conſequens ipſum ſecundum quod de facto exiſtit. Erit ergo neceſſitas oppoſita libertati.

17 Si vero immutatio hypotheſis nōn fit immutādo intrinſecè poteſtatē proximā vnius, aut alterius extremi, tunc nō oberit illa immutatio, quo minus cum neceſsitate conſequente Scientiā Mediam ſeruetur libertas. Ratio ſumitur ex dictis. Quia cum libertas idem ſit, ac poteſtas proxima ad vtrumlibet, & manet eadem potentia proxima ad vtrumque, quæ præuiſſa erat: manet ſimiliter eadem libertas. Ex quo fit dari eundem cōſenſum liberum, ratione cuius exiſtit Scientia Media: conſequenterque neceſsitatem conſequentē Scientiā Mediam eſſe remotè conſequentē ipſum cōſenſum: ad quē, vt modo liberè exiſtit, cōſequitur Scientia Media. Cūque neceſsitas conſequens conſenſum vt liberū non opponatur eius libertati: hinc fit illā neceſsitatē benè cū libertate cohærere.

18 Hinc datur manifeſta diſparitas reſpectu phyſicæ prædeterminationis: quia cum phyſica prædeterminatio immediatè influat in conſenſum: hinc fit mutari hypotheſim ſecundum intrinſecum virtutis proximæ. Tum etiam quia, cum poteſtas proxima diſſenſus inuoluat carentiam phyſicæ prædeterminationis ad conſenſum: ſi conſequenter ad Scientiam Mediā ponatur phyſica prædeterminatio, iam non erit conſenſus in ſtatu abſoluto ea ratione, qua eſt ratio exiſtendi Scientiam Mediam: conſequenterque erit neceſsitas non conſequens cōſenſum, ſecundū quod de facto exiſtit.

Iam ad argumentum in forma diſtinguo maiorem. Vt conſeruetur libertas, requiritur quod purificetur hypotheſis, quæ præuiſſa eſt per Scientiam Mediam: excluſſa omni diuerſitate intrinſeca ex parte poteſtatis proximæ, concedo: aliter nego maiorem. Et diſtinguo minorem. Poſita prædefinitione, mutatur hypotheſis ſecundum intrinſecū poteſtatis proximæ, nego: aliter, omitto minorem: & nego conſequentiam. Ad probationem minoris cōcedo hypotheſim veritatis conditionalis, quæ eſt obiectum Scientiæ Mediæ, debere eſſe indifferentem. Concedo ſimiliter auxilium reduplicatiuè vt coniunctum non eſſe indifferens, ſed connexum.

Et deinde diſtinguo illud conſequens. Ergo mutatur hypotheſis mutatione quoad intrinſecum poteſtatis proximæ: nego: aliter omitto conſequentiam.

19 Sed inſtabis. Vt ex Scientia Media, ad quam conſequitur prædefinitio, inferatur prædefinitionē ſeruare libertatē, neceſſariū eſt quod Scientia Media de conſenſu ſub auxilio A etiā præuideat quod ſi auxiliū A exiſtat ſimul cum prædefinitione conſenſus, adhuc conſenſus exiſtet liberè: alioqui enim nō benè inferetur: exiſtit liberè conſenſus A ſub auxilio A indifferenti. Ergo exiſtet etiam liberè ſub auxilio A adhuc vt cōiuncto cum prædefinitione.

20 In primis poſſet dici ipſam Scientiam Mediam de conſenſu ſub auxilio A eſſe etiam Scientiam neceſſariam (ex parte obiecti) de conſenſu libero ſi exiſteret auxilium A ſimul cum prædefinitione. In hoc enim nullum eſt inconueniens. Deinde abſolutè reſpondeo negando id requiri. Vt enim inferatur ex Scientia Media libertas conſenſus exiſtente prædefinitione, ſufficit quod conſenſus, vt modo liberè exiſtens, ſit ratio exiſtendi Scientiam Mediam, à qua dependet prædefinitio.

21 Ob. 2. Neceſsitas cōſenſus homini ineuitabilis tollit poteſtatē diſſentiendi. Sed prædefinitio eſt neceſsitas cōſenſus ineuitabilis homini. Ergo tollit ab illo diſſentiēdi poteſtatē. Cōſequētia eſt bona, & maior mihi certa: ſiquidē neceſsitas cōſenſus, à qua nō poſſum diuidere diſſenſum, eſt neceſsitas auferens à me poteſtatē diſſentiendi. Minor, videlicet prædefinitionē eſſe mihi ineuitabilē, ſeu inimpedibilē à me, probatur. Voluntas diuina non ſolū fruſtrari, verum neque impediri poteſt à creatura, quo minus exiſtat. Ergo volūtas diuina efficaciter prædefiniens noſtros actus liberos nequit à nobis impediri. Antecedens probatur ex D. Aug. in enchiridio cap. 95. vbi Sanctus Doctor indignum Deo cenſet dicere: *ideo non fecit, quia ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit*: & cap. 96. vbi ait. *Neque ob aliud vocetur omnipotēs, niſi quia quidquid vult poteſt: nec voluntate cuiuſpiam voluntatis creatæ omnipotentis impeditur effectus*. Ergo iuxta Auguſtinum voluntas diuina nequit à creatura impediri.

22 Reſpondeo D. Auguſtinum non loqui de impeditione exiſtentiæ voluntatis diuinæ, ſed effectus ipſius voluntatis. Quod ſolum docet non poſſe voluntatem diuinam efficacem à voluntate creata impediri, quo minus ſortiatur effectum: alioqui voluntas diuina efficax per voluntatem creatam fruſtrabilis eſſet. Ideo inconueniens reputat quod Deus non fecerit quod voluit, quia noluiſ-

ſuit creatura. Non vero dixit inconueniens eſſe quod Deus non velit, quia creatura impedit quod velit. Et rationem ſubdit verbis ſecundo loco adductis: quia ex eo eſt omnipotens, quia in ſua poteſtate habet exiſtere id, quod abſolutè, & efficaciter vult. At vero non poſſe creaturam per diſſenſum liberum impedire quod velit efficaciter ipſam liberè conſentire, in prædictis verbis non innuit.

23 Ob. 3. aliter probando prædefinitionem conſenſus non eſſe à creatura impedibilem. Prædefinitio, quando exiſtit, eſt cauſa poteſtatis proximæ voluntatis creatæ ad conſenſum. Sed hæc poteſtas non eſt poteſtas impeditiua prædefinitionis. Ergo nulla eſt poteſtas in homine ad impediendam prædefinitionem. Minor, in qua eſt difficultas, probatur. Nullus effectus poteſt impedire ſuam cauſam, à qua de facto dependet. Sed poteſtas proxima, quæ eſt in homine, habet pro cauſa prædefinitionem. Ergo illam non poteſt impedire. Maior probatur. Si effectus poſſet impedire cauſam, à qua de facto dependet, poſſet impedire ſe ipſum, quod eſt abſurdum, quia impedire cauſam eſt etiam impedire eius effectū. Ergo effectus non poteſt impedire cauſam, à qua de facto dependet. Ergo poteſtas proxima hominis nequit impedire prædefinitionem, à qua, tanquam à cauſa, dependet: quia ſi id poſſet, poſſet ſimiliter ſui ipſius exiſtentiam impedire.

24 Huic argumento facilè reſpondet P. Ribadeneira aſſerendo prædefinitionem connexam cum conſenſu non eſſe cauſam vnicam, à qua de facto dependet poteſtas proxima creaturæ. Sed eam poteſtatem dependere à decreto auxiliorum indifferenti tanquam à cauſa ſufficienti, & requiſita: & ſimul dependere à prædefinitione efficaci conſenſus, ſiuè à decreto auxiliorum reduplicatiuè vt efficacium. Quo ſuppoſito aſſerit effectum non poſſe impedire cauſam vnicam, & prærequiſitam: benè tamen impedire valere cauſam, quæ ex ſuperabundantia concurrit. Similiterque negat ex poteſtate impediendi cauſam ſuperabundantem effectus inferri poteſtatem impediendi effectum: licet ex poteſtate impeditiuà cauſæ, à qua vnicè dependet effectus inferatur impedibilit ipſius effectus. Quam obrem, licet poteſtas proxima conſentiendi liberè poſsit impedire prædefinitionem cauſantem huiuſmodi poteſtatem proximam; non tamen, iuxta hanc doctrinam, eſt poteſtas impediendi ſe ipſam. Non enim dependet à prædefinitione tanquā à cauſa vnica, & per ſe requiſita, ſed tanquam à cauſa ex ſuperabūdantia influenti.

25 Ego vero, qui hoc duplex decretum, vt ſupervacaneum ad iura libertatis ſeruanda reijcio, & aſſero poteſtatem proximam conſenſus, & diſſenſus, poni per decretum vnicum, hocque poſſe eſſe connexum determinatè cum vno ex extremis libertatis, conſequenter admitto poſſe de facto cauſari poteſtatem proximam conſenſus, & diſſenſus, per prædefinitionem efficacem conſenſus, ita vt nequeat exiſtere libertas, niſi exiſtat huiuſmodi prædefinitio, vel aliud decretum loco illius ſubrogetur.

26 Nihilominus aſſero prædictum argumentum inefficax eſſe. Reſpondeo igitur libertatem ad conſenſum ſimul eſſe effectum prædefinitionis, conſequi ad illam in genere phyſico, & effectiuo: & ſimul eſſe quid antecedens remotè in genere obiectiuo ad prædefinitionem. Cum enim libertas cauſet conſenſum liberum, conſenſuſque vt liber determinet Scientiam Mediam de ipſo ſub prædicta libertate: rurſuſque Scientia Media præcedat directiuè ad prædefinitionem: ſupponimus enim Deum prædefinire efficaciter conſenſum ex directione Scientiæ Mediæ conſenſus ſub ea libertate: fit inde per ſuos gradus libertatem ad conſenſum præcedere remotè ad prædefinitionem, quatenus præcedit conſenſum liberum determinantem qua talem Scientiam Mediam dirigentem ad prædefinitionem.

27 Præterea dupliciter poteſt intelligi aliquid impedire cauſam alicuius effectus, à qua vnicè dependet effectus: vel impediendo illam, & non determinando vlla ratione ſubrogationem alterius: vel determinãdo quod altera ſubrogetur. Si primo modo impediatur cauſa vnica, impeditur effectus: ſecus ſi ſecũdo modo.

Ex his deducitur ſuperioris argumẽti ſolutio. Nam licet prædefinitio cauſet vnicè libertatem: cum tamen in genere obiectiuo prædefinitio ſit etiam poſterior remotè libertate, vt probatum eſt: hinc fit rectè poſſe libertatem impedire prædefinitionem, à qua vnicè de facto dependet. Præterea licet Scientia Media ſecundum ſe non determinet neceſſario Deum ad conferendam libertatem: Scientia tamen vt determinata per conſenſum liberum, vt abſolutè exercitum, Deum determinat ad habendum aliquod decretum cauſatiuum auxiliorum. Quapropter poteſtas impediendi per diſſenſum abſolutum cauſam, à qua vnicè dependet libertas, non eſt poteſtas impediendi vtcumque illam cauſam, ſed eſt poteſtas illam impediendi, determinando Deum ad aliam ſubrogandam. Quam obrem non eſt poteſtas ad impediendam libertatem dependentem de facto vnicè à prædefinitione.

Digitized by Google

28 Hinc ad argumentum in forma concedo maiorem, & nego minorem primi ſyllogiſmi. Ad probationem minoris diſtinguo maiorem. Nullus effectus poteſt impedire cauſam, à qua de facto dependet: ſi illa cauſa nullo modo ſit poſterior natura effectu, neque ab eo vlla ratione dependeat, concedo maiorem. Si cauſa ſit conſequens effectum, & ab illius dominio aliqua ratione dependeat, nego maiorem. Et diſtinguo minorem. Prædefinitio eſt cauſa poteſtatis proximæ conſequens ipſam poteſtatem proximam, aliquaque ratione ab eius dominio dependens, concedo: nō conſequens vlla ratione, nego minorem. Et nego conſequentiam. Ad probationem maioris diſtinguo antecedens: ſi effectus poſſit impedire cauſam, non determinando ad ſubrogationem alterius, poſſet impedire effectum, concedo: ſi poſſet impedire cauſa, determinando ad alterius cauſæ ſubrogationem, poſſet impedire effectum, nego antecedens. Recole quæ diximus quæſt. 3.

29 Ob. 4. Prædefinitio efficax conſenſus eſt incomponibilis cum decreto applicante indifferenter omnipotentiam. Ergo eſt cōponibile cum aliquo conſtitutiuo libertatis. Antecedens probatur. Prædefinitio efficax conſenſus eſt voluntas efficax de non exiſtentia diſſenſus. Sed voluntas efficax de non exiſtentia diſſenſus opponitur applicationi indifferenti omnipotentiæ ad diſſenſum. Ergo prædefinitio conſenſus incomponibilis eſt cum applicatione indifferenti. Minor probatur. Velle efficaciter vt non ſit aliquid, & habere voluntatem indifferentem vt ſit, imò quatenus eſt ex ſe ita affici erga eſſe, vt ſinat ſe ab aliquo determinari ad illud, incōponibilia ſunt. Ergo velle Deum efficaciter per prædefinitionem conſenſus quod non ſit diſſenſus: & ex alia parte ita affici erga diſſenſum, vt ſinat ſe Deus determinari ad illū, incōponibilia ſunt.

30 Confirmatur. Velle Deum efficaciter quod ſit obiectū: & poſtea habere voluntatem indifferentem, vt ſit, vel non ſit, eſt aliqualiter retractare eam voluntatem efficacem. Ergo ſuppoſita prædefinitione efficaci conſenſus habere decretum applicatiuum omnipotentiæ indifferens ad hoc, vt ſit, vel non ſit conſenſus, erit aliqualiter retractare voluntatē efficacē prædefinitiuā conſenſus.

31 Reſpondeo Deū ita velle efficaciter quod ſit conſenſus, & ita nolle efficaciter, quod ſit diſſenſus, vt id velit, & nolit, non vt exiſtens ex determinatione diuina, ſed, vel vt exiſtens ex determinatione aliena, vel ſecundum ſe præſcindendo ab eo, quod à ſe, vel ab alio determinari debeat. Cumque velle exiſtere vnum, deficere aliud ex determinatione aliena, vel ſaltem

præſcindendo ab eo quod ſit ex determinatio[illegible]o
natur cum eo, quod applicet ſuam omnipote[illegible]r
vt ſit ex determinatione aliena: hinc fit prædi[illegible]f
ficacem non opponi cum applicatione indiffe[illegible].
Imò ſi Deus velit efficaciter quod ſit conſenſus [illegible]e
aliena: cum ita exiſtere inuoluat applicatione[illegible],
tantum abeſt prædefinitio ab incomponibilita[illegible].
ne omnipotentiæ, vt potius cum ea eſſentiali[illegible] &
eam, ſaltem interpretatiuè, efficaciter velit.

32 Hinc ad argumentum in forma: n[illegible]e-
cedens. Ad probationem huius diſtinguo maio[illegible]ſ-
ficax conſenſus eſt etiam voluntas efficax de no[illegible]o-
ſus, voluntas exequutiua, nego: voluntas intent[illegible]æ
diſſenſus ſub diſtinguo: vt ponendæ ex determin[illegible]e-
go: non vt ponendæ ex determinatione diuina, c[illegible]m.
Deinde diſtinguo minorem. Voluntas efficax e[illegible]xi-
ſtentiæ diſſenſus, vel intentiua eiuſdem non exiſt[illegible]dæ
ex determinatione diuina, eſt incomponibilis [illegible]one
omnipotentiæ, concedo: intentiua carentiæ, & non [illegible] ex
determinatione diuina, nego minorem: & nego co[illegible]m.
Ad probationem minoris nego antecedens: nam [illegible]r
modo explicato non eſſe aliquid, non excludit vol[illegible]n-
tem ſe determinari ab alio. Ad confirmationem ne[illegible]m
illam indifferentem retractare voluntatem efficace[illegible]pli
cuimus.

33 Ob. 5. Omnis voluntas efficax diuina a[illegible]o-
nis ſe ipſa eſt exequutiua illius actionis, quam effica[illegible]d
quælibet voluntas intrinſecè efficax, & ſe ipſa exequ[illegible]ne
ceſſitat ad illud, & tollit poteſtatem ad oppoſitum. [illegible]li-
bet voluntas diuina efficax conſenſus neceſſitat ad [illegible]l-
lit poteſtatem ad oppoſitum. Conſequentia eſt bona [illegible] in
principijs Societatis certa. Maior ergo, in qua eſt d[illegible]o
batur. Voluntas efficax alicuius actionis eſt vo[illegible]x
concurſus diuini in illam actionem. Sed voluntas e[illegible]ur-
ſus diuini in illam actionem ſe ipſa exequitur illam a[illegible] Er-
go volũtas efficax illius actionis ſe ipſa exequitur illa[illegible]tem.
Maior eſt certa, præcipuè in noſtro caſu, in quo con[illegible] huma-
nus, ſeu determinatio humana, ſimul eſt concurſus De[illegible] Minor pro
batur. Voluntas diuina concurſus actualis diuini, ſ[illegible] efficax eſt
applicatio omnipotentiæ ad concurrendum. Sed ap[illegible]tio om-

nipo-

nipotentiæ ad concurrendum immediatè concurrit. Ergo voluntas efficax concurſus actualis immediatè concurrit. Minor eſt certa, & conſequentia legitima. Maior probatur. Quando potentia ſubditur imperio voluntatis, poſita voluntate efficaci, ſeu voluntatis efficaci imperio, eo ipſo potentia eſt formaliter determinata ad ſuum exercicium. Sed omnipotentia in ordine ad concurrendum in actu ſecundo ſubditur immediatè diuinæ voluntati. Ergo poſita voluntate efficaci de eo, quod concurrat omnipotentia, iam ea ipſa voluntas applicabit, & determinabit omnipotentiam ad concurrendum.

34 Confirmatur 1. Efficacia huiuſmodi voluntatis non ſtat præciſſè inefficacia affectiua: alioqui quælibet voluntas efficax affectiuè etiam creata, eſſet etiam abſolutè efficax ad ſortiendum effectum. Præterea, vt voluntas dicatur abſolutè efficax, non ſufficit quod connectatur cum exiſtentia obiecti amati, quatenus connectatur cum Scientia Media quia non implicat affectus inefficax conſenſu, connexus eſſentialiter cum ipſo ratione Scientiæ Mediæ: affectus enim, quo Deus vellet efficaciter auxilium, tum quia eſt libertatis, conſtitutiuũ, quam libertatem Deus efficaciter amat, & intendit: tum quia eſt efficax, & Deus præuidet eam efficaciam, quam Deus tantum inefficaciter vult. Hic, inquam, actus (qui ex nullo capite videtur mihi repugnans) eſt amor conſenſus eſſentialiter connexus cum conſenſu: & tamen eſt amor inefficax. Ergo ad amorem abſolutè efficacem aliquid aliud requiruntur vltra hoc, quod eſt eſſe voluntatem eſſentialiter connexam cum obiecto amato. Hoc autẽ, quod vlterius requiritur, videtur aliud non eſſe quam volitionem connecti cum obiecto volito ex modo vehementi (vt ita loquar) tendendi in illud, independenter ab eo, quod dependeat, vel non dependeat à Scientia Media. At connexio amoris cum obiecto amato ex ardenti, & vehementi modo tendendi in illud, præſcindendo à dependentia, à Scientia Media, nequit aliter conſiſtere quam, ſi effectus ſe ipſo determinet ad exiſtentiam rei, circa quam adeo efficaciter fertur. Ergo prædefinitio abſolutè efficax conſenſus ſe ipſa determinat ad conſenſum: ac per conſequens neceſsitat abſolutè antecedenter, & immediatè, ad illud: ſiquidem determinatio immediatè antecedens ad vnum extremum tollit poteſtatem ad eius contradictorium.

35 Reſpondeo prædefinitionem, de qua eſt ſermo in præſenti, ideo eſſe abſolutè efficacem, quia connectitur intrinſecè, & eſſentialiter cum conſenſu ex vna parte ratione Scientiæ, quam

eſſen-

Digitized by Google

eſſentialiter ſupponit;& ex alia efficaciter affectiuè tendit in obiectum. Porro efficacia affectiua in actibus diuinis attemperatur directioni ad ipſum actum efficacem: ita vt, ſi non præcedat cognitio de medijs, quibus ex determinatione voluntatis creatæ ſi ponantur, obtinebit Deus infallibiliter conſenſum, Deus nequeat, ne imprudenter procedat, velle efficaciter conſenſum, niſi vel determinando immediatè conſenſum, vel determinando principium, quod immediatè determinat. At vero, dum Deus præuidet in promptu eſſe media indifferentia, quibus infallibiliter conſenſum obtineat: tunc poterit Deus efficaciter affectiuè amare conſenſum, quin per ipſum amorem, aut proximè, aut remoté conſenſum determinet, dummodo id faciat à more ſe ipſo ſupponente Scientiam infallibilem, ratione cuius ſuppoſitionis Deus prudentiſsimè fretus mediorum vtilitate, & eorum cognitioni ſapientiſsimè innitens, poſsit velle efficaciter affectiuè conſenſum ſufficienti ratione, ne fruſtrationi ſuæ voluntatis affectiuè efficacis obnoxius euadat, quin proximè, vel remote Deus per ſuæ voluntatis actum ad conſenſum determinet.

36 Hinc duplex voluntas efficax ſui concurſus actualis in Deo diſtinguenda venit: alia, quæ imperat, & determinat illum concurſum: alia, quæ ſolum habet efficaciter affectiuè ferri in prædictum concurſum, ex directione tamen Scientiæ de aptitudine mediorum ad id conſequendum ex aliena determinatione. Praterea, quamuis potentia aliqua ſubdita ſit voluntatis determinationi; non ideo ſubditur voluntatis determinationi, vt exequendæ per quemlibet actum efficacem affectiuè, ſed ſolum per illum, qui eſt imperium exercitij illius potentiæ. Cumque non omnis diuina volitio exercitij omnipotentiæ ſit imperium illius exercitij, ſed potius detur voluntas efficax diuini exercitij vt imperandi, ſeu determinandi à creatura: hinc fit non ſufficere voluntatem efficacem affectiuè diuini concurſus actualis, vt eo ipſo præciſſe determinet proximè, vel remotè omnipotentiam, vt concurrat in actu ſecundo.

37 Hinc ad argumentum in forma: reſpondeo negando maiorem primi ſyllogiſmi. Ad probationem huius; nego minorē: & ad huius probationem, diſtinguo maiorem. Voluntas efficax diuini concurſus actualis eſt applicatio omnipotentiæ ad eum concurſum. ſi ſit voluntas efficax, & imperans ſiuè voluntas efficax cō curſus, vt ponendi ex determinatione diuina, concedo: ſi ſit voluntas efficax concurſus diuini habita ex directione vtilitatis mediorum

tum

Digitized by Google

rum indifferentium, & non poſitiuè concurſus vt ponendi ex determinatione diuina, nego maiorem. Et conceſſa minori, nego conſequentiam vniuerſaliter ſumptam. Ad vltimam probationem maioris reſpondeo negando maiorem vniuerſaliter ſumptam: quia vt potentia ſubdita voluntati determinetur, non ſufficit quælibet voluntas efficax, ſed requiritur voluntas efficax, quæ imperet modo explicato numero præcedenti, & non ſufficit voluntas efficax affectiuè habita ex præcognitione mediorum indifferentium, quando hæc voluntas non poſitiue vult quod illud exercitium exiſtat ex determinatione diuina.

38 Ad confirmationem reſpondeo ad voluntatis abſolutam efficaciam non ſufficere efficaciam præciſſè affectiuam, neque connexionem præciſſè cum obiecto amato, ſed requiri vtrumque: nempe, & efficaciam affectiuam, & connexionem, quæ connexio eſt de ratione illius efficaciæ, quatenus illa efficacia ita innititur ſcientiæ de mediorum vtilitate, vt Deus ex vi illius efficaciæ affectiuæ teneatur, vel ad conferenda media illa indifferẽtia, quibus videt conſenſum infallibiliter obtinendum, vel ad ponendam prædeterminationem neceſſitantem ad conſenſum. Tandem negandum eſt efficaciam conſiſtere in connexione fundata in vehementia affectus, præſcindendo omnino à ſuppoſitione Scientiæ Mediæ. Non enim à tali ſuppoſitione præſcindendum eſt: ſed ex eo connectetur cum conſenſu, quia ille affectus ſupponens Scientiam Mediã adeo impenſè fertur in conſenſum, vt ex amore conſenſus teneatur, vel ad prædeterminandum, vel ad ponenda media, quæ præuidit efficacia, licet indifferentia.

39 Vltimum argumentum, quod hic poterat opponi, eſt quod deſumitur ex antecedentia huius prædefinitionis reſpectu conſenſus: videtur enim eſſe antecedentem neceſſitatem conſenſus, cum & ſit connexa, & antecedat. Verum omnem prædefinitionem ſiue conſenſus, ſiue auxilij vt efficacis ad conſenſum directam ex Scientia Media conſenſus non eſſe neceſſitatem ſimpliciter antecedentem, ſed ſolum ſecundum quid, quando quidem eſt conſequens conſenſum in caſu auxilij ratione Scientiæ Mediæ, ideoque libertatis iura ſeruans illæſa, conſtat, tum ex noſtræ ſententiæ probatione; tum ex quæſtione 3. vbi id latè oſtendimus, mutuamque præcedentiam inter conſenſum, & decretum cum illo connexum directum ex Scientia Media per ... prium propugnauimus.

(***)

SECT. IV.

Vtrum Deus prædiffiniat efficaciter defacto noſtra bona opera libera?

40 SEntio defacto Deum liberas hominum bonas operationes efficaciter prædefinire. Hæc ſententia communis eſt apud noſtros exceptis Vazquez, & Hericee: nec non alijs, vt Leſſius, & Molina: qui non ſatis claro loquuntur. Vt probetur defacto prædefinitionem efficacem exiſtere recurrendum eſt ad Scripturæ, & Patrum authoritates. Plurimas adducit P. Ruiz de Montoya tomo de Prouidentia diſp. 6. per totam. Satis prædicta concluſio probatur communiter à Theologis ex illis verbis *num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Ge. 50. *Non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, ſi decreueris ſaluare Iſrael.* Eſther. 23. *voluntati eius quis reſiſtet?* Hæc verba loquuntur de voluntate Dei circa opera libera, vt conſtat ex Scriptura. Deinde de voluntate antecedenti: nam non poſſe reſiſti voluntati omnino ſupponenti id ipſum, quod vult, nihil commendat diuinam omnipotentiam, aut Dei voluntatis efficaciam. Vltimo dicuntur hæ voluntates, quibus non poſſumus reſiſtere. Ergo ſunt voluntates efficaces. Sed voluntas noſtri conſenſus antecedens, & efficax, eſt prædefinitio efficax. Ergo iuxta Scripturam prædefinitio efficax operis liberi defacto datur.

41 Ob hanc rationem D. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 4. ait: *voluntati ſaluum facere nullum hominis reſiſtit arbitriũ: ſic enim velle, & nolle in volentis & nolentis eſt poteſtate, vt diuinã voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Etiam lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 17. explicans verba Iacobi 1. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide, & heredes regni* hæc habet *eligendo Deus facit diuites in fide, ſicut heredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis faciat eos elegit.* Electi ergo ſunt efficaciter ad fidem.

42 Conſonat elegentiſsimè Chriſoſtomus, qui efficaciam diuinæ voluntatis circa noſtra opera libera comparat efficaciæ verborum, quibus orbem condidit. Sic igitur loquitur homil. 2. in pſalm. 50. colum. 2. *ſi Deus* (inquit) *dixerit adultero iam nolo, vt adulter ſis, verba ſtatim vertuntur in opera. Si dixerit fornicatori*

for-

fornicari ceſſa ab immunditia tua, illico mens eius in melius mutatur. Et vt ſcias quia ita eſt, dixit fiat cœlum, & factum eſt cœlum: præcepit fieri terram, & verbum eius in opere ceſſit. Volo fieri luminaria, ſtatim facta ſunt, & aſtris cõpletum eſt cœlum, Sol, & Luna præcepto eius conſumant curſum ſuum. Volo fieri Angelos: & in puncto horæ tanta millia facta ſunt. Et qui ex nihilo hæc omnia fecit, ſi vult, ſermone ſuo peccata tua non valet ſaluere, & poſt pœnitentiam in Angelicum conſtituere gradum. Hæc verba adeo clarè oſtendunt Deum antecedenter efficaciter velle noſtra bona opera, vt explicatione non egeant. Vide plurima aliorum Patrum verba, tum apud P. Ruiz de Montoya, vbi ſupra: tum apud Aldrete tract. de Prædeſtinat. diſp.3. ſect.1. & 2.

43 Probatur 2. noſtra concluſio. Sæpe nos oramus pro noſtra, & pro aliorum æterna ſalute, necnon pro recta, & bona operatione: Deusque noſtris precibus aſſentitur, & promittit ea, quæ ab ipſo poſtulamus. Conſtat hoc ex Ezechiel. 23. v.7. *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Ad quæ verba Auguſtinus de Prædeſt. Sanct. cap.11. hæc habet. *Attendite fratres, & videbitis Deum illa promittere facturũ ſe vt faciant, quæ iubet vt fiant.* Quibus poſitis ſic conficitur argumentum. Qui promittit ſe aliquid facturum, tenetur habere voluntatem efficacem illius, quod promittit. Sed Deus promittit nobis noſtram bonam operationem. Ergo tenetur habere voluntatem efficacem noſtræ bonæ operationis. Habet ergo prædictam voluntatem efficacem. Conſequentia eſt legitima, & minor conſtat ex verbis adductis. Maior igitur probatur. Qui promittit, tenetur ex vi promiſsionis, & ex vi veritatis in promittendo, ad habendam voluntatem efficacem adimplendi promiſſum. Ergo, dum Deus promittit nobis ſe facturum vt rectè velimus, tenetur velle efficaciter ſe ita facere vt velimus, teneturque velle quod velimus: id enim promittit Deus, nempe promittit nobis media ſua diſpoſitione, quod velimus, & rectè operemur.

44 Reſpondent aduerſarij omnibus authoritatibus, quæ adducuntur, Deum velle noſtram bonam operationem: non in ſe ipſa, ita vt affectus, quatenus efficax eſt, reſpiciat noſtra opera. Sed velle efficaciter media præuiſſa efficacia ad noſtra bona opera: ideoque velle noſtrum opus in auxilio efficaci. Ille enim, qui ductus ſcientia de efficacia auxilij eſſentialiter vera, vult efficaciter auxilium volitione eſſentialiter ſupponente eam ſcientiam, vult æquiualenter conſenſum liberum. Nam licet directè in conſen

auxilij efficacis, niſi illud conferatur, quia efficax eſt. Deinde non perfectè confertur quia efficax, quando ſolum inefficaciter intenditur conſenſus. Ergo neque perfectè eſt ſpeciale beneficium, ſi ſolum intendatur conſenſus, ſeu efficacia in actu ſecundo. Hæc ſecunda minor videtur clara. Dum ſolum inefficaciter intenditur efficacia in actu ſecundo, ſiuê conſenſus, non confertur auxilium perfectè propter conſenſum, ſed propter alium finem vnicè efficaciter mouentem. Ergo non datur ſimpliciter ſpecialitas beneficij in collatione auxilij efficacis præinefficaci ex intentione inefficaci conſenſus: ſiquidem in eo caſu non datur perfectè auxilium quia efficax; ſed propter aliud motiuum.

47 Hic quæri poterat an hæc prædefinitio efficax conſenſus non ſolum detur de facto, verum neceſſaria ſit vt detur conſenſus. Cæterum cum quæſt.5. docuerimus Deum non neceſſario moueri ex efficacia auxilij ad illud conferendum, ſed poſſe illud conferre, & non ex hoc motiuo: facile deducitur non eſſe neceſſariam intentionem, ſiuê prædefinitionem conſenſus: cum ad hoc ſolum videatur requiri: nempe vt Deus conferat auxilia ad opus bonum ex intentione efficaci illius operis. Si ergo ita conferre auxilium, dum confertur neceſſarium non ſit: non eſt ratio quare ad cõſenſum prædefinitio efficax illius ſit requiſita.

48 Vnum hic aduertere placet: nimirum, non ex eo non eſſe requiſitam prædefinitionem, quia tolleret libertatem ſi foret prærequiſita. Etenim prærequiri ad conſenſum aliquid connexum cum illo non obeſt illius libertati, dummodo tale prærequiſitum non influat immediatè in conſenſum. Nam, vt ſupra vidimus, auxilium, vt collatum ex directione Scientiæ Mediæ conſenſus, prærequiritur ad conſenſum, & cum eo connectitur. Nihilominus, quia Scientia Media conſenſus non influit immediatè in cõſenſum, ideo non tollit libertatem illius. Pariter ergo poſset dici de prædefinitione efficaci conſenſus, quantumuis eſſet eſſentialiter prærequiſita, & connexa.

SECT. V.

Vtrum poſsit dari prædefinitio efficax conſenſus præſcindens á libero, & neceſſario, dependens á Scientia Media?

49 DVpliciter poteſt conſiderari hæc præſciſsio. Primo vt ſit diſiunctio vagans per media libera, & neceſſaria. Ita vt Deus

Deus decernat hac ratione. *Decerno quod ſit conſenſus ſiuè per media indifferentia, ſiuè per media neceſſitantia.* Secūdo ita, vt omnino prædefinitio præſcindat à medijs, decernendo hac ratione. *Volo quod exiſtat conſenſus*: quin vlterius ad media prædefinitio, vel abſolutè, vel conditionatè progrediatur. Præterea decretum conſenſus vagans per media libera, & neceſſaria, dupliciter etiam poteſt conſiderari vagans per media libera: vel ita, vt ſolum hæc disiunctio fiat inter media indifferentia efficacia: vel vt vagetur per omnia auxilia indifferentia. Etenim ſuppoſito quod ad obtinendum conſenſum liberum à Petro ſolum ſit duplex auxilium efficax v.g. A, & B. ſi Deus decerneret conſenſum vt obtinendum, vel per phyſicam determinationem, vel per auxilium A, vel B. vel E. & ſic de alijs. In hoc inquam caſu decerneret conſenſum vt obtinendum vel per medium neceſſarium, vel per medium indifferens efficax, vel per medium indifferens inefficax ad prædictum conſenſum obtinendum.

50 Denique hæc prædefinitio efficax conſenſus præſcindendo à medijs liberis, & neceſſarijs, poteſt excogitari, vel dependens, & regulata à Scientia Media efficaciæ eorum mediorum: vel independenter omnino à prædictæ Scientiæ Mediæ regulatione, & directione. De prædefinitione præſcindente à medijs liberis, & neceſſarijs, regulata tamen Scientia Media agemus in hac ſectione. Cæterum de prædefinitione à Scientia Media non regulata integram ſequentem quæſtionem inſtituemus.

51 In primis certum mihi eſt non dari prædifinitionem conſenſus vagantem per media indifferentia efficacia, & ſimul per indifferentia inefficacia. Nam non poteſt Deus ſerio, & efficaciter decernere conſenſum vt conſequendum, aut per medium vtile, aut per medium inutile. Sed auxilium indifferens inefficax inutile eſt de facto ad obtinendum conſenſum. Ergo nequit Deus decernere conſenſum, aut per auxilium efficax, aut per auxilium inefficax, ſed ſolum per aliquod auxilium præuiſum efficax. Conſequentia eſt bona, & minor certa: nam auxilium præuiſum inefficax, licet ex ſe habeat conducentiam intrinſecam ad conſenſum, nihilominus de facto, ſi ponatur, non obtinebit conſenſum: hoc autem eſt de facto non eſſe hic, & nunc vtile proximè ad conſenſum.

52 Iam vero maior: videlicet non poſſe Deum efficaciter decernere conſenſum vt obtinendum, ſiuè per medium vtile proximè, ſiuè per medium proximè inutile, probatur facile. Nam ne disiunctiuè quidem poteſt Deus efficaciter velle obtinere conſen-

ſen-

Digitized by Google

ſenſum per medium, quo poſito non obtinebit conſenſum. Quem admodum nequit Deus efficaciter velle obtinere conſenſum, vel per auxilium, vel per lapidem loco auxilij. Cuius ratio eſt nam qualibet voluntas efficax finis vt conſequendi per media, debet reſpicere media, quibus poſitis, obtineatur finis: nemo enim vlla ratione poteſt eligere vt medium ad finem vt efficaciter intentum id, de quo certus eſt non obtenturum eſſe finem, etiamſi de facto adhibeatur. Hoc enim eſt, & contra efficaciam intentionis, & cõtra rationem in electione. Hoc ſuppoſito.

53 Sit noſtra concluſio. Poteſt Deus prædefinire efficaciter conſenſum, tum prædefinitione vagante per media neceſſaria, & indifferentia, efficacia tamen in actu primo: tum etiam prædefinitione omnino præſcindente à medijs liberis, & neceſſarijs: dummodo Prædefinitio dirigatur, & reguletur, Scientia Media efficaciæ mediorum indifferentium. Explicatur concluſio. Deus inſtructus Scientia Media efficaciæ auxiliorum A, & B, & inefficaciæ aliorum poteſt dupliciter prædefinire efficaciter conſenſum, quem ſupponimus poſſe, & liberè, & neceſſario elici. Primò poteſt Deus decernere hac ratione. *Decerno quod exiſtat conſenſus ſiuè per medium neceſſitans, ſiuè per vnum ex auxilijs A, & B; quæ efficacia ad obtinendum conſenſum præuideo.* Secundo poteſt eundem efficaciter ita prædefinire. *Decerno quod exiſtat conſenſus*: quin ex vi huius prædefinitionis, ne disiunctiuè quidem, decernat aliquod medium.

54 Prima pars huius concluſionis probatur. Deus Sciẽtia Media inſtructus de efficacia auxiliorum A, & B. cognoſcit habere in manu ſua obtinere conſenſum, tum per media neceſſitantia, tum per auxilia indifferentia A, & B. Sed qui cognoſcit habere in ſua manu conſequutionem finis, poteſt velle efficaciter obtinere finem per aliquod ex illis medijs, relinquendo ad aliud ſignũ determinationem medij. Ergo poteſt Deus videns per Scientias Naturalem, & Mediam, habere in ſua manu obtinere conſenſum, tum per media neceſſitantia, tum per indifferentia, decernere efficaciter obtinere conſenſum, aut per media neceſſitantia, aut per media indifferentia.

55 Deinde hæc prædefinitio, cum intrinſecè habeat decernere conſenſum, aut per media neceſſitantia, aut per indifferentia efficacia in actu primo, eſſentialiter habebit dirigi, & regulari Scientia Media efficaciæ auxiliorum indifferentium A, & B. Quam obrem ſi Deus nolens neceſſitatem imponere eligat auxiliũ

indifferens, v.g. A: tunc Petrus eadem poteſtate, qua poteſt diſſentire auxilio A, poteſt ſimiliter impedire Scientiã Mediã de cõſenſu: conſequenterque prædefinitionem eam conſenſus: & ideo connexio huius prædefinitionis cũ conſenſu erit connexio conſequẽs, ipſaq; prædefinitio impedibilis, ſubindeq; libertati nõ opponetur.

56 Secunda concluſionis pars: nimirum poſſe Deũ prædefinire efficaciter conſenſum præſcindendo omnino à medijs, maiorem videtur difficultatem continere. Etenim non videtur apparere qua ratione huiuſmodi prædefinitio præſcindens poſsit eſſentialiter à Scientia Media dependere, cum in hoc modo tendendi. *Volo quod exiſtat conſenſus* non appareat vlla connexio cum Scientia Media, neque vllus reſpectus exigens, vt talis, Scientiæ Mediæ directionem.

57 Verum, licet prædicta prædefinitio non reſpiciat intrinſecè medium indifferens vt extremum prædefinitum, aut decretatum, ſiuê determinatè, ſiuè vagè: nihilominus negandus non eſt ei prædefinitioni aliquis intrinſecus reſpectus, ratione cuius eſſentialiter Scientiã Mediã præſupponat. Primò dici poteſt eam prædefinitionẽ conſenſus ſecundũ ſe eſſe ſimul cõplacentiã Dei de conſequibilitate conſenſus per auxilia A, & B: ita vt licet prædefinitio ſolum decernat efficaciter conſenſum, tendat tamen ſub expreſsione huic æquiualenti. *Volo quod exiſtat conſenſus, & complaceo in eo quod prædictum conſenſum obtinere valeam, non ſolùm per media neceſsitantia, verum etiam per auxilia A, & B.*

58 Poteſt etiam dici Deum prædefinire conſenſum ſub hac expreſsione. *Volo conſenſum, quod prauideo conſequibile, tum per media neceſsitantia, tum per auxilia indifferentia A, & B:* nam poteſt Deus per ſuam intentionem ferri formaliter in conſequibilitatem conſenſus, vt obiectum purê materiale, quin vlla ratione formaliter intendat, vel inefficaciter, apponere hæc, vel illa media: modo quo aliquando qui peccat poteſt tendere in furtum v.g. ſub hac formali expreſsione. *Volo furtum prauidens me propter hoc peccatum pœnis inferni obnoxium reddi.* Qui affectus minimè, vel inefficaciter, intendit pœnas inferni. Pariter in noſtro caſu poteſt Deus tendere formaliter, & expreſsè, in conſequibilitatem conſenſus per media indifferentia per affectum ſupponentem ex modo tendendi præuiſionem conditionatam efficaciæ auxiliorum, quin vlla prorſus ratione intendatur, vel leuiſsime, exiſtentia auxilij indifferentis. Poſſet etiam plurimis alijs modis cuique obvijs excogitari prædefinitio eſſentialiter connexa cum

Scien-

Scientia Media, quin vlla ratione ſit, ne vaga quidem, mediorum electio.

59 Ex his probata manet hæc ſecunda concluſionis pars. Nam qui poteſt intendere finem vt conſequendum per hæc, vel illa media, relinquendo ad ſignum poſterius determinationem vnius medij præ alio, non eſt cur non poſsit in primo ſigno intendere finem, relinquendo ad aliud totam omnino electionem mediorum. Ita ergo poterit accidere in noſtro caſu. Deinde, hæc etiam prædefinitio dependet à Scientia Media. Ergo pariter, & impedibilis erit, & cum conſenſus libertate cohærebit. Hæc doctrina clarior reddetur argumentorum ſolutione, quam iam ſubijcio.

60 Obijcies 1. Non facilè percipi poſſe quod dum Deus efficaciter decernit conſenſum ſecundum ſe abſque vlla extenſione ad media, per quæ ſit exercendus, non applicet ſe ipſo omnipotentiam ad exequutionem conſenſus. Sed hoc ipſo iam non erit purè intentiuum, ſed exequutiuum. Ergo tollet libertatem. Nam decretum connexum cũ conſenſu immediatè influens in illum, tollit libertatem. Maior probatur. Exequutio conſenſus ſecundum ſe eſt immediatè omnino ſubiecta omnipotẽtiæ. Ergo dum dicit ſua voluntate efficaci *Fiat conſenſus*, ſicut *Fiat lux*, non poteſt non obedire omnipotentia, niſi quatenus ex ſuo decreto velit fieri conſenſum dependenter à medijs à ſe poſtea eligendis, quorum naturæ attemperetur cõcurſus omnipotentiæ. Ergo, vt decretum hoc non ſit exequutiuum, debet importare reſpectum, & extenſionem, ad media condiſtincta ab ipſo, per quæ velit conſenſum cauſare.

61 Reſpondeo non ſufficere ad omnipotentiæ applicationem quamlibet voluntatem efficacem, quæ non velit conſenſum fieri per alia media, ſed requiri voluntatem, quæ poſitiuè velit fieri ex propria determinatione. Eo enim ipſo quod Deus decernat conſenſum fieri, & non poſitiuè velit quod fiat ex propria determinatione, indiget hæc voluntas, vt effectum ſortiatur, alia voluntate, per quam determinet media, quibus cõſenſus ſit obtinendus.

62 Vnde ad argumentum in forma: nego maiorem. Ad huius probationem conceſſo antecedente diſtinguo conſequens. Ergo dum dicit ſua voluntate efficaci *Fiat conſenſus* non poteſt non obedire omnipotentia, ſi ſit voluntas efficax conſenſus, vt ponendi ex propria determinatione, & ea voluntas ex proprio modo tendendi ſit imperatiua conſenſus, concedo: ſi tantum ſit voluntas efficax affectiua, & præſcindens à medijs, nego conſequentiam. An verò hæ voluntates diſtinguantur ex parte obiecti, vel ſolum

ex parte modi, reſpondeo hoc ſecundo modo ſolum diſtingui quod in pluribus alijs caſibus dicendum eſt.

63 Hæc eadem difficultas deuoranda eſt in voluntate, qua Deus velit quod exiſtat conſenſus dependenter ab auxilio ex ſe indifferenti. Nam cum etiam in hoc caſu poſſit Deus ita efficaciter velle conſenſum medio hoc auxilio, vt hæc voluntas ſe ipſa influat ſimul cum auxilio: etiam in hoc caſu voluntas de conſenſu medio auxilio erit exequutiua. Ergo ad diſtinctionem voluntatis intétinæ, & exequutiuæ, nō ſufficit quod vna velit auxiliū, ſecus altera. Sicut ergo diſtinguēda eſt duplex volūtas cōſenſus medio auxilio, alia exequutiua, alia purè intétiua: ſic ſimiliter in noſtro caſu

64 Obijcies ſecundo. Velle efficaciter exiſtentiam conſenſus eſt velle, vt conſenſus fiat, & cauſetur. Sed nequit Deus velle, vt conſenſus fiat, & cauſetur, niſi, vel ab hac cauſa determinatè, vel ſub disiunctione ab hac, vel illa. Ergo decretum de conſenſu ſecundum ſe nequit eſſe tam totaliter præſcindens, vt non importet aliquam extenſionem ad media. Reſpondeo *fieri, & cauſari* conſenſum poſſe accipi formaliter, ſeu prædicamentaliter: & poſſe accipi tranſcendentaliter, ſeu radicaliter. Primò modo dicit ipſam actionem, & cauſationem diſtinctam à conſenſu, &, ſi velis, ipſam cauſam. Secundo modo tantum dicit ipſum conſenſum ex prædicatis eſſentialibus habentem neceſsitatem metaphyſicam de eo, quod cauſetur modo quo in homine, & qualibet alia creatura diſtinguenda eſt, & coexiſtentia formalis, ſeu prædicamentalis cū Deo inuoluens ipſum Deum: & coexiſtentia tranſcendentalis, ſeu radicalis, identificata adæquatè cum creatura prout diſtincta à Deo. Cæterum Deus dum prædefinit conſenſum ſecundum ſe vult conſenſum *fieri*, & *cauſari* tranſcendentaliter, vel radicaliter: hoc eſt formaliter vult ipſum conſenſum: virtualiter vero, & interpretatiuè, vult conſenſum *fieri, & cauſari formaliter*. Qua propter in prædefinitione conſenſus præſcinditur à medijs in ſenſu formali; ſecus interpretatiuè illatiuè. Vel, ſi mauis expeditius, & liberius, reſpondere, neganda eſt prima maior propoſitio: ſicut enim exiſtere conſenſum diſtinguitur ab eius effectione, & cauſatione, ſicuti terminus ab actione. ita ſimiliter velle conſenſum exiſtere non eſt velle cauſari, aut fieri, ſed velle id, quod non poteſt non cauſari, & fieri media aliqua actione, & cauſatione.

65 Obijc. tertio. Ex vi decreti præſcindentis manet Deus determinatus ad ſubſtantiam conſenſus. Ergo non manet indifferēs ad ipſū. Ergo reſpectu ſubſtātiæ actus nulla manet cōtingētia.

Reſ-

Reſpondeo Deū ex vi decreti præſcindentis manere determinatū ad conſenſum, non determinatione antecedenti proximè, ſed antecedenti remote, & ſimul conſequenti ratione Scientiæ Mediæ, à qua dependet. Determinatio vero purè remotè antecedens, & conſequens liberum conſenſum, non tollit libertatem illius.

66 Obijcies quarto. Homo cum auxilijs indifferentibus conſtitutus, data huiuſmodi prædefinitione, licet poſſit diſſentire illis auxilijs vt indifferentibus: attamen non poteſt abſolutè diſſentire. Ergo non habet abſolutam poteſtatem diſſentiendi. Antecedens probatur. Licet homo non conſentiat per hoc medium, conſentiet tamen ex vi medij prædeterminantis. Ergo non poteſt diſſentire. Antecedens probatur. Ex vi decreti de ſubſtantia conſenſus tenetur Deus hominem prædeterminare, ſi videat cum auxilio indifferenti non conſenſurum: nam decretum præſcindens ad id obligat ex natura ſua: alioquin Deus non ſufficienter curaret de eius adimpletione. Ergo homo non conſentiens cum auxilijs indifferentibus, prædeterminabitur à Deo vt conſentiat.

67 Reſpondeo Deum ex vi decreti teneri conferre homini, vel auxilium indifferens efficax, vel phyſicam prædeterminationem. Si tamen homo cum auxilijs indifferentibus, quæ de facto habet, non videretur conſenſurus, cum ſupponamus hanc prædefinitionem à Scientia Media conſenſus ſub his auxilijs dependere, tunc deficeret hoc decretum: nam deficeret Scientia Media, à qua dependet. Qua propter tunc ad nihil teneretur Deus ex vi huiuſmodi decreti: ſiquidem tale decretum, pro illo caſu non exiſteret. Itaque argumentum in eo peccat, quod tacitè ſupponit implicationem in terminis: nempe, & quod non videatur homo conſenſurus per hoc auxilium, & quod exiſtat decretum dependens à Scientia Media de conſenſu ſub eo auxilio. Si vero fingamus, & decretū exiſtere, & ſimul hæc auxilia videri inefficacia, rectè arguetur dandā fore prædeterminationē. Verū caſus implicatorius eſt.

68 Hinc ad argumentum in forma: nego antecedens: nam homo in illo caſu abſolutè poteſt diſſentire. Ad probationem: nego antecedens: quia, ſi homo non conſentiret per hoc auxilium, impediret Scientiam Mediam, & decretum, ratione cuius poſſet teneri Deus ad prædeterminandum. Ad probationem huius antecedentis reſpondeo implicare in terminis propoſitionem. Quia ex vi decreti ſupponentis Scientiam Mediam teneri Deum ad prædeterminandum in caſu defectus illius Scientiæ Mediæ, eſt teneri ad aliquid ex vi decreti in caſu defectus decreti:

quod quidem manifeſtè implicat. Ad probationem ſub iunctam; reſpondeo non eſſe contra debitam curam de adimpletione præcepti non curare de eius adimpletione quando non exiſtit, vt ex ſe manifeſtè patet.

QVÆST. XI.

Vtrùm prædefinitio intentiua efficax conſenſus, non habens eſſentialiter pendere à Scientia Media, tollat libertatem?

HÆc quæſtio nata, & adulta eſt inter noſtros RR. Aliqui eam obiter tractant. Alij magis ex profeſſo. Hos ſequar, quoniam genuina, & legitima doctrinæ Societatis intelligentia ab hac quæſtione plurimum dependet.

SECT. I.

Status quæſtionis proponitur.

1 DVpliciter hoc efficax decretum poſsibile meditantur eius aſſertores. Primò disiunctiuè vagans per media indifferentia, & neceſsitantia, hac ratione: *Volo conſenſum Petri exiſtere, aut per media indifferentia, aut per neceſsitantia.* Secundo modo illud conſiderant omnino præſcindens, tendens nimirum hac ratione, *Volo conſenſum*, quin aliquid aliud, ne disiunctiuè quidem, decernat.

2 Præterea dicunt hoc decretum omnino liberè concipi à Deo: ita, vt pro ſigno libertatis diuinæ ad illud cōcipiendū ſolum intelligatur in Deo ſcientia neceſſaria, qua cognoſcit adeſſe ſibi media, ſaltem neceſsitantia, ad obtinendum ab homine conſenſum.

3 Cum hoc tamen componere tentant hoc decretum abſque humanæ libertatis diſpendio poſſe à Deo concipi: quatenus poteſt Deus pro ſigno poſteriori ad hoc decretum, cognoſcēs adeſſe ſibi non ſolum media neceſsitantia; verumetiam indifferentia, decernere per aliud decretum, hac Scientia de efficacia Me-

dij

Digitized by Google

dij indifferentis regulatum, medium aliquod indifferens, v. g. auxilium A. Quo indifferenti auxilio inſtructus Petrus indifferens eſt ad conſenſum, & diſſenſum, & etiam eſt indifferens, vt per diſſenſum impediat decretum præſcindens: etenim decretum præſcindens, tametſi eſſentialiter neque reguletur Scientia Media, neque abſolutè dependeat à conſenſu; nihilominus, iuxta horum authorum mentem, habet eſſentialiter dependentiam conditionatam à conſenſu: hoc eſt habet eſſentialiter hoc decretum quod, ſi medium non neceſsitans, ſed indifferenter alliciens, adhibeatur à Deo ad obtinendum conſenſum, iam tunc decretum præſcindens dependeat aliqua ratione à conſenſu abſoluto. Qua propter pro illo caſu decretum præſcindens conſequens erit ad conſenſum abſolutum, ſubindeque impedibile per diſſenſum.

4 Hoc explicant exemplo Scientiæ Mediæ; quæ quidem, licet non ſit eſſentialiter abſolutè dependens à conſenſu abſoluto, nihilominus pro caſu auxilij (quamtumvis auxilium ſit poſterius Scientia Media, vtpote collatum ex directione Scientiæ Mediæ) dependet à conſenſu abſoluto, conſequenterque per abſolutum diſſenſum valet impediri. Hac ratione (aiunt) licet decretũ præſcindens non habeat eſſentialiter abſolutè conſequi ad abſolutum conſenſum; habet tamen eſſentialiter conſequi conditionatè: pro caſu nimirum, quo Deus ad obtinendum conſenſum adhibeat media indifferentia: quapropter pro illo caſu non eſt neceſsitas omnino antecedens, ſed conſequens conſenſum, euitabiliſque per diſſenſum.

5 Ita tenent Suarez, apud Arriaga de Prædeſt. diſp. 35. ſect. 3. F. ConinK de fide diſp. 2. dub. 7. à num. 107. P. Ribadeneira de Prædeſt. diſp. 12. à num. 23. P. Quiros de Prædeſt. diſp. 9. ſect. 6. P. Aldrete de Prædeſt. diſp. 3. ſect. 10. num. 10. P. Izquierdo tom. 2. de Deo vno tract. 11. diſp. 39. quæſt. 5. propoſit. 5. & plures RR. in manuſcriptis.

6 PP. Aldrete, Quiros, & Ribad. in diſcriminatim aſſerunt decretum præſcindens pro caſu auxilij indifferentis dependere à conſenſu, & à Scientia Media. Non tamen explicant, an pro caſu auxilij indifferentis dependeat decretum præſcindens à Sciẽtia Media vt regulante, vel ſolum in genere phyſico, quatenus pro eo caſu dependeat à determinatiuo Scientiæ Mediæ: nimirum à conſenſu, vt exiſtente ſub auxilio indifferente.

7 RR. qui magis ex profeſſo hoc decretum præſcindens diſcutiunt, licet teneant repugnare propter rationem, quam pro-

poſuimus, & ſoluimus, quæſtione præcedente ſect.5. à num.60. nihilominus affirmant minime opponi humanæ libertati; proindeque exinde repugnantiam illi prouenire.

8 Inſuper aſſerunt, hoc decretum præſcindens pro caſu auxilij indifferentis non dependere à Scientia Media, vt regulante ipſum, ſed pro illo caſu dependere à Scientia Media, quatenus dependet à conſenſu abſoluto in ſe ipſo. Itaque tenent hoc decretum præſcindens ſolum regulari à Scientia ſimplicis intelligentiæ: & nihilominus eſſentialiter habere quod pro caſu auxilij indifferentis ad conſenſum, dependeat ab ipſo conſenſu abſoluto, vt à priori: quatenus, nimirum, voluntas auxilio indifferenti inſtructa poteſt illi per diſſenſum impedimentum opponere: quod ſufficit (inquiunt RR.) vt pro eo caſu decretum præſcindens dependeat tanquam à ratione à priori ab abſoluto conſenſu.

9 P. Izquierdo liberius hoc decretum cum libertate conciliat. Etenim ex ſuis generaliſsimis principijs ſupponit nullam neceſsitatem non immediatè influentem, vel inducentem influentem immediatè neceſsitatem, libertatem euertere: licet neceſſitas, ſiuè connexio conſequens non ſit ad extremum neceſſarium. Quapropter tenet hoc decretum præſcindens pro caſu auxilij indifferentis dependere à conſenſu libero, non quidem à priori, ſed ſolum à poſteriori: hoc tamen ſufficere, vt voluntas humana auxilio indifferenti inſtructa poſsit illud decretum præſcindens impedire: quia, licet pro eo caſu non ſit poſterius natura diſſenſu, aut comitanter cum illo, ſed in priori: cum tamen neque immediatè influat in conſenſum, neque deriuet neceſsitatem influentem immediatè: inde fit non eſſe neceſsitatem ſimpliciter antecedentem, ſed ſolum ſecundum quid, & à voluntate per diſſenſum impedibilem.

SECT. II.

Prædictum decretum præſcindens tollit libertatem.

10 PRobatur hæc concluſio, quàm etiam defendunt P. Arriaga vbi ſupra, & nonnulli RR. Hoc decretum eſt neceſsitas conſenſus nullatenus conſequens conſenſum, ſed omnino antecedens illum. Ergo tollit poteſtatem diſſentiendi, & cõſequenter libertatem. Conſequentia eſt bona: tum ex principio iuxta Societatis, & Anſelmi doctrinam irrefragabili; nempe, eam

ſolum

ſolum neceſsitatem libertati non obeſſe, quæ à noſtro conſenſu libero deſcendit. Tum quia quod nullatenus noſtrum liberum conſenſum conſequitur, ab eo independens eſt, minimeque à voluntate per diſſenſum impedibile: neceſsitas autem conſentiendi à voluntate inimpedibilis eius libertatem euertit.

11 Probo igitur antecedens: videlicet hoc decretum, quod eſt aliqua neceſsitas conſenſus, vtpote eſſentialiter connexum cum conſenſu, nullatenus conſequi conſenſum, ſed omnino antecedere. Decretum hoc non conſequitur conſenſum phyſicè, non obiectiuè ratione Scientiæ Mediæ, à qua reguletur decretum præſcindens. Ergo nulla ratione. Probatur antecedens per partes. Et in primis hoc decretum non conſequi noſtrum liberum conſenſum obiectiuè ratione Scientiæ Mediæ, à qua dirigatur, probatur. Dirigere Scientiam Mediam conſiſtit in eo, quod ſcientia illuſtrando diuinum intellectum, conſtituat libertatem diuinam ad concipiendum eiuſmodi decretum illud regulando. Sed Scientia Media, quæ non ſupponitur ex ſe ad decretum præſcindens, ſed potius ſubſequitur ad illud, (quando quidem ſubſequitur ad conſenſum abſolutum dependentem ab auxilio collato ex vi decreti deriuati ex decreto præſcindente) non poteſt ex vi auxilij indifferentis aſcendere ad ſignum libertatis decreti præſcindentis, illud regulando, ad illudque dirigendo. Ergo Scientia Media non poteſt præcedere in genere directiuo ad illud decretum præſcindens, adhuc in caſu auxilij indifferentis. Conſequentia eſt legitima, & maior certa. Minor probatur.

12 Primò: quia ipſa quæſtio videtur ſupponere ordinem ſignorum hac ratione. In primo ſigno ſolo ductu Scientiæ neceſſariæ de eo, quod ſuppetant media, vel libera, vel neceſſaria ad obtinendum à Petro conſenſum, Deus decernit intentiuè conſenſum, præſcindendo à medijs liberis, & neceſſarijs. In ſecundo ſigno, vel ſubſequenti, vel diſparato, datur Scientia Media. In tertio ex directione huius Scientiæ Mediæ de efficacia auxilij A. Deus confert Petro auxilium A, vt conſentiat; & denique Petrus conſentit. Ergo, adhuc in caſu, quo datur auxilium A indifferens, non præcedit Scientia Media regulando, & dirigendo decretum præſcindens; ſed ſolum dirigit, & regulat decretum collatiuum auxilij A indifferentis.

13 Secundo. Supponamus Deum, concepto illo decreto præſcindente, velle neceſsitare Petrum ad conſenſum intentiue efficaciter prædefinitum: in hoc caſu, iuxta aduerſarios, decretum

præ-

Digitized by Google

poſuimus, & ſoluimus, quæſtione præcedente ſect. 5. à num. 60. ni hilominus affirmant minime opponi humanæ libertati; proindeque exinde repugnantiam illi prouenire.

8 Inſuper aſſerunt, hoc decretum præſcindens pro caſu auxilij indifferentis non dependere à Scientia Media, vt regulante ipſum, ſed pro illo caſu dependere à Scientia Media, quatenus dependet à conſenſu abſoluto in ſe ipſo. Itaque tenent hoc decretum præſcindens ſolum regulari à Scientia ſimplicis intelligentiæ: & nihilominus eſſentialiter habere quod pro caſu auxilij indifferentis ad conſenſum, dependeat ab ipſo conſenſu abſoluto, vt à priori: quatenus, nimirum, voluntas auxilio indifferenti inſtructa poteſt illi per diſſenſum impedimentum opponere: quod ſufficit (inquiunt RR.) vt pro eo caſu decretum præſcindens dependeat tanquam à ratione à priori ab abſoluto conſenſu.

9 P. Izquierdo liberius hoc decretum cum libertate conciliat. Etenim ex ſuis generaliſsimis principijs ſupponit nullam neceſsitatem non immediatè influentem, vel inducentem influentem immediatè neceſsitatem, libertatem euertere: licet neceſſitas, ſiuè connexio conſequens non ſit ad extremum neceſſarium. Quapropter tenet hoc decretum præſcindens pro caſu auxilij indifferentis dependere à conſenſu libero, non quidem à priori, ſed ſolum à poſteriori: hoc tamen ſufficere, vt voluntas humana auxilio indifferenti inſtructa poſsit illud decretum præſcindens impedire: quia, licet pro eo caſu non ſit poſterius natura diſſenſu, aut comitanter cum illo, ſed in priori: cum tamen neque immediatè influat in conſenſum, neque deriuet neceſsitatem influentem immediatè: inde fit non eſſe neceſsitatem ſimpliciter antecedentem, ſed ſolum ſecundum quid, & à voluntate per diſſenſum impedibilem.

SECT. II.

Prædictum decretum præſcindens tollit libertatem.

10 PRobatur hæc concluſio, quàm etiam defendunt P. Arriaga vbi ſupra, & nonnulli RR. Hoc decretum eſt neceſsitas conſenſus nullatenus conſequens conſenſum, ſed omnino antecedens illum. Ergo tollit poteſtatem diſſentiendi, & cõſequenter libertatem. Conſequentia eſt bona: tum ex principio iuxta Societatis, & Anſelmi doctrinam irrefragabili; nempe, eam ſolum

ſolum neceſsitatem libertati non obeſſe, quæ à noſtro conſenſu libero deſcendit. Tum quia quod nullatenus noſtrum liberum conſenſum conſequitur, ab eo independens eſt, minimeque à volunta-te per diſſenſum impedibile· neceſsitas autem conſentiendi à voluntate inimpedibilis eius libertatem euertit.

11 Probo igitur antecedens: videlicet hoc decretum, quod eſt aliqua neceſsitas conſenſus, vtpote eſſentialiter connexum cum conſenſu, nullatenus conſequi conſenſum, ſed omnino antecedere. Decretum hoc non conſequitur conſenſum phyſicè, non obiectiuè ratione Scientiæ Mediæ, à qua reguletur decretum præſcindens. Ergo nulla ratione. Probatur antecedens per partes. Et in primis hoc decretum non conſequi noſtrum liberum conſenſum obiectiuè ratione Scientiæ Mediæ, à qua dirigatur, probatur. Dirigere Scientiam Mediam conſiſtit in eo, quod ſcientia illuſtrando diuinum intellectum, conſtituat libertatem diuinam ad concipiendum eiuſmodi decretum illud regulando. Sed Scientia Media, quę non ſupponitur ex ſe ad decretum præſcindens, ſed potius ſubſequitur ad illud, (quando quidem ſubſequitur ad conſenſum abſolutum dependentem ab auxilio collato ex vi decreti deriuati ex decreto præſcindente) non poteſt ex vi auxilij indifferentis aſcendere ad ſignum libertatis decreti præſcindentis, illud regulando, ad illudque dirigendo. Ergo Scientia Media non poteſt præcedere in genere directiuo ad illud decretum præſcindens, adhuc in caſu auxilij indifferentis. Conſequentia eſt legitima, & maior certa. Minor probatur.

12 Primò: quia ipſa quæſtio videtur ſupponere ordinem ſignorum hac ratione. In primo ſigno ſolo ductu Scientiæ neceſſariæ de eo, quod ſuppetant media, vel libera, vel neceſſaria ad obtinendum à Petro conſenſum, Deus decernit intentiuè conſenſum, præſcindendo à medijs liberis, & neceſſarijs. In ſecundo ſigno, vel ſubſequenti, vel diſparato, datur Scientia Media. In tertio ex directione huius Scientiæ Mediæ de efficacia auxilij A. Deus confert Petro auxilium A, vt conſentiat; & denique Petrus conſentit. Ergo, adhuc in caſu, quo datur auxilium A indifferens, non præcedit Scientia Media regulando, & dirigendo decretum præſcindens; ſed ſolum dirigit, & regulat decretum collatiuum auxilij A indifferentis.

13 Secundo. Supponamus Deum, concepto illo decreto præſcindente, velle neceſsitare Petrum ad conſenſum intentiue efficaciter prædefinitum: in hoc caſu, iuxta aduerſarios, decretum

præ-

tum idem omnino eſt in vtroque caſu. Sicut igitur decretum omninò perfectum, & abſolutum eſt in ſigno præſcindente ab auxilio: ita ſimiliter prudentia ad illud ſecundum ſe concipiendum, debet eſſe abſoluta ab altera determinatione. Quapropter ſi fingamus Deum ex intentione conſenſus elegiſſe auxilium A inefficax, imprudentia non imputabitur primo decreto, adhoc enim ſufficiens cognitio datur quando Deus cognoſcit eſſe in ſua manu, vel media libera, vel neceſſaria ad obtinendum conſenſum. Tribueretur ergo defectus prudentiæ, & conſiderationis, ſecundæ determinationi: quia, cum non præuiſum fuerit efficax auxilium A, eligeretur in ordine ad conſenſum.

17 Quod autem hoc decretum connectatur cum Scientia Media efficaciæ auxilij A, pro caſu ipſius auxilij, non probat dependere conditionate ab ea Scientia in genere regulatiuo, aut directiuo. Tum, quia etiam pro illo caſu equo iure connectitur cũ Scientia abſoluta conſenſus: & tamen non dependet directiuè, aut regulatiuè ab ea. Non ergo rectè ex connexione regulatio, aut directio, probatur. Tum etiam, quia ſi rectè conſideretur, decretum non conditionatum, ſed abſolutum conſenſus, non connectitur, vt diſtinctum adæquatè à collatione auxilij indifferentis, cum Scientia Media, adhuc pro illo caſu, ſed complexum ex illo decreto, & ex exiſtentia medij de facto indifferentis, connectitur cum Scientia Media, vt infra magis conſtabit.

18 Tranſeamus iam ad ſecundam, & potiſsimam noſtræ probationis partem. Deinde, decretum præſcindens, adhuc pro caſu auxilij indifferentis, non conſequitur phyſicè (prout phyſicè diſtinguitur ab *obiectiuè*) conſenſum prædefinitum. Ergo connexio decreti cum conſenſu nulla ratione eſt conſequens conſenſum. Erit ergo plenè antecedens, conſequenterque ineuitabile per diſſenſum, diſſentiendique poteſtatem euertens. Probatur antecedens: ad quod tota reuocatur difficultas.

19 Hoc decretum in caſu exiſtentiæ auxilij indifferentis non eſt poſterius natura in genere phyſico reſpectu conſenſus. Deinde neque ſe habet concomitanter cum conſenſu. Ergo ſe habet plene antecedenter ad conſenſum. Ergo nulla ratione decretum præſcindens, adhuc pro caſu auxilij, eſt conſequens conſenſum, aut ab eo vlla ratione dependens. Probo conſequentiam, poſtea ſingulas antecedentis partes probaturus. Quod omnino antecedenter ad conſenſum intelligitur conſtitutum, & determinatum, non determinatur à conſenſu, neque illi debet vlla ratione ſuum

eſſe,

eſſe. Sed decretum, quod ita ſe habet antecedenter, vt neque ſubſequatur, neque comitetur, intelligitur conſtitutum, & determinatum omninò antecedenter ad conſenſum, adhuc pro caſu auxilij. Ergo prædictum decretum, adhuc pro caſu auxilij, non determinatur à conſenſu, neque illi vlla ratione debet ſuum eſſe. At qui illud extremum, quod nulla prorſus ratione debet alteri ſuum eſſe, nulla ratione conſequitur illud alterum. Ergo decretum præſcindens, adhuc pro caſu auxilij, nulla ratione conſequitur cōſenſum: ſiquidem pro eo caſu, vtpote plenè antecedens conſenſum, nulla ratione debet conſenſui ſuum eſſe.

20 Non im morarer in probatione huius propoſitionis, niſi P. Izquierdo fidenter, & quaſi paruifaciens argumentum concludens hoc decretum præſcindens libertatem tollere ex eo, quod nullatenus dependeat à conſenſu, ſatis ſibi videatur ei argumento facere reſpondendo decretum præſcindens dependere à conſenſu à poſteriori: hocque ſufficere, vt neceſsitas conſenſus proueniens ab eo decreto, non ſit ſimpliciter antecedens, quia non influit immediatè in conſenſum: ſed conſequens, & impedibilis, quatenus dependens eſt à cōſenſu: nō dependentia à priori, ſed à poſteriori.

21 Verum hæc reſponſio neſcio qua ratione Societatis doctrinæ euadere poſsit conformis. Etenim Societatis Schola à D. Anſelmo, & alijs antiquioribus Patribus edocta, omnem neceſſitatem ex libera determinatione non deſcendentem, veluti libertatem funditus euertentem, exhorret: neceſsitas vero, quæ ita purè conſenſum antecedit, vt neque ipſum ſubſequatur, neque comitetur, non deſcendit ex conſenſu, cum omnino in ſignorum ordine in priori, ſeu eminentiori gradu reſideat.

22 Deinde, quod omnino antecedit conſenſum, quin illum, vel ſubſequatur, vel comitetur, nequit impediri per diſſenſum. Ergo hæc prædefinitio nequit à voluntate humana per diſſenſum impediri. Antecedens probatur. Quod omninò ante determinationem alterius intelligitur exiſtens, omnino ante illam determinationem intelligitur poſitiuè non impeditum quoad exiſtentiam. Ergo hoc decretum ante determinationem humanam conſentiendi, vel diſſentiendi, intelligitur poſitiuè non impeditum vt exiſtat. Sed quod ante determinationem alterius intelligitur excludens omnia impedimenta vt exiſtat, non ſubijcitur determinationi alterius, vt impediatur, vel permittatur. Ergo decretum hoc, ſi omnino antecedit hominis determinationem, non illi ſubijcitur, vt, vel impediatur, vel permittatur exiſtere.

23 Vl-

Digitized by Google

23 Vlterius. Poteſtas ad impediendum, vel permittendum quod res exiſtat, non poteſt non intelligi cum aliqua præcedentia alicuius dominij, iuris, aut poteſtatis ad permittendam, vel impediendam eam rem. Ergo implicat in terminis voluntatem humanam, vt affectam auxilio indifferenti, habere poteſtatem ad permittendum, vel impediendum decretum præſcindens, & quod, vt gaudens ea poteſtate, non ſit cum aliqua prioritate ad decretum. Tunc ſic.

24 Hæc poteſtas non exercetur immediatè in decretum, & ratione illius in conſenſum, vel diſſenſum; ſed potius econtra: prius exercetur in conſentiendo, vel diſſentiendo, & ratione huius determinationis in decretum. Ergo non prius omnino intelligitur decretum; ſed potius prius intelligitur voluntatem ſe determinare, & ratione illius determinationis impedire, vel permittere decretum. Igitur in hoc ordine prius intelligitur voluntas humana indifferens. Deinde intelligitur ſe determinans. Et deinde vi huius determinationis intelligitur decretum habens eſſe permiſsiuè à voluntate creata, vel carens eſſe determinatiuè à cauſa creata. Ergo implicat decretum ſubijci humanæ impeditioni, vel permiſsioni, & eſſe omnino propriori ad eam permiſsionem, vel impeditionē; hoc eſt ad conſenſum, vel diſſenſum.

25 Ob hæc, & alia argumenta, quæ facilè poſſent congeri, optima in Societatis ſchola debet reputari ea conſequentia: Datur exiſtens aliqua connexio metaphyſica cum conſenſu nulla ratione ſubſequens, aut comitans conſenſum. Ergo non datur poteſtas ad diſſenſum, & conſequenter non datur libertas in conſentiendo. Quam obrem, ſuppoſita rectitudine prædictæ illationis, pergo ad probationem antecedentis propoſiti num. 19. videlicet: *Hoc decretum præſcindens in caſu exiſtentiæ auxilij indifferentis non eſt poſterius natura in genere phyſico reſpectu conſenſus, neque ſe habet comitanter cum conſenſu.* Probo igitur hanc propoſitionem per partes. Et incipiendo à ſecunda, quæ huic decreto negat concomitantiam cum conſenſu, breuiter ab ea me expediam, ad quæſtionem 9. vbi ex profeſsò decretum comitans reieci, lectorem remittens.

26 Primò. Si in caſu exiſtentiæ auxilij conſenſus, & decretum de conſenſu, præſcindens à libertate, & neceſsitate, ſe haberent comitanter in caſu eius auxilij determinatio vnius eſſet determinatio alterius, & vice verſa. At ea mutua determinatio non datur. Ergo neque ea concomitantia. Maior eſt certa: nam in hac

mo-

partes. In primis hæc præcedentia in genere phyſico non eſt mediata. Nam, vt daretur ea mediata præcedentia, opus erat conſenſum influere immediatè in aliquod, quod immediatè influeret in decretum. At conſenſus nihil cauſat, quod influat immediatè in decretum. Ergo conſenſus non præcedit mediatè ad decretum. Minor probatur: nam conſenſus nihil vltra ſe cauſat, aut determinat, quod poſsit conducere ad decretum, niſi Scientiam Mediam. Sed Scientia Media, iuxta hanc ſententiam, cum non dirigat, aut regulet, nulla ratione influit in decretum præſcindens ratione ſui, niſi ad ſummum, eſt terminus connexionis decreti pro caſu auxilij, quatenus pro caſu auxilij connectitur decretum cum conſenſu determinante pro eo caſu Scientiam Mediam. Ergo conſenſus nihil, vel cauſat, vel determinat, quod præcedat immediatè in genere phyſico ad decretum præſcindens.

30 Deinde conſenſus non præcedit immediatè in genere phyſico ad decretum: quia ad hoc opus erat, vt aliqua ratione influeret immediatè in illud: quod impoſsibile, & chimæricum eſt. Non enim mihi occurrit, quantumuis ſedulo, & deligenter inueſtigaui, qua ratione conſenſus creatus poſsit vlla prorſus ratione in diuinam determinationem, arcanumque conſilium à ſe ſolo pleniſſimà libertate conceptum, immediatè influere, aliquam ve conducentiam à priori exhibere.

31 Reſpondent RR. hoc decretum, intellecta exiſtentia auxilij indifferentis, iam eſſe ſubſequens ad cõſenſum: non ratione Scientiæ Mediæ determinatæ à conſenſu, & regulantis decretum. Non enim adhuc pro hoc caſu decretum præſcindens regulatur, aut dirigitur à Scientia Media. Sed ratione ſui: quia ex ea ſuppoſitione auxilij indifferentis voluntas pro ſigno indifferentiæ conſtitutæ per auxilium, ita præſcindit à decreto in ordine ad ſua exercitia, vt verum ſit à priori *quia nunc conſentit voluntas, datur decretum, alioqui non dandum*: falſum vero è contra *quia datur decretum; voluntas ſe transfert ex ſua indifferentia ad conſenſum prædictum*: ſiquidem decretum nihil agit in ea translatione.

32 Ex hoc etiam deducunt hoc decretum eſſe impedibile à voluntate per diſſenſum: quia, vt impedibile ſit, non requiritur quod reguletur à Scientia Media, ſed ſufficit quod prædictum decretum dependeat à conſenſu abſoluto, vt exiſtente in alio ſigno, prout verè pendet, dum iam exiſtit auxilium indifferens: cum enim, ex ſuppoſitione auxilij indifferentis, nequeat exiſtere decretum, quin exiſtat conſenſus, & ego poſsim facere ne conſenſus exi-

ſtat:

ſtat: inde poſſum facere quod decretum non exiſtat. Tandem concludunt ſatis explicari impedibilitatem decreti per poteſtatem, quæ, ex ſuppoſitione mediorum indifferẽtium, datur ad impediendum directè obiectum ipſius decreti, nempè conſenſum.

33 Hæc ſolutio difficilem continet doctrinam, ſeu potius non aliam doctrinam continet, quam concluſionis repetitionem. Euoluamus breuiter ſingula. Dicunt voluntatem in ſigno auxilij indifferentis, quia pro eo ſigno præſcindit à decreto præſcindente, eadem poteſtate, qua poteſt ponere conſenſum, poſſe facere quod conſenſus ſit ratio à priori exiſtentiæ decreti. Sed vrget difficultas propoſita. In quo genere cauſæ, principij, aut conditionis, conſenſus eſt ratio à priori decreti. Hoc numquam capio, nec me capere poſſe confido. Numquid creatura immediatè phyſicè Deum ad decernendum mouebit? Hoc nemo dicet. Nemo ergo dicere debet conſenſum creaturæ, adhuc pro caſu auxilij, eſſe rationem à priori decreti diuini.

34 Nec fit ſatis dum dicitur eo pro illo caſu dependere decretum à priori à conſenſu, quia pro illo caſu datur poteſtas indifferens ad conſenſum præſcindens à decreto. Hoc inquam non ſatisfacit. Primò: quia reſpondetur cum concluſione. Etenim argumentum intendit hoc decretum, vtpote connexum cum conſenſu, & conceptum independenter à Scientia Media, tollere poteſtatem diſſentiendi: conſequenterque poteſtatem diſſentiendi, ſeu libertatem ad conſenſum, & diſſenſum, non præſcindere ab hoc decreto, ſed eius excluſionem inuoluere. Ergo dum dicitur non neceſsitare, quia pro caſu auxilij dependet à conſenſu, ex eoque dependere, quia in eo ſigno auxilij A datur indifferentia, ſiue libertas præſcindens à decreto, reſpondetur cum concluſione, quam impugnamus. Qua vero ratione decretum præſcindens neceſsitatem imponat, infra magis declarabimus.

35 Deinde ex eo quod libertas ad conſenſum, & diſſenſum præſcindat ab hoc decreto, rectè, (verùm eſt) infertur hoc decretum dependere à conſenſu pro hoc caſu. Cæterum quod hoc ſit, quia in hoc caſu dependeat in genere phyſico, & non potius quia pro hoc caſu concipitur ex directione Scientiæ Mediæ, non infertur. Imò ſemper remanet inexplicabile qua ratione conſenſus creatus poſsit vlla ratione immediatè phyſicè mouere Deum ad decernendum.

36 Si dicas iam aliunde excluſam eſſe dependentiam decreti à cõſenſu in ordine obiectiuo ratione Scientiæ Mediæ: ideoque debe-

debere eſſe dependentiam in genere phyſico, inde ego infero hoc decretum non componi cum libertate ad diſſenſum: quia neque conſequitur conſenſum obiectiuè ratione Scientiæ Mediæ, vt tu fateris, nec conſequitur conſenſum in genere phyſico, vt ego conuincere mihi videor. Quam obrem, vt infra dicimus, hoc decretum debet eſſentialiter dependere abſolutè à Scientia Media: vel, ſi id non habeat, vel imponet neceſsitatem influendo ſe ipſo, ſiuè deriuando phyſicam prædeterminationem: vel denique, ſi nihil ex his habeat, erit ſolum efficax affectiuè, & fruſtrationi obnoxium. Vel, ſi mauis, breuius dicam, erit in terminis implicatorium.

37 Secundo impugnatur hæc præcedentia immediata in genere phyſico conſenſus reſpectu decreti præſcindentis. Licet in genere obiectiuo poſsit quod non exiſtit determinare, aut mouere. Attamen in genere phyſico nihil, quod phyſicè, & realiter nō eſt, mouere, determinare, aut phyſicè cōducere ad aliquid poteſt. Tunc ſic. Decretum præſcindens, ex ſuppoſitione quod Deus etiā decernat conferre auxilium indifferens ad obtinendum conſenſum, iam ab æterno dependet ab omnibus ſuis rationibus à priori. At conſenſus abſolutus ſolum exiſtit in tempore, & quod exiſtit ſolum in tempore non poteſt eſſe ratio à priori in genere phyſico rei exiſtentis ab æterno. Ergo, adhuc ex ſuppoſitione, quod Deus decernat auxilium indifferens ad conſenſum, ipſe conſenſus nō eſt ratio à priori in genere phyſico exiſtentiæ decreti præſcindentis.

38 Tertio. Licet admittatur in Societatis ſchola mutua prioritas in genere phyſico, & obiectiuo, ita, vt quod prius eſt obiectiuè, poſsit eſſe phyſicè poſterius; non tamen admittitur mutua prioritas in genere phyſico reali, & exiſtentiali. At, iuxta doctrinam RR. hæc mutua prioritas in genere phyſico deberet admitti. Admitteretur ergo mutua prioritas nunquam in noſtris ſcholis patienter tolerata. Minor facile oſtenditur. Nam decretū præſcindens præcedit ad collationem auxiliorum: quandoquidem ex hac intentione conſenſus mouetur Deus ad conferendum auxilium. Deinde collatio auxilium, ipſumque auxilium præcederet conſenſum, vt eſt euidens. Ergo remotè decretum præſcindens præcedit conſenſum. Si ergo pro hoc caſu conſenſus in genere phyſico præcederet immediatè decretum, præcederet ſanè ad id, quod multis retro ſignis ante conſenſum intelligebatur exiſtens. Mutua ergo prioritas in genere phyſico neceſſario in hac doctrina eſt deuoranda.

38 Quarto mihi difficilius. Conſenſus præcedit immediatè in genere phyſico ad decretum. Ergo conſenſus pro caſu auxilij ſe tenet ex parte potentiæ proximæ, à qua defacto proficiſcitur decretum. Hæc conſequentia legitima eſt. Omne enim, quod defacto, ſiuè vt cauſa, ſiuè vt conditio, immediatè influit, ſeu conducit defacto ad terminum poſitum pro poſteriori, ſe tenet ex parte poteſtatis antecedentis, vt immediatè influentis. Tunc ſic.

39 Deus, iuxta hos authores, ita plenè liberè concipit decretum præſcindens, vt ex vi libertatis, qua illud concipit, indifferens ſit, non ſolum ad decretum conſenſus, & ad decretum carentiæ conſenſus. Sed, data exiſtentia auxilij indifferentis, non habet hanc plenam libertatem. Ergo ex vi auxilij indifferentis datur carentia illius pleniſsimæ libertatis, quæ poſitiuè datur in primo ſigno. Ergo pro diuerſis ſignis datur duplex contradictorium. Conſequentia legitima eſt: quia, iuxta hos authores, pro ſigno libertatis immediatæ ad decretum præſcindens datur poſitiuè in Deo poſitiua libertas ad decretum conſenſus, & decretum diſſenſus. Si ergo pro caſu auxilij deficit hæc pleniſsima libertas, dabitur ex vi huius ſecundi ſigni verus, & realis defectus illius libertatis, quæ verè, & realiter datur in ſigno poteſtatis immediatæ Dei ad concipiendum decretum.

40 Probo igitur minorem, in qua videtur eſſe difficultas, nempè, data exiſtentia auxilij indifferentis, non dari in ſigno poteſtatis immediatæ Dei ad concipiendum decretum plenam indifferentiam ad decretum de diſſenſu. Libertas immediata Dei ad decretum præſcindens, data exiſtentia auxilij A, involuit conſenſum ipſum. Sed libertas inuoluens conſenſum non eſt libertas ad decretum diſſenſus; vt eſt euidens. Ergo, data exiſtentia auxilij indifferentis, non datur in ſigno libertatis immediatæ Dei ad decretum præſcindens indifferentia, & libertas ad decretum de diſſenſu. Probatur maior, quæ ſola difficilis poteſt apparere. Libertas immediata Dei ad decretum præſcindens, poſito auxilio indifferenti, involuit potentiam immediatam, à qua defacto procedit decretum, & poteſtatem immediatam ſui contradictorij. Sed, dato auxilio indifferenti, poteſtas immediata, à qua defacto prouenit decretum, involuit conſenſum: ſiquidem conſenſus præcedit immediatè ad decretum, & (vt ſupra oſtendimus) omne quod defacto præcedit immediatè ad conſenſum, ſe tenet ex parte

pote-

poteſtatis immediatæ, illamque conſtituit. Ergo, data exiſtentia auxilij indifferentis, libertas immediata Dei ad decretum præſcindens involuit conſenſum.

41 Tandem ſic argumentor. Poſito auxilio ex ſe indifferenti, decretum præſcindens de conſenſu non eſt impedibile per diſſenſum. Ergo tollit poteſtatem diſſentiendi. Conſequentia eſt bona iuxta principia iam ſtatuta. Antecedens probatur. Decretum præſcindens non eſt impedibile per diſſenſum immediatè in ſe ipſo: non mediatè. Ergo nullo modo. Quod non ſit impedibile immediatè, probatur. Impedire immediatè decretum præſcindens eſt determinare immediatè eius carentiam. At creatura nequit immediatè determinare Deum ne concipiat decretum; alioqui læderetur, ſaltem ex parte, libertas diuina. Ergo non poteſt diſſenſus impedire immediate decretum præſcindens. Deinde neque poteſt impedire mediate. Hoc probatur. Impedire mediate decretum eſt impedire immediate aliquod immediatum prærequiſitum conſtituens poteſtatem immediatam decernendi. At, iuxta aduerſarios, tota libertas diuina ad hoc decretum eſt independens a creatura. Ergo creatura nequit impedire vllum eſſentiale prærequiſitum antecedens conſtituens poteſtatem immediatam decernendi.

42 Dices per diſſenſum impediri decretum immediatè; determinarique immediate carentiam decreti. Verum totum hoc fieri non pro ſigno antecedenti decretum, ſed pro ſigno poſteriori ad determinationem diuinam quoad concipiendum, vel non concipiendum decretum præſcindens.

43 Sed contra. Nam hæc determinatio vnius, & impeditio alterius, nequit eſſe omnino pro poſteriori, vt ſupra oſtendimus contra P. Izquierdo. Deinde non eſt comitans, vt ipſi aduerſarij fatentur. Ergo debet eſſe antecedens. Sed determinatio antecedens immediata vnius tollit poteſtatem immediatam alterius. Ergo dum creatura per diſſenſum determinaret immediate antecedenter carentiam decreti, tolleret à Deo poteſtatem immmediatam ad decernendum.

(***)

Digitized by Google

SECT. III.

Argumenta aduerſariorum proponuntur, & diſſoluuntur.

44 OBijciunt primo. Hoc decretum non tollit potentiam proximam conſenſus, & diſſenſus. Ergo hoc decretum non tollit libertatem. Antecedens probatur. Hoc decretũ neque eſt neceſsitas immediatè influens in conſenſum (ſupponimus enim eſſe decretum purè intentiuum) neque inducit immediatam neceſsitatem: cum enim Deus poſt conceptum hoc decretum videat eſſe in ſua manu, tum media prædeterminantia, tum media indifferentia, efficacia tamen: videt ſe poſſe per quodlibet ex illis medijs certò obtinere conſenſum, & ideo non tenetur vi illius efficacis intentionis intentiuæ eligere potius medium prædeterminans, quàm medium indifferens. Ergo neque eſt neceſsitas immediatè conſenſus, neque illam inducit. Præterea non tollit hoc decretum aliquod ex principijs requiſitis, & immediatè influxiuis in conſenſum, & diſſenſum: quia componitur cum cognitione alliciente, & retrahente, & præparatione concurſus. Ergo neque poſitiuè, neque negatiue, eſt neceſsitas immediata alicuius ex extremis. Ergo neque immediata impoſsibilitas alterius. Ergo cõponitur cũ poteſtate proxima ad vtrumque, conſequenterque cum libertate.

45 Hoc eſt præcipuum aduerſariorum argumentum, & potiſsimà huius materiæ difficultas: videlicet qua ratione hoc decretum neceſsitatem abſolutam inducat? Et cum apud nos, & communiter apud authores Societatis, illa ſolum neceſsitas tollat libertatem, quæ, vel poſitiue influit immediatè in vnum extremũ, aut ſaltem inducit aliquid connexum, & immediatè influens in illud: vel tollit aliquid requiſitum, vt immediatè influxiuum. Hinc fit, vt hoc decretum libertatem euertat, opus eſſe, vel decretum influere in conſenſum, vel connecti cum prædeterminatione ad illum, vel excludere aliquod prærequiſitum immediatè influxiuum in conſenſum.

46 In primis poteſt reſponderi hoc decretum implicatorium eſſe, vt ponitur ab aduerſarijs. Nam ponitur pure intentiuum, & non eſſentialiter pendens à Scientia Media. Hoc autem implicationem inuoluit: quia decretum, quo

Deus

Deus vult efficaciter conſenſum, quin ex modo tendendi ſupponat Scientiam contingentem, non ſe attemperat ex modo tendendi libertati, neque volendo poſitiuè quod fiat liberè conſenſus, neque ſubijciendo ſe quoad exiſtentiam creatæ libertati. Connexio autem efficax voluntatis diuinæ non ſubiecta arbitrio creato, non poteſt non eſſe efficacia executiua, ſaltem negatiuè, quatenus opponitur applicationi omnipotentiæ ad vtrumlibet. Quā obrem, admiſſo quod, ſi hoc decretum eſſet purè intentiuum, libertatem non tolleret, dicendum videtur ipſam probationem de eo, quod independens ſit ex modo tendendi à libertatis creatæ determinatione præuiſa, perinde conuincere non eſſe purè intentiuum, ſed exequutiuum.

47 Deinde, vt plenius propoſitæ difficultati fiat ſatis, & ſimul explicetur ratio à priori, quare hoc decretum libertatem euertat, animaduertendum eſt efficaciam purè affectiuam, quantumvis vehementem non tribuere connexionem eſſentialem actui cum obiecto: nec aliter cum obiecto connecti, quam ea ratione, qua media adhibita connectuntur. Etenim quantumvis ardentiſſime Petrus intendat finem, ex cuius intentione apponat media in differentia, non connectetur eius efficaciſsima intentio cum fine maiori connexione ea, qua adhibita, media cum fine connexa fuerint.

48 Ex hoc præſuppoſito deducitur, tametſi certum ſit omnem voluntatem diuinam efficacem affectiuè, ſimiliter debere eſſe intrinſecè, & eſſentialiter efficacem aſſequutiuè: cum tamen efficacia affectiua, præciſſe vt talis, nō ſit efficacia aſſequutiua, hinc deducitur efficaciam affectiuam Dei inferre efficaciam aſſequutiuam co ſiſtentem in alio, quam præciſsè in efficacia affectiua, ſeu intentiua. Quam obrem, vt huic decreto intentiuo efficaciam aſſequutiuā aſsignemus, opus eſt inueſtigare, vnde formaliter illi prouenire debeat: nō præciſsè ſiſtendo in efficacia affectiua: hæc enim ſola, vt dixi, ad efficaciam aſſequutiuam inſufficiens eſt.

49 Igitur ex triplici capite poteſt excogitari hæc connexio: vel quia ſupponat in caſu auxilij conſenſum, vel quia determinet comitanter, vel quia phyſicè cauſet neceſſariò conſenſum, ſiuè proximè influendo in illum, ſiuè remotè deriuando principium connexum, & immediatè influens. In primis, vt aduerſarij fatentur, non determinat comitante[illegible]nſum. Deinde non ſupponit conſenſum in caſu auxilij vt præuiſum, vel abſolutè, vel cō ditionatè. Deinde neque ſupponit eſſentialiter conſenſum in gene

re phyſico; vt ſupra probatum eſt. Et denique nolunt aduerſarij hoc decretum influere phyſice immediatè, aut deriuare phyſicam prædeterminationem. Ergo nullum reſtat caput, vnde poſsit huic decreto accedere efficacia intrinſeca aſſequutiua.

50 Dico ergo hoc decretum catenus neceſsitatem impo nere, quatenus ex vna parte titulo voluntatis efficacis intentiuæ repugnat ſuæ fruſtrationi; cum igitur ex alia, neque dependeat à conſenſu in genere phyſico, aut in genere obiectiuo, neque determinet immediatè conſenſum, aut immediatè determinetur ab eo: hinc fit hoc decretum non eſſe impedibile per diſſenſum. Ex quo vlterius deducitur, quod, cum non ſolum ſit contra efficaciam huius decreti de facto fruſtrari, verumetiam dari potentiam ad eius fruſtrationem. Hinc, inquam deducitur, non poſſe ex vi huius decreti relinqui hominem indifferentem ad conſenſum, & diſſenſum: quia tunc poteſtas diſſentiendi eſſet poteſtas fruſtrandi illud decretum. Etenim, exiſtente vno, dari poteſtatem ad aliud, ſine poteſtate impediendi primum, ſiuè diuidendi ſecundum à primo, eſt poteſtas coniungendi ſecundum cum primo. Si ergo, exiſtente decreto præſcindēte, daretur in homine poteſtas ad diſſenſum, cum hæc poteſtas, propter rationes præallegatas, non eſſet poteſtas diuidēdi diſſenſum à decreto, eſſet poteſtas ad coniunctionem diſſenſus cum decreto cōſenſus. Eadem ergo ratione, qua repugnat dari veram poteſtatem fruſtrandi, & irritandi decretum diuinum efficax affectiuè, repugnat ſimiliter conſtitui hominem in ſtatu indifferentiæ, & libertatis ad conſenſum, & diſſenſum.

51 Verum quidem eſt Deum conferentem auxilium efficax ſatis prouidere ne de facto fruſtretur decretum de facto enim, dum Deus confert auxilium efficax, homo non eliciet diſſenſum. Cæterum minimè prouidet ne detur vera poteſtas illud fruſtrandi, quæ perinde, ac fruſtratio, repugnans eſt. Explico hoc exemplo deducto ex tract. de Incarnat. Iuxta communiorem ſententiam, ſuppoſita ſemel impeccabilitate Chriſti Domini, qui recurrunt ad regimen, quod Verbo incumbit reſpectu humanitatis aſſumpæ, non contenti ſunt cum eo, quod Verbum caret, ne dentur humanitati auxilia inefficacia, verumetiam contendunt Verbum teneri non præparare humanitati concurſum indifferentem ad peccandum, & non peccandum, vt non ſolum in Chriſto Domino non detur peccatum, verum nec detur vera, & proxima poteſtas peccādi. Similiter ergo in noſtro caſu, licet ſpeciali cura Deus prouideret, ne Petro conferretur auxilium inefficax, hac peculiari auxiliorum ſelectio-

ne

ne conſuleret Deus infruſtrationi decreti præſcindentis, non vero eius infruſtrabilitati, cum Petrus conſtitueretur per auxilium indifferens proximé potens elicere diſſenſum in ſenſu compoſito decreti præſcindentis.

52 Tollit igitur decretũ præſcindẽs abſque Sciẽtiæ Mediæ prælucentia conceptum libertatis in aſſentiendo, vel diſſentiendo: quia eſſentialiter habet, vel immediatê influere, vel inducere mediũ neceſsitans: ne aliter faciẽdo, detur vera poteſtas illud irritãdi.

53 Dices tandem hunc non eſſe caſum quæſtionis: nam quæſtio ſupponit, tum hoc decretum eſſe purê intentiuum, tum etiam non inducere phyſicam prædeterminationem, ſed medium purè indifferens. Reſpondeo caſum quæſtionis eſſe: an Deus ſolo ductu Scientiæ naturalis concipiens decretum huius tendentiæ: *Decerno conſenſum Petri*, quin in actu ſignato decernat Petrum neceſſario conſentire, imponat Petro neceſsitatem conſentiendi; vel potius poſsit hac, vel illa ratione componi indemnitas libertatis. Cui dubio reſpondeo illud decretum libertati opponi propter rationes, quas ſupra expendi. Si vero quæras quid dicendum ſit de decreto, quod ſit: primô: independens à Scientia Media. Secundo: purè intentiuum. Tertio: efficax affectiue. Quarto denique: quod non inducat medium prædeterminationans ad conſenſum: facile reſpondebo eſſe decretum chimæricum, ſeruaret enim, & tolleret libertatem, eſſet; & non eſſet fruſtrabile: pluresque aliæ contradictiones ex doctrina tradita facile in eo conuincentur.

54 Ob. 2. Voluntas efficax eligendi auxilium efficax indifferens, ſi præuideatur; ſin vero eligendi phyſicam prædeterminationem, non neceſsitat quando ponit auxilium indifferens: & tamen hæc voluntas nõ habet eſſentialiter dependere à Scientia Media: & nihilominus eſt connexa cũ conſenſu, ſiquidem connectitur cum eo, quod ponatur auxiliũ efficax, ſiuè intrinſecé, ſiuè extrinſecè efficax. Ergo poteſt dari voluntas connexa cũ conſenſu, & independens à Scientia Media, quæ non tollat libertatẽ ad diſſenſum. Antecedens probatur hac paritate. Pone robuſtiſsimũ hominẽ penes ſe determinare, quod moturus eſt Petrũ à loco A. niſi præſciat quod ad vrbanã ſuã petitionem ipſe ſe mouebit. Tunc quidem, ſi præſcius quod Petrus ad eius petitionem ſe ſponte mouebit, eligat ex ductu huius Scientiæ nullum impetum ei imprimere, ſed vrbanè potius ab eo petere quod ſe moueat, vt detur illo ſuo decreto nullã vim inferre Petro, vt ſe moueat. Ergo ob ipſam rationem in noſtro caſu Deus ex vi illius decreti de collatione auxilij, ſi

præuideatur efficax, concepti independenter à Scientia Media, nullam vim infert, nullamque libertatem euertit.

55 Ex hoc ipſo argumento, ſi aptum eſt, vires reſumit noſtra ratio. Rogo igitur. In hoc robuſtiſsimo homine voluntas petendi vrbanè à Petro quod ſe moueat, facit ne quod voluntas illa conditionata de mouendo Petro à loco A. ſi præſciatur ſe nō moturum ad vrbanam petitionem, dependeat phyſicè ab eo, quod Petrus velit, vel nolit vrbanæ petitioni acquieſcere? Si quantumvis id roget, non ſufficit, vt Petri vrbanus aſſenſus petitioni aſcendat, vt ita loquar, ad ſignum antecedens voluntatem conditionatam, ita vt ſit cauſa, vel principium, vel aliqua ratione influat in voluntatem illam conditionam. Ergo aſſenſus petitioni nunquam antecedit voluntatem illam conditionatam robuſtiſsimi hominis. Ergo Petrus in illo caſu non poterit ſe liberè moueri, vel illa voluntas conditionata non eſt intrinſecè efficax. Quia eatenus Petrus poſſet liberè ſe mouere, quatenus motus ſpontaneus præcederet ad voluntatem illam conditionatam robuſtiſsimi hominis. Si ergo non præcedit, neceſsitas conſiſtens in illa voluntate erit neceſsitas nullo modo conſequens, ac proinde oppoſita libertati. Cæterum quis credat illum hominem robuſtum poſſe facere ſua determinatione quod motus vrbanus Petri ſit aliqua ratione influēs in voluntatem illam conditionatam independenter à talis motus præuiſione cōceptam. Si ergo aliquid probat hoc argumentum, probat poſſe dari voluntatem connexam cum conſenſu, & ab illo in impedibilem; & tamen libertatis amicam: quod RR. quibus cū agimus, non admittent.

56 Reſpondeo ergo illud decretum diuinum independens à Scientia Media. *Volo efficaciter exiſtentiam auxilij, ſi illud præuidero indifferenter efficax, ſin vero decerno efficaciter phyſicam prædeterminationem* implicationem inuoluere, ſi nomine auxilij efficacis intelligat veram poteſtatem conſentiendi, & diſſentiendi. Nam Deus eodem titulo, quo habet non poſſe pati irritationem ſui decreti efficacis, habet ſimiliter non poſſe conferre veram poteſtatem ad ſui decreti fruſtrationem. Cum igitur hoc decretum ex vna parte concipiatur antecedenter ad omnem liberum exercitium conſentiendi, aut exiſtens, aut præuiſum, & ex alia habeat eſſe intentionem efficacem auxilij efficacis, nequit eſſe voluntas indifferentiæ ad conſenſum, & diſſenſum pro caſu aliquo: quia pro omni caſu indifferentia ad diſſenſum eſt indifferentia ad ſui fruſtrationem, cum non ſit poteſtas ad diſſenſum diuidendum ab eo decre

to: quandoquidem decretum nulla ratione conſequitur conſenſum; aut in ſe, aut in illius præuiſione.

57 Ad exemplum adductum ex homine robuſtiſsimo reſpondeo diſparem eſſe rationem, prout communiter accidunt res: quia ille actus efficax conditionatus non connectitur intrinſecè, & eſſentialiter cum eo, quod cognitio de vrbanitate alterius futura in acquieſcendo precibus ſit vera, ſed quod prudenter vera iudicetur. Qua propter, cum illa Scientia conditionata non dependeat in ſui eſſe à voluntate obiectiua, hinc fit quod quamuis Petrus nollet ſe mouere, adhuc remaneret Sciētia illa cōditionalis, & cōſequēter ſit actum illum conditionalem non connecti realiter cum motu Petri, adhuc ſub conditione iudicij de vrbanitate futura Petri. Erit igitur illa volūtas, licet infruſtrabilis quoad electionē petitionis prius cognitæ, vt efficacis, irritabilis tamen abſolutè reſpectu motus Petri. Decretum vero diuinū abſolutè, & eſſentialiter cōnectitur cum conſenſu: quia connectitur, vel cum prædeterminatione, vel cum auxilio præuiſo vt efficaci per Scientiam omnino infallibilem. Quæ ergo paritas inter voluntatem fruſtrabilem, & infruſtrabilem.

58 Ob. 3. Probando hoc decretum eſſe impedibile pro caſu auxilij A. Ex ſuppoſitione huius auxilij, & pro ſigno ipſius medij, iam committitur meo arbitrio quod ponat conſenſum, vel diſſenſum. Ergo, & quod ponat impedimentum decreto. Sed qui poteſt ponere impedimentum pugnans cum decreto, eo ipſo poteſt impedire decretum. Ergo, ex ſuppoſitione auxilij, iam decretum eſt à me pendens, & impedibile.

59 Egregium ſanè argumentum. Quæſtio eſt an exiſtente hoc decreto ſit vera poteſtas in homine ad diſſenſum. Nos negamus. Aduerſarij affirmant: vtunturque pro medio poteſtatē hominis ad impediendum hoc decretum. Deinde, vt probent hanc poteſtatem impediendi, aſſumunt pro medio poteſtatem diſſentiendi (ſiquidem idem eſt formaliter conſtitui arbitrium liberum ad conſenſum, vel diſſenſum, ac committi arbitrio conſentire, vel diſſentire) ad quam poteſtatem diſſentiendi probandam vtebantur tanquam medio poteſtate impeditiua. Ergo argumentum iterum aſſumit pro medio concluſionem, quam probandam ſuſceperat.

60 Reſpondeo ergo negando maiorem: quia negatio illius eſt noſtra concluſio. Verum enim eſt diſſenſum eſſe quid incomponibile cum decreto, falſum vero eſſe impedimentum, prout impedimentum eſt, cui poſsit tribui non eſſe conſenſum. Cum enim

juxta

iuxta doctrinam traditam, diſſenſus eſſentialiter ſupponat defe-ctum huius decreti ita, vt nulla ratione diſſenſus præcedat ad carentiam decreti: inde fit diſſenſum incomponibilem cum decreto non eſſe, cui poſſit tribui defectus decreti, conſequenterque in rigore non eſſe impedimentum decreti. Verum quidquid ſit de hoc, an diſſenſus ſit appellandus impedimentum decreti, vel ſecus: cum huius impedimenti carentia, videlicet conſenſus, ſit omnino conſequens decretum, & nulla ratione antecedens, hinc fit decretum eſſe omnino independens à noſtra libera determinatione, conſequenterque inimpedibile.

61 Ob. 4. Scientia conditionalis non dependet abſolutè à noſtro conſenſu, & tamen, poſita hypotheſi, iam dependet. Ergo ſimiliter illud decretum, licet ex ſe non dependeat abſolutè à conſenſu conditionato, poterit tamen dependere ab illo pro caſu exiſtentiæ auxilij. Non enim eſt maior ratio vnius, quam alterius. Ergo decretum præſcindens erit conſequens pro caſu i auxilij conſenſum, conſequenterque impedibile per diſſenſum, & cohærens cum libertate.

62 Reſpondeo concedendo antecedens, & negando cõſequentiam. Ratio diſparitatis eſt: quia Scientia Media determinatur ad exiſtendum à veritate conditionali obiectiua. Cumque veritas conditionata obiectiua pro caſu purificationis conditionis ſit abſoluta: quid mirum quod pro caſu purificationis hypotheſis Scientia Media pendeat à conſenſu abſoluto, cum pro illo caſu identificetur abſolutè conſenſus conditionatus cum conſenſu abſoluto, & Scientia Media pendeat à conſenſu conditionato, tanquam à ratione obiectiuè determinante. Accedit quod Scientia Media ex ipſo intrinſeco, & eſſentiali modo tendendi, videlicet *ſi exiſtat auxilium, exiſtet conſenſus* eſt connexio conditionata cum conſenſu, quia connectitur quatenus tendit. Cum autem eſſentialiter habeat tendere conditionatè in conſenſum abſolutum: eſſentialiter etiam habebit connecti conditionatè ſub hypotheſi auxilij cum conſenſu abſoluto.

63 At verò in decreto prædefinitiuo, de quo eſt ſermo, nihil ſimile reperitur: neque enim ipſum decretum connectitur cũ hac veritate conditionali *ſi exiſtat auxilium A indifferens dabitur veritas conditionata de exiſtentia conſenſus ſub auxilio*, ſicuti Scientia Media connectitur cum alia veritate conditionali *ſi exiſtat auxilium erit conſenſus*. Ergo ex connexione Scientiæ Mediæ cum conſenſu abſoluto pro caſu auxilij, non rectè infertur connexio

decre-

Digitized by Google

decreti prædefinitiui cum veritate conditionata pro caſu ipſius auxilij. Præſertim cum tendentia decreti prædefinitiui, de quo eſt quæſtio, non tendat modo conditionato, ſed abſoluto, videlicet. *Volo quod exiſtat conſenſus.*

64 Reſpondeo ſecundo: aliud eſſe decretum præſcindēs pro caſu auxilij connecti cum veritate conditionata determinante Scientiam Mediam de efficacia auxilij A: aliud longe diuerſum decretum pro caſu auxilij A dependere, tum ab ea veritate conditionata, tum à Scientia Media determinata per eam. Eſto detur ea connexio, non tamen video qua ratione dari poſſit ea dependentia: Nam, vt detur dependentia opus eſt quod pro caſu auxilij, conſenſus præcedat decretum, vel in genere obiectiuo, vel phyſico. Cum autem, vt ſupra probatum eſt, neutro ex his modis conſenſus poſſit in decretum influere, nequit decretum, vel à conſenſu, vel à Scientia Media, vel à veritate conditionata dependere, tametſi in caſu auxilij connectatur cum his extremis vt exiſtentibus omnino propoſteriori.

65 Paritas deſumpta à Scientia Media inefficax eſt. Nā ex eo Scientia Media pro caſu auxilij dependet à conſenſu abſolu to obiectiuè, quia eſſentialiter determinatur obiectiuè à conſenſu conditionatè exiſtente. Cum autem decretum præſcindens non eſſentialiter determinetur, aut obiectiuè, aut phyſicè, ab aliqua veritate conditionata de conſenſu ſub hypotheſi auxilij, vel de Sciētia Media ſub hypotheſi auxilij A, non apparet, vnde pro caſu auxilij poſſit decreto præſcindenti aduenire dependere, vel à conſenſu, vel à Scientia Media, eius vè determinatiuo.

66 Hinc inferes non rectè dixiſſe RR. propugnatores noſtræ ſententiæ principium petere, dum aſſumunt pro argumento ad probandum libertatem per hoc decretum euerti, eſſe decretum impedibile, & independens à nobis, quaſi id probent ex eo, quod, poſito illo, non ſit poteſtas ad diſſenſum. Non enim ita probant. Sed hoc diſcurſu procedunt. In impedibilitate, & independentia vtuntur pro medio ad probandam libertatis euerſionem, ſiuè poteſtatis ad diſſenſum. Ad probandam vero in impedibilitatem, & independentiam, non iterum recurrunt ad defectum poteſtatis diſſentiendi. Sed probant ex eo, quod hoc decretum nō dependet à conſenſu conditionato obiectiuè ratione Scientiæ Mediæ, vt fatentur ipſi aduerſarij: nec a conſenſu conditionato phyſicè in ſe ipſo quia ex hoc fieret liberum arbitrium creatum determinare ſe ipſo immediatè comitanter affectus diuinos, quod ſupra

pra

pra late reiecimus, vel, quod peius eſt, determinationem creatam influere in diuinam voluntatem eam phyſice mouendo. Cui probationi nos alias adiunximus pro noſtri ingenij tenuitate. Ecce in noſtræ concluſionis probatione nulla ratione principium petitur.

QVÆST. XII.

Vtrùm Deus prædefiniat efficaciter pœnitentiam ante præuiſum abſolutè peccatum?

DE hac quæſtione agunt communiter authores, dum effectus Prædeſtinationis examinant, inquirentes: vtrum permiſsio peccati poſsit, & de facto ſit, effectus Prædeſtinationis: quādo nimirum præuidetur peccatum futurum eſſe ocaſionem gloriæ media pœnitentia. Ego vero hanc pœnitentiæ prædefinitionem hic examinare decreui, vt omnia, quæ ad diuinas Prædefinitiones ſpectant, ſimul coniuncta facilius percipiantur. Igitur nunc agendum nobis eſt de prædefinitione noſtri conſenſus ſupponentis peccatum. hoc eſt de decreto efficaciter intentiuo pœnitentiæ: an ſpecialem habeat difficultatem, non libertatis humanæ iure; ſed diuinæ bonitatis titulo, quæ nonnullis videtur ex hac prædefinitione, vtpote cum peccato cōnexa, aliqua ratione infici. Deus enim hoc modo decernendi videtur aliquo modo amans peccatum, & illud cauſans: quod aures catholicæ meritiſsimè horrent.

SECT. I.

Nonnulla præmittuntur.

1 QVæſtio eſt de Pœnitentia vera intrinſecè, & eſſentialiter connexa cum peccato vero, & non præciſè apparenti. Vtrum videlicet Deus eam poſsit prædefinire antecedenter ad cognitionem abſolutæ exiſtentiæ peccati, dependenter vero à Scientia Media? Exempli gratia. Habet Deus hanc Scientiā Mediam. *Si Petro conferatur auxilium A, peccabit, & Pœnitentiam aget*: poſsitne Deus ex hac Scientia moueri ad decernendum

hoc

hoc modo: *volo Pœnitentiam Petri*. Quo decreto efficaci poſito, Deus teneatur conferre auxilium A, præuiſum inefficax ad vitandum peccatum; delendum tamen per Pœnitentiam.

2 Negant poſsibilitatem huius prædefinitionis plures authores: quos citat, & ſequitur P. Ridadeneira tract. de Prædeſtinat. diſp. 8. cap. 3. num. 30. plures alij hanc prædefinitionem propugnant: quos citat ipſe author eadem ſect. num 29. Quibus accidit P. Quiros tract. de Prouidentia, & Prædeſtinatione diſp. 22. per totam.

3 Cæterum non vnicus, ſed multiplex modus eſt defenden di prædefinitionem efficacem pœnitentiæ ante abſolutam exiſtentiam peccati. Antiquior, & communior modus illam propugnandi aſſerit Deum inſtructum Scientia Media de inefficacia auxilij A, v. g. in ordine ad euitandum peccatum, & de pœnitentia futura, caſu, quo Petrus peccat, prius concipere Deum intentionem efficacem Pœnitentiæ Petri: deindeque pro alio ſigno ex vi huius intentionis decernere Deum Petro per alium actum virtualiter diſtinctum ab intentione auxilium, quod præuidet inefficax, non electurum illum ex vi illius intentionis, niſi inefficax præuideretur.

4 Cum hoc conantur componere quod auxilium hoc conferatur ex intentione ſeria conſenſus, ſeu carentiæ peccati, quin hæc intentio præextiterit ante Scientiam Mediam de in efficacia auxilij, aut ante pœnitentia efficacem amorem, ſed ſolum ante ſignum, pro quo Deus decernit conferre auxilium A, quod inefficax præuidetur.

5 Verum cum aduerſus hanc doctrinam plures inſurgant difficultates, quæ ferè omnes deſumuntur ex eo quod videatur Deus eligere auxilium A, propter eius inefficaciam, ita vt inefficacia, ſeu peccatum futurum ſit motiuum eligendi auxilium. & ideo videatur impoſsibile Deum in prædicto caſu ſerio velle carentiam peccati. Ideo, vt hi ſcopuli vitentur, quin prædefinitio efficax pœnitentiæ deſeratur in varias cogitationes abeunt RR. vt alia, & alia via, & difficultates fugiant, & Pœnitentiæ Prædefinitionem defendant.

6 Primo P. Ribadeneira tract. de Prædeſt. diſp. 8. cap. 3. tametſi neget prædefinitionem determinatam pœnitentiæ veræ; admittit tamen prædefinitionem efficacem vagam pœnitentiæ veræ, vel exiſtimatæ veræ. Aſſerit igitur hic author poſſe Deum ante præuiſionem abſolutam peccati decernere pœnitentiam veram, vel exiſtimatam; id eſt, vel ſupponentem notitiam veram de pecca-

to

to commiſſo, vel ſupponentem notitiam, qua quis, ſiuè verè, ſiuè falſo, exiſtimet ſe commiſiſſe peccatum. Nam huiuſmodi decretum non connectitur intrinſecè cum peccato, neque ad illud vlla ratione determinat.

7 Secundo P. Aldrete de Incarnat. tom. 1. diſp. 21. loquens de decreto prædefinitiuo Chriſti vt Redemptoris ante abſolutam exiſtentiam peccati, cenſet Deum poſſe prædefinire Chriſtum vt Redemptorem ante abſolutè præuiſſum peccatum in ſe ipſo; non vero ante abſolutam præuiſionem in alio. Quod ita componit: videlicet: ſi Deus pro primo ſigno habeat Scientiam Mediam de eo, quod, ſi liberè complaceat in exiſtentia mundi, creabit mundum, & Adamum; & Adamus peccabit. In ſecundo ſigno liberè complacet in exiſtentia mundi. Cumque illa Scientia Media, & hæc complacentia, connectātur cum peccato futuro: iam Deus in hoc aggregato exiſtenti propriori ad peccatum, poterit videre futuram exiſtentiam peccati, & poſtea decernere redemptionem. Quæ omnia ſigna videntur præcedere ad exiſtentiam peccati, & ad viſionem illius in ſe ipſo. Pari ergo ratione poteſt fieri diſcurſus circa Pœnitentiæ Prædefinitionem efficacem: videlicet: quod Deus prius videat quod, ſi complaceat in auxilio A, illud conferet Petro, & Petrus peccabit. Deinde liberè complaceat in prædicto auxilio, in hocque aggregato Scientiæ, & complacentiæ, videat peccatum futurum: quo viſo, decernat Pœnitentiam in remedium illius. Ita videtur ſibi per doctus hic author omnia componere: & quod prædefiniatur remedium ante abſolutam exiſtentiam culpæ, & quod non ſit hæc prædefinitio ante abſolutam præuiſionem illius. Hic modus coincidit cum alio propoſito à P. Quiros tract. de Prædeſt. diſp. 22. ſect. 4. num. 44.

8 Tertio P. Quiros ibidem num. 38. cenſet hanc prædefinitionem poſſe defendi, ſi cum electione auxilij in efficacis adhuc virtualiter idemtificetur: ita, vt, ſi hunc indiuiſibilem actum partiamur in duas formalitates, prius apprehendamus formalitatem, & reſpectum, ad permiſſionem, quam ad pœnitentiam. Hinc oritur quod hæc prædefinitio pœnitentiæ non ſit ratio eligendi auxilium inefficax, ſeu ex vi cuius determinatur ad permittendum peccatum; imò permiſſio actiua peccati eſt ratio prædefiniendi pœnitentiam: quia Deus, iuxta hanc ſententiam, perinde ſe habet, ac ſi diceret. *Ego volo hoc auxilium, licet præuideam eſſe inefficax, electurus illud multò melius ſi non eſſet inefficax: ſed, quandoquidem eſt inefficax, volo vt peccatum futurum non maneat ſine remedio Pœnitentiæ.*

9 Quarto

9 Quarto idem P. Quiros eadem ſectione num. 47. aliter indicat poſſe defendi hanc prædefinitionem pœnitentiæ, etiam virtualiter diſtinctam ab electione auxilij inefficacis: nimirum non ita, vt præcedat abſolutè voluntas pœnitentiæ voluntatem auxilij; ſed potius ècontra: hac ſcilicet ratione. Deus ex voluntate omnino antecedenti etiam Scientiam conditionatam, ſtatuit dare auxilium, abſolutè quidem, ſi fuerit efficax: quod ſi fuerit inefficax, decernit non aliter exiſtere, niſi præcedat decretum efficax pœnitentiæ: voluntas hæc habet pro motiuo intrinſecò conſtituere hominem in ſtatu proximè potentis, vt benè operetur, intendens etiã illius operationem bonam. Hinc voluntas exequens hoc auxilium exiſteret, licet auxilium non præuideretur inefficax: quamvis, vt hæc voluntus ortum ducat ex decreto pœnitentiæ, requirat cognitionem in efficaciæ.

10 Quinto denique idem P. Quiros diſp. 23. quam vocat appendicem ad præcedentẽ, alium modum proponet defendẽdi hanc prædefinitionem. Sic igitur rem meditatur. Deus prænidens auxilium A, inefficax fore, ſi ponatur, & ſimul quod, ſi homo peccet cum hoc auxilio, pœnitentiam aget, concipit voluntatem conferendi hoc auxilium. Quæ voluntas intrinſecè, & ex ſe virtualiter tantum vult efficaciter auxilium: complacet tamen in veritate conditionali de eo, quod *ſi homo peccet, pænitentiam aget*; non vero in alia, videlicet. *Si exiſtat auxilium A, homo peccabit*. Hæc igitur voluntas, quæ ex ſe virtualiter tantum habet hæc prædicata, & quæ ex ſe non habet quod potius præcedat Scientia Media, quæ de facto præcedit affirmans peccatum ſub conditione auxilij, quam Scientia oppoſita: hæc igitur voluntas, vt coniuncta cum Scientia Media, quæ præcedit, eſt iuxta hanc ſententiam, prædefinitio efficax pœnitentiæ. Nam ea intentio, vt ſic directa, eſſentialiter connectitur cum pœnitentia. Licet enim ſecundum ſe non connectatur cum peccato, ſed indifferens ſit & conſequenter: neque cum pœnitentia, quæ ſine peccato eſſe non poteſt; at in conſortio ſcientiæ inefficaciæ, cum peccato, & pœnitentia connectitur. Quid igitur aliud requiritur ad intentionem efficacem pœnitentiæ, quã intentio pœnitentiæ, quæ prout de facto exiſtens connexa ſit cum pœnitentia? Cæterum hæc intentio cum non ſit connexa cum peccato ratione ſui, vt præciſſe exiſtentis, ſed vt ita exiſtentis: nempe ex directione Scientiæ Mediæ: ideo non ex vi illius eligitur auxilium inefficax, ſed potius quia eligitur auxilium, quod præuidetur inefficax, conſtituitur in eſſe intentionis: conſequenterque inten-

tio non cogit ad electionem inefficacis præ efficaci ad obtinendam pœnitentiam, quæ erat potiſsima ratio difficultatis.

11 Nimis operoſum eſſet hos modos ſigillatim examinare, & an aliquid communis difficultatis minuant, ſeu potius augeant, expendere. Vnum in hac re certum eſt: nempe, quod, ſi communem rationem defendendi prædefinitionem efficacem pœnitentiæ ſufficiente probatione muniamus, & ab aduerſariorum argumentis vindicemus, his ſingularibus cogitationibus opus nō erit. Ideo, illis omiſsis, prædefinitionem efficacem pœnitentiæ ante abſolutè præuiſum peccatum communi via defendendam aggredior.

12 Verum, antequam id exequar, diſtinguenda eſt in hac controuerſia duplex quæſtio: alia de poſsibili: alia de facto iuxta præſentem prouidentiam, & iuxta modum, quo Deus (vt cōſtat ex Scriptura, Concilijs, & Patribus) confert auxilia ad rectè operandum. Nam vnum ex præcipuis argumentis aduerſariorum negantium prædefinitionē pœnitentiæ ſumitur ex eo, quod Deus conferens auxilium, illud conferat, non ſolum ex intentione conſtituendi hominem liberum; verum etiam ex intentione ſeria conſenſus, illum poſitiuè procurando. Cum autem hæc voluntas, intentio, & procuratio ſeria conſenſus, non ſit de eſſentia collationis auxilij: ſiquidem illud poteſt Deus conferre ex ſolo motiuo conſtituendi hominem liberum, conſtituendique conſultum in manu conſilij humani: hinc deducitur argumentum deductum ex hac ſeria voluntate, & procuratione, ſolum aduerſus prædefinitionem pœnitentiæ, vt exiſtentem in præſenti prouidentia, opponi poſſe; non vero contra prædefinitionem pœnitentiæ, vt in alia prouidentia poſsibilem.

SECT. II.

Poſsibilis eſt prædefinitio efficax pœnitentiæ ante abſolutè præuiſſum peccatum.

13 PRobo hanc concluſionem ratione à priori, ad quam reliquæ omnes, ſiue hac, ſiue illa ratione proponantur, tandem debent reuocari. Et, vt melius percipiatur.

14 Suppono 1. Duo eſſe genera prærequiſitorum ad pœnitentiam, vt exiſtat: alia, quæ à Deo ponenda ſunt, vt ſunt: tum liber-

bertas ad peccandum: tum, ſuppoſito peccato, auxilia requiſita ad pœnitendum. Aliud eſt requiſitum, non ponendum, ſed permittendum à Deo, nempe peccatum, quod eſt materia pœnitentiæ. Quando enim pœnitet homo de peccato commiſſo, certum eſt peccatum non poni, aut determinari à Deo, ſed præciſè permitti.

15 Suppono 2. Requiſita ad aliquid v.g. ad A, quæ vt A. exiſtat requiruntur poni ab aliquo v.g. à Petro, vocantur media reſpectu Petri: quia nequit obtinere entitatem A, niſi ponat huiuſmodi requiſita. Alia vero requiſita, quæ, vt exiſtat A, non requiruntur poni à Petro, aliqui renuunt concedere eſſe media reſpectu Petri ad obtinendum A, ſed ſolum prærequiſita: putant enim rationem medij reſpectu Petri in ordine ad A. conſiſtere in eo, quod Petrus, ſi obtenturus ſit finem A, debeat ea poſitiuè eligere, & ponere in ordine ad A. Alij verô non recuſant vocare media: quia nomine *medij* intelligunt omne id, quod prærequiritur neceſſario ad aliquid, ſiuè vt ponendum, ſiuè vt permittendum ab intendente finem. Ex his infertur, in ordine ad pœnitentiam non poſſe peccatum ad eam prærequiſitum, vocari medium, iuxta primam acceptionem; ſecus iuxta ſecundam: ſiquidem peccatum nunquam poteſt exiſtere ex propria determinatione diuina. Ego in hac quæſtione peccatum medium appellabo: non medium electũ, ſed medium permiſſum à Deo. Non enim video, quæ relligio ſit in talis nominis vſurpatione.

16 Suppono 3. Aliter dicendum eſſe de ipſa permiſsione peccati, quæ conſiſtit in collatione auxilij inefficacis cogniti vt inefficacis. Nam collatio auxilij inefficacis præuiſi vt talis, fit poſitiuè à Deo, cuius eſt auxilia impertiri diuidens ſingulis prout vult.

17 Suppono 4. Ex intentione efficaci finis teneri intendentem eligere media, quæ neceſſaria ſunt vt ponenda ab ipſo: & non vtcumque ea eligere, ſed formaliter vt vtilia ad obtinendum finem: aliter enim non eſſet electio formalis, nec rationabiliter procederet intendens in ordine ad finem.

18 His ſuppoſitis tota difficultas deuoluitur ad hæc duo capita. Primum: an ex intentione pœnitentiæ, ad quam neceſſario prærequiritur peccatum, quod non prærequiritur vt abſolutè præuiſſum ad eam intentionem, teneatur Deus directè amare peccatum; licet non vt medium ponendum à ſe; vt prærequiſitum tamen à ſe permittendum, & à creatura determinandum. Se-

cundum. An, tametſi neceſſarium non ſit dari amorem directè, & adæquatè tendentem in peccatum; ſaltem amor permiſsionis peccati vt vtilis ad pœnitentiam, debeat eſſe etiam amor peccati: ſiquidem permiſsio per coniunctionem cum peccato conſtituitur vtilis ad pœnitentiam: & amor medij vt vtilis videtur ipſam vtilitatem directè, & formaliter, amare, vel ſaltem implicitè, & interpretatiuè. His præiactis.

19 Probo iam meam concluſionem. Si ob aliquam rationem Deus non poſſet prædefinire efficaciter pœnitentiam antè abſolutè præuiſum peccatum, eſſet, quia Deus ex vi illius intentionis teneretur amare peccatum. At non tenetur. Ergo non repugnat. Minor probatur. Ex intentione pœnitentiæ non tenetur Deus amare peccatum, nec quia præciſsè eſt prærequiſitum ad pœnitentiam nõ exiſtens ante prædefinitionem pœnitentiæ, nec quia ipſius peccati permiſsionem conſtituit vtilem ad finem intentum. Ergo ex nullo capite tenetur Deus ex vi prædefinitionis efficacis pœnitentiæ amare peccatum. Minor probatur. Amor finis non inducit neceſſario alium amorem eorum, quæ neceſſario prærequiruntur ad finem, præter illum amorem, qui neceſſarius eſt, vt obtineatur finis ex eius intentione. Sed, vt pœnitentia obtineatur ex intentione efficaci diuina, non eſt neceſſarius vllus amor peccati. Ergo amor efficax pœnitentiæ non inducit neceſſario amorem peccati. Maior ſub terminis propoſitis euidens eſt. Quia, licet demus quod non ſufficiat intentioni amare quæ requiruntur amari, vt præciſsè exiſtat finis vt cumque: at vero non poteſt non ſufficere intentioni amare quæ requiruntur amari, vt intentio, quatenus talis, conſequatur ſuum finem intentum. Quod eſt idem, ac exiſtere finem ex vi intentionis.

20 Minor igitur, in qua eſt difficultas, probatur. Vt pœnitentia exiſtat ex vi intentionis efficacis illius, ſufficit quod ex intentione efficaci pœnitentiæ ponat Deus permiſsionem peccati, ſeu auxilium, quod præuidet inefficax. Sed, vt ita ponat permiſsionem peccati, non requiritur amor peccati. Ergo neque vt pœnitẽtia exiſtat ex vi intentionis. Conſequentia eſt bona: & maior certa. Quia ſi ex intentione pœnitentiæ exiſtit permiſsio peccati: cũ pœnitentia conſequatur permiſsionem peccati, erit remotè ex intentione pœnitentiæ, ex qua oritur permiſsio peccati. Minorem igitur ſic probo. Vt Deus permittat peccatum ex intentione pœnitentiæ, non requiritur quod ita amet auxilium inefficax, vt inefficacia ſit ratio mouens vt amata ad amorem auxilij; ſed ſufficit

quod

quod Ineficacia ſit conditio ad amandum auxilium propter pœnitentia n. Ergo non requiritur aliquis amor peccati. Conſequentia videtur bona: quia quod aliquid ſit conditio, vt aliud ametur, non exigit quod ipſa conditio ametur: vt patet in indigentia pauperis, quæ eſt conditio, vt ametur elargitio eleemoſynæ: necnon in peccato de inquentis, quod eſt conditio, vt ametur ſupplicium & ſic in pluribus alijs exemplis.

21 Antecedens igitur probatur. Ex intentione pœnitentiæ tantum tenetur amare auxilium inefficax, potius quam efficax: ita vt, ſi quando proponitur vt inefficax, proponeretur vt efficax, non amaretur. Sed ad hoc non requiritur quod inefficacia ſit motiuum amatum, ſed ſolum conditio. Ergo, vt ametur auxiliũ inefficax ex motiuo pœnitentiæ, ſufficit quod inefficacia ſit conditio, vel motiuum non amatum. Maior videtur eſſe doctrina aduerſariorum. Minor autem probatur. Eo præciſè, quod inefficacia ſit conditio, ſufficit ad hoc, vt, ſi deficeret inefficacia, non amaretur. Ergo non requiritur, niſi, quod ſit conditio.

22 Declaratur amplius hæc ratio. Prædefinitio pœnitentiæ ſolum obligat ad amandum auxilium pro caſu, quo videatur infallibiliter coniungendũ cum pœnitentia: ideo ex vi prædefinitionis ſolũ tenetur Deus ad amandũ auxilium pro caſu inefficaciæ. Præterea neceſsitas amandi auxilium pro vno caſu, & non pro alio, non arguit caſum ipſum eſſe rationem, vt amatam mouentem ad amandum auxilium; ſed ſolum eſſe circunſtantiam pro qua tenetur Deus amare auxilium.

23 Confirmatur. Caſus, pro quo debet amari aliquid, ſolũ debet amari, quando, vt exiſtat prædictus caſus, neceſſe ſit amari; ſecus quando non requiritur. Ideo, ſi, ſuppoſito peccato, prædefiniatur pœnitẽtia, nõ tenetur Deus amare peccatũ ex vi huius prædefinitionis, quia, cũ iam exiſtat, non eſt neceſſe vt ametur, ad hoc vt exiſtat. Sed, vt exiſtat caſus inefficaciæ auxilij, non requiritur quod ametur à Deo, quandoquidem non requiritur quod ab ipſo ponatur, ſed ſufficit quod permittatur. Ergo ex vi intentionis efficacis pœnitentiæ nõ tenetur Deus amare caſum inefficaciæ, pro quo tenetur amare auxilium.

24 Hoc ipſum eſt quod alij alijs terminis explicãt: nẽpè ex vi intentionis efficacis finis debere amari media, quæ propriè media dicuntur reſpectu finis, nẽpe requiſita ad finẽ intentũ, quæ nõ poſſunt exiſtere, quin amentur, & cauſentur ab obtenturo finẽ; ſecus media impropriè, quæ ſunt purè requiſita, ita vt poſſint exiſtere,

Digitized by Google

quin cauſentur, vel amentur ab intẽdẽte finẽ. Cũ ergo peccatũ nõ ſit ita requiſitum ad pœnitentiã, vt ad hoc quod exiſtat, neceſſe ſit quod cauſetur ab intendente pœnitentiam, ſed ſolum quod permittatur: hinc fit quod ex intentione pœnitentiæ non teneatur Deus amare peccatum; ſed ſolum permittere. Hæc clariora fient ſolutione argumentorum.

SECT. III.

Soluuntur obiectiones.

25 OBijcies 1. Cum Coninch. & RR. Intentio efficax finis non habet vim determinandi ad electionem medij purè remotè requiſiti, niſi mediante electione, & amore medij requiſiti immediatè, & proximè. Sed permiſsio peccati ſolum remotè conducit ad pœnitentiam, nimirum penes cõducentiam, quam habet ad peccatum: peccatum enim eſt ſolum, quod immediatè, & proximè ad pœnitentiam conducit. Ergo intentio efficax pœnitentiæ non habet vim determinandi Deum ad permiſsionem peccati, niſi mediante electione, & amore ipſius peccati. Maior probatur per inductionem. Nam ex intentione ſanitatis nemo adducit Medicum, niſi ex amore applicationis medicinæ, & ſic in alijs caſibus.

26 Reſpondeo ex ſupra dictis, diſtinguendo maiorem. Intentio efficax finis non habet vim determinandi ad amorem medij remoti, niſi determinando ad amorem medij proximi: ſi medium proximum debeat cauſari ab intendente finem, concedo: ſi ſolum debeat permitti; nego maiorem. Et diſtinguo minorẽ. Sed permiſsio eatenus conducit ad pœnitentiam, quatenus conducit ad peccatum: & peccatum, vt exiſtat pœnitentia, debet cauſari à Deo, nego: & non debet cauſari à Deo; ſed ſolum permitti, concedo minorem. Et nego conſequentiam. Ad probationem maioris deſumptam ab inductione, reſpondeo quod, ſi ad applicationem medicinæ non requiratur, neque amor, neque influxus ægroti, poterit optimè ægrotus, ſi ſciat Medicum, ſi vocetur, applicaturum medicinam, vel ſecturum brachium, velle vocare Medicum ex intentione ſalutis, permittendo, & non amando applicationem medicinæ, & ſectionem brachij.

27 Ob. 2. cum P. Aldrete, & alijs. Eligere mediũ propter finem eſt amare medium vt vtile ad finem. Ergo amare permiſsionem propter pœnitentiam eſt amare permiſsionem vt vtilem

ad

Digitized by Google

ad pœnitentiam. Sed amare permiſsionem vt vtilem ad pœnitentiam, eſt amare peccatum. Ergo amare permiſsionem propter pœnitentiam eſt amare peccatum. Primum antecedens cum eius conſequentia negari non poteſt. Minor ſubſumpta probatur. Vel amatur permiſsio vt vtilis proximè ad pœnitentiam, vel, vt vtilis remotè. Vtroque modo debet amari peccatum. Ergo. Minor probatur per partes. Si amatur permiſsio, vt vtilis proximè, amabitur ipſa proxima vtilitas, quæ conſiſtit in peccato. Si autem amatur permiſsio, vt vtilis remotê ad pœnitentiam, amabitur, vt vtilis proximê ad peccatum, medio quo conducit ad pœnitentiam. Sed amari permiſsionem vt vtilem ad peccatum, eſt amari peccatum. Ergo ſi amatur permiſsio, vt vtilis remotè ad pœnitentiam, amabitur peccatum. Vltima minor probatnr. Amor medij in ordine ad finem eſt amor finis. Sed amor permiſsionis, vt vtilis ad peccatum, eſt amor permiſsionis, vt medij habentis pro fine peccatum. Ergo eſt amor peccati.

28 Vt hoc argumentum ſoluam: animaduertere oportet quis ſit ſenſus illius propoſitionis. *Eligere medium propter finem eſt eligere medium vt vtile ad finem.* Pro cuius explicatione noto illam reduplicationem *amore medium vt vtile* ad finem diuerſimo de accipi poſſe.

29 Primo poteſt ſignificare rationem formalem, & finalem amandi. Ita dicimus amare *bonum, vt bonum* ſignificando per illam reduplicationem *vt* rationem, quæ, vt amata, mouet ad amorem, nempe bonitatem.

Secundo aliquando reduplicat ſolum rationem materialem formaliter amatam. Ita dicimus amari obiectum, vt propoſitum ab intellectu. V.g. appetitur potio, quæ ſimul proponitur vt ſana, & vt amara, & concipimus hunc actum. *Amo potionem amaram, non quia amara; ſed quia ſana eſt.* In hoc caſu amatur potio amara vt amara: non ly *vt* reduplicante rationem formalem amoris, ſeu obiectum formale, ſed rationem materialem, & materiale obiectum, non ſolum interpretatiuè, aut dierectè, ſed directè, & formaliter amatum, licet non propter illud prædicatum, ſed propter aliud, ab eo formaliter diſtinctum, nempè propter ſanitatem: quæ prædicata ſanitatis, & amaritudinis, ſupponimus inter ſe, & cum potione, identificari.

30 Tertio poteſt illa reduplicatio ſolum ſignificare circumſtantiam aliquam, ſeu caſum, pro quo obiectum amatur: ita, vt amor intrinſecè habeat amare obiectum, adhuc in illo caſu, ſeu

reſpectiuè ad illam circunſtantiam, quin obinde circunſtantia, aut caſus, vlla ratione ametur. V. g. præuidet Deus auxilium A ineſficax eſſe, & propter altiſsimos fines, quos Deus habet, concipit hoc decretum *decerno auxilium A, quod præuideo ineſficax*, ſeu, *quamvis præuideo ineſficax*. In hoc caſu amatur auxilium *vt ineſficax*: ita tamen, vt illa reduplicatio ſolum ſignificet circunſtantiam, pro qua amatur auxilium; non veró aliquem amorem ineſficaciæ auxilij.

31 Quarto denique poteſt illa reduplicatio ſignificare conditionem, non præciſè prout conditio eſt caſus, ſeu circunſtantia, pro qua amatur obiectum, ſed prout eſt rigoroſe conditio ad amandum obiectum. V. g. *amo elargitionem eleemoſynæ Petro, vt pauperi*, ſeu *amo eleemoſynam vt coniugendam cum indigētia Petri*. In hoc caſu certum eſt me non amare indigentiam, & paupertatē Petri, cum potius ex diſplicentia illius elargitionem eleemoſynæ decernam. Et tamen paupertas eſt conditio amandi eleemoſynā. Ergo illa reduplicatio poteſt ſignificare conditionem amoris, quę minimè ſit prædicti amoris obiectum.

32 Præterea in permiſsione peccati, ſeu in collatione auxilij ineſficacis, triplex vtilitas ad pœnitentiam diſtinguenda eſt. Alia remota conſiſtens in ipſa collatione auxilij, prout diſtincta, tum à pœnitentia, tum ab ipſo peccato conſtituente auxilium in eſſe ineſficacis nam ipſa collatio auxilij ineſficacis habet intrinſecè, & ex ſe conducere ad pœnitentiam, quatenus habet ex ſe eſſe collationem alicuius conſtituentis poteſtatem ad peccatum requiſitum ad pœnitentiam. Alia eſt in permiſsione peccati vtilitas ad pœnitentiam, non purè remota, ſed proxima, conſtituta quidē per ipſum peccatum: nam collatio auxilij A, vt coniuncta cū peccato, proximè deſeruit ad pœnitentiam, tanquam materia illius. Alia denique eſt in permiſsione peccati vtilitas ad pœnitentiam: nimirum vtilitas, ſeu conducentia in actu ſecundo: quæ vtilitas per pœnitentiā ipſam conſtituitur. Nā vtilitas in actu ſecundo medij ad finē, in poſitione, & exiſtētia finis ex vi medij cōſtitui debet.

33 Porro: dum cōmuniter dicitur idē eſſe amare mediū propter finē, ac amare medium, vt vtile ad finem, ſolum debet intelligi de hac vtilitate in actu ſecundo; non verò de alijs vtilitatibus in actu primó. Quia optimè poteſt aliquod mediū amari propter vtilitatem intrinſecam ſecum identificatam, quam habet reſpectu alicuius finis, & nihilominus non amari propter finem. Patet hoc in amore, quo amaretur libertas, quia ex intrinſecis prædica-

tis

ſis eſt vtilis ad conſenſum, & diſſenſum, ita vt vtilitas intrinſeca eſſet motiuum formale adæquatum. Patet etiam in eo, qui amat enſem, quia omnium optimus eſt ad percutiendum: & tamen habet poſitiuam voluntatem non percutiendi. Tunc ergo ſolum amatur medium propter finem, quando amatur vt vtile in actu ſecũdo ad finem; non vero quando ſolum amatur vt vtile in actu primô.

34 Hac doctrina præſuppoſita; à multis non ſatis expedite declarata, haud difficilem ſolutionem habet ſuperius argumentum, & plura alia, quæ, licet diuerſo modo proponantur, in eamdem tamen recidunt difficultatem. Reſpondeo ergo in formâ diſtinguendo primum antecedens. Eligere medium propter finẽ, eſt eligere medium vt vtile ad finem: vtilitate in actu primo dumtaxat, nego: vtilitate in actu ſecundo: ſub diſtinguo: reduplicante ly *vt* rationem mouentem vt amatam, concedo: reduplicando ſolũ circunſtantiam, vel conditionem, nego antecedens. Et ſub eiſdẽ terminis diſtincto conſequenti, diſtinguo minorẽ ſubſumptã. Amare permiſsionem vt vtilem ad pœnitentiam, eſt amare peccatam: ſi ly *vt* reduplicet vtilitatem vt rationem formalem mouentem vt amatam, concedo: ſi reduplicet vtilitatem ſolum vt circunſtantiam, vel vt conditionem, nego minorem. Et nego conſequentiam.

35 Ad probationem huius minoris reſpondeo amari permiſsionem vt vtilem proximè ad pœnitentiam: reduplicando tamen ly *vt* vtilitatem vt conditionem; non verô vt rationem formalem amatam. Et negata minori, nego conſequentiam. Ad probationem primæ partis minoris diſtinguo. Si amatur permiſsio vt vtilis proximè, reduplicante ly *vt* rationem formalem mouentem, vt amatam, amabitur ipſa proxima vtilitas, quæ conſiſtit in peccato, concedo: reduplicante vtilitatem, vt præciſsê conditionem: nego. Deinde diſtinguo ſecundam partem probationis. Si amatur vt vtilis remotè ad pœnitentiam, amabitur, vt vtilis proximè ad peccatum, reduplicando vtilitatem vt conditionem, concedo, vt rationem formalem mouentem vt amatam, nego maiorem. Et deinde diſtinguo minorem. Amari permiſsionem vt vtilem ad peccatum vtilitate intrinſeca, & in actu primo, eſt amari peccatum, nego, vtilitate in actu ſecundo: ſub diſtinguo, reduplicando ly *vt* vtilitatem in actu ſecundo vt rationem formalẽ mouentem vt amatam, cõcedo: reduplicando ly *vt* vtilitatem in actu ſecundo vt præciſsê cõditionẽ: nego minorẽ. Et nego cõſequẽtiã.

36 Ad vltimam probationẽ diſtinguo maiorẽ. Amci me-

dij in ordine ad finem eſt amor finis: tenente ſe ly *in ordine ad finem* ex parte actus ordinantis medium ad obtinendum finem, concedo: tenente ſe ly *in ordine ad finem* ex parte obiecti ſub diſtinguo: reduplicando ordinem medij ad finem in actu ſecundo vt ratione formalem mouentem vt intentam, concedo. aliter nego maiorem. Et deinde diſtinguo minorem. Amor permiſsionis, vt vtilis ad peccatum, eſt amor permiſsionis, vt medij: reduplicando rationem medij in actu ſecundo, vt rationem formalem intentam nego: aliter concedo minorem. Et nego conſequentiam. Ex qua reſponſione deducitur etiam ſolutio ad plura alia, quæ eandem continent difficultatem, diuerſa tamen ratione proponuntur.

37 Inſtant igitur aduerſarij præcedens argumentum hac ratione. Cui non eſt bonus, aut amabilis aliquis finis, non eſt bonum, & amabile medium titulo conducentiæ, quam habet ad finem. Sed Deo, etiam vt intendenti pœnitentiam, non bonum, aut amabile eſt peccatum. Ergo neque erit bonum, aut amabile medium titulo conducentiæ, quam habeat ad peccatum.

38 Reſpondeo ex dictis diſtinguendo maiorem. Cui nõ eſt amabilis finis, non eſt amabile medium titulo conducentiæ intrinſecæ, ſeu in actu primo, ad finem, nego: titulo conducentiæ in actu ſecundo: ſub diſtinguo. titulo, vt ratione formali mouente, vt amata ad amorem medij, concedo: titulo, vt conditione, & circunſtantia, nego maiorem. Et conceſſa minori, diſtinguo conſequens. Ergo non erit amabilis permiſsio titulo conducentiæ intrinſecæ, & in actu primo: nego: titulo conducentiæ in actu ſecundo, ſub diſtinguo: titulo, vt ratione formali mouenti vt amata, concedo: titulo, vt circunſtantia, pro qua eſt vtilis permiſsio ad pœnitentiam, nego conſequentiam.

39 Inſtant vlterius. Qui efficaciter amat finem, vi huius intentionis cogitur, vt potius eligat medium, quod videt conducens, & neceſſarium ad finem, quam medium, quod non eſt neceſſarium, aut conducens. Sed hoc non poteſt aliunde prouenire, quam ex eo, quod ea vtilitas ſibi prout intendenti finem ſit bona, & amabilis, ſecus quælibet alia bonitas medij ad hunc finem impertinens. Ergo Deo, prout præintendenti pœnitentiam, non eſt bona, aut amabilis permiſsio, niſi bona ipſi, & amabilis ſit ea vtilitas, quam habet ad pœnitentiam. Ergo, vel hanc vtilitatem amat, proindeque peccatum, vel ex præintente fine non deſcendit ad electionem permiſsionis.

40 Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem

norem vniuerſaliter ſumptam, prout includit conducentiam, & vtilitatem, tam proximam, quam remotam: nam, vt ametur medium vtile, quod eſt vtile vtilitate diſtincta ab ipſo medio, potius quam inutile, non requiritur quod ea vtilitas ſit amabilis, ſed ſufficit quod ſit conditio, qua poſita, amabile ſit auxilium in ordine ad pœnitentiam, ſeu illud medium in ordine ad finem præintentum.

41 Inſtant iterum. Vtilitas ſecundum rationem, ſecundum qua licitè amari nequit, nequit etiam vt cognita licitè attrahere voluntatem. Ergo inefficacia auxilij, quæ eſt vtilitas proxima, licet extrinſeca ad pœnitentiam nequit attrahere voluntatem ad amandum auxilium, ſiquidem nequit licitè amari. Antecedens probatur. Ex eo quod ex aliquo medio ſequēdum ſit illud, quod ego odio habeo, non poſſum allici ad illud eligendum: nemo enim ex malo allicitur. Vnde ex eo, quod cognoſcam aliquid eſſe vtile ad malum, vt malum, non poſſum allici ad illud aliquid eligēdum. Ergo, ſi ex vtilitate ad aliquod allicior, ſignum eſt quod illud, ad quod eſt vtile, non eſt malum, vt malum; ſed habet aliquam rationem boni, & amabilis.

42 Confirmatur. Quia ſi aliquis pro caſu intentionis pœnitentiæ amaturus eſſet efficaciter, vel peccatum, vel carentiam peccati, potiùs amaret peccatum, quam carentiam peccati, vtpote eſſentialiter requiſitum ad pœnitentiam. Sed voluntas, quæ ita inclinat, eſt mala moraliter. Ergo, & intentio efficax pœnitentiæ, prout à nobis ponitur.

43 Reſpondeo vtilitatem ſecundum rationem, quæ amari nequit, poſſe attrahere voluntatem ad amandum aliud: non attractione motiui, ſeu rationis formalis intentæ, ſed attractione conditionis: &, ſi velis, attractione rationis formalis *qua*: quemadmodum paupertas indigentis attrahit ad elargitionem eleemoſynæ. Inefficacia ergo auxilij attrahit voluntatem diuinam ad amorem auxilij: non vt ratio formalis intenta, ſed vt conditio, vt ſæpè diximus. Vnde negandum eſt primum antecedens vniuerſaliter ſumptum. Ad illius probationem: diſtinguo antecedens. Ex eo quod ex aliquo medio ſequendum ſit illud, quod ego odio habeo, non poſſum allici ad illud eligendum: ſi id, quod ego inefficaciter odio habeo ſit eſſentialiter prærequiſitum ad aliud, quod efficaciter amo, non poſſum allici allicientia conditionis, nego: aliter: omitto antecedens. Cumque ex auxilio ſequendum ſit peccatum inefficaciter odio habitum à Deo: quod peccatum eſt eſſentiali-

tiali-

tialiter prærequiſitum ad pœnitentiam: inde fit ex futuritione peccati poſſe Deum allici allicientia conditionis ad ponendum auxilium efficax. Ad confirmationem reſpondeo Deum de facto odio habere peccatum, & non carentiam peccati. Pro caſu tamen chimerico, quo vnum efficaciter eligendum eſſet, vel peccatum, vel carentia peccati: dico pari ratione vtrumque implicare: quia eligere carentiam peccati eſſet contra intentionem pœnitentiæ. Eligere vero peccatum contra Dei bonitatem. Neque in his figmentis amplius immorari fas eſt.

44 Obijcies 3. ex P. Ribadeneira tract. de Prædeſt. diſput. 8. cap. 1. Nequit Deus ſuæ exercitio libertatis determinare homines ad peccatum. Sed, ſi Deus prædefiniret pœnitentiam ante abſolutè præuiſſum peccatum, Deus determinaret hominem ad peccatum. Ergo nequit Deus prædefinire pœnitentiam ante abſolutè præuiſſum peccatum. Conſequentia eſt bona, & maior videtur ex terminis nota. Quid enim magis dedecens bonitatem diuinam, quam determinare ad malum, à quo, & præcepto, & immanium pœnarum comminatione adeò enixè conatur arcere? Minor igitur, in qua eſt difficultas, probatur. Determinare ad peccatum eſt quod ab ſtatu indifferentiæ ad peccatum, & carentiam peccati, transferat ſe aliquis ad ſtatum determinati ad peccatum per affectum intrinſeeè connexum cum peccato: qui affectus, vt exerceatur, non expectat peccatum aliunde præſupponi. Sed Deus quando prædefinit efficaciter pœnitentiam ante abſolute præuiſſum peccatum, ab ſtatu indifferentiæ ad peccatum, & eius carentiam, nempè ab ſtatu indifferentiæ ad prædefiniendam pœnitentiam connexam cum peccato, vel potius decernendi non permittere peccatum ſe transfert ex vi prædefinitionis pœnitentiæ ad ſtatum determinati ad peccatum per affectum, nempè prædefinitionem pœnitentiæ, intrinſeeè connexum cum peccato: qui affectus non expectat abſolutam exiſtentiam peccati. Ergo Deus determinat ad peccatum.

45 Confirmatur. Qui, non expectato peccato, excludit exercitio ſuæ libertatis requiſitum eſſentiale, vt euitetur peccatũ à creatura, determinat creaturam ad peccatum. Sed Deus, non expectato peccato, excludit carentiam prædefinitionis pœnitentiæ, quæ carentia eſſentialiter requiritur ad impediendum peccatum, ſiquidem peccati impeditio nequit coniungi cum prædefinitione pœnitentiæ. Ergo Deus hac prædefinitione determinat ad peccatum.

46 Hoc

46 Hoc argumentum, cui multum fidit hic author, probat Deum non poſſe habere actum aliquem voluntatis connexum cum peccato ante abſolutam præuiſsionem illius, conſequenterque Deum nõ poſſe habere hunc actum *decerno hoc auxilium, quãuis præuideo inefficax ad euitendum peccatum*. Item probat Martyrem, cui Deus reuelaret quod, ſi fidem confiteretur, mortem eſſet obiturus, non poſſe innitendo reuelationi, hunc actum elicere. *Volo efficaciter confiteri catholicam fidem. quamuis certò, & infallibiliter ſcio tormenta, & mortem me ſubiturum eſſe, ſi ita faciam.* Totum hoc hic author concedit, & hos actus, qui communiter ab omnibus authoribus, vt pijſsimi, & gratiſsimi Deo habentur, illicitos, & peccaminoſos reputat: ſolumque admittit alios actus, qui ſub his terminis in alia ſignificatione acceptis, poſſunt ſignificari. Cæterum quis non videat quam alienum à veritate ſit: & quis erit, qui, ſi ſincerè res perpendat, non iudicet hoc deuorare ſufficientem eſſe huius placiti impugnationem.

47 Breuiſsime nonnullas alias huius aſſerti impugnationes ſubiungam. Prima ſit. Deus præuiſſa inefficacia auxilij A. poteſt in eam ſimplici diſplicentia ferri actu voluntatis directo ex Scientia Media prædictæ inefficaciæ. Poſteaque per alium actum poterit decernere exiſtentiam auxilij A. Sed hic duplex actus liberè à Deo habitus connectitur intrinſecè, & eſſentialiter cum peccato. Ergo poteſt Deus liberè ponere hoc aggregatum duplicis actus connexum eſſentialiter cum peccato. Ergo, & determinare ad peccatum in ſenſu, in quo hic author renuit determinationem ad peccatum Deo adſcribere.

48 Secunda ſit. Poſita in Deo ſcientia inefficaciæ auxilij A. ad obſeruationem præcepti, poteſt Deus habere actum, quo ſtatuat hac ratione. *Nolo me retrahere ex hac Scientia, quo minus conferam auxilium ideoque volo, & decerno conferre auxilium A.* At hic actus vtpote connexus, tum cum exiſtentia auxilij A, tum cum illius inefficacia præuiſſa, connectitur intrinſecè, & eſſentialiter cum tranſgreſsione præcepti. Ergo poteſt Deus ante abſolutam tranſgreſsionem præcepti habere actum intrinſecè, & eſſentialiter connexum cum ea. Conſequentia eſt legitima, & minor certa. Maior neſcio quo iure negari poſsit. Si enim poteſt Deus per vnum actum habere voluntatem non ſe retrahendi ex inefficacia præuiſſa: & deinde per alium actum decernere auxilium cur non poterit hæc duo per ſimplicem actum exequi?

49 Tertia ſit. Ex ſuppoſitione quod Deo repugnet ex ſuo

ubi-

libito ponere ante abſolutam præuiſionem peccati aliquod extremum eſſentialiter connexum cum peccato, pari iure repugnabit ipſi determinare vltimo complexum cum peccato connexum. Ergo repugnaret Deo, poſita Scientia de inefficacia auxilij A ad obſeruationem præcepti, determinare per poſitionem auxilij complexum ex Scientia, & auxilio, eſſentialiter connexum cum tranſgreſſione præcepti. Probo antecedens. Quando aliquod genus connexionis cum peccato ſufficit, vt ponenti totam connexionem tribuatur peccatum, etiam ſufficit, vt tribuatur peccatum complenti illam connexionem, vt patet in eo, qui complet liberè cauſam neceſſariam mortis alicuius. Ergo etiam in noſtro caſu, ſi Deo repugnet ponere pro ſuo libito ante abſolutam præuiſionem peccati aliquam connexionem cum peccato, pari iure repugnabit illi ſimilem connexionem complere.

50 Iam igitur ad argumentum P. Ribadeneira reſpondeo diſtinguendo duplicem determinationem ad peccatum: aliam logicam, & illatiuam, ſeu per cõnexionẽ: aliam phyſicam per influxum in peccatum ſiuê per modum neceſsitantis ad illud. Hæc ſecũda aliena eſt à Deo, cum ratione illius author peccati denominaretur. Illa vero prima poteſt Deo conuenire: nam eſt determinatio non excedens limites determinationis permiſsiuæ, quatenus Deus potens impedire peccatum, illud non impedit. Ex quo fit huiuſmodi determinationem minimè Deo repugnantem eſſe: conſequenterque poſſe Deum impedire requiſitum phyſicè ad carentiam peccati: dummodo hoc requiſitum non ſe teneat ex parte poteſtatis ad carentiam peccati: quià cum etiam ablato illo requiſito, maneat creatura adeo perfectè potens euitare peccatum, ac ſi illud requiſitum exiſteret: fit inde ex ablatione illius requiſiti minimê exiſtentiam peccati Deo tribui debere, ſed totam in libertatis creatæ dominium debere refundi,

51 Reſpondeo ſecundo quod licet Deus prædefiniat pœnitentiam efficaciter ante abſolutam præuiſionem peccati; non tamen exiſtit ea prædefinitio ante abſolutam exiſtentiam peccati: ideoque ea prædefinitio non poteſt abſolutè dici eſſe determinatio antecedens ad peccatum, ſed conſequens. Porro determinatio ad peccatum conſequens exiſtentiam abſolutam peccati, licet non ſit conſequens abſolutam præuiſionem illius, non eſt determinatio dedecens Deum: quia ſimpliciter loquẽdo non eſt determinatio antecedens. Quod autem prædefinitio efficax pœnitentiæ, tametſi antecedens abſolutam præuiſionem peccati,

cati, ſit nihilominus conſequens peccati abſolutam exiſtentiam cõſtat ex communi Societatis doctrina. Cum enim hæc prædefinitio dependeat à Scientia Media, & Scientia Media in caſu prædefinitionis dependeat à diſſenſu abſoluto: quia caſus prædefinitionis eſt caſus exiſtentiæ auxilij (ſiquidem prædefinita efficaciter pœnitentiâ, dabitur vocatio, cui homo diſſentiat) & in caſu auxilij Scientia Media de eius inefficacia determinetur à diſſenſu abſoluto, & non purè conditionato: hinc deducitur prædefinitionem efficacem pœnitentiæ ratione Scientiæ Mediæ dependere remotè à peccato, ſiuè diſſenſu abſolutè exiſtente: ideoque eſſe determinationẽ conſequentem abſolutam exiſtentiam peccati.

52 Hinc ad argumentum in forma. Diſtinguo maiorem. Deus nequit ſuo exercitio libero determinare ad peccatum determinatione conſequente exiſtentiam abſolutam peccati: nego: aliter: omitto maiorem. Et ſub eiſdem terminis diſtincta minori, nego conſequentiam. Ad probationem minoris: concedo quidem Deum determinare ad peccatum: non determinatione, quæ abſolutè, & ſine addito poſsit appellari determinatio; ſed determinatione ſecundum quid: nempe determinatione, quæ licet non expectet abſolutam præuiſsionem peccati; expectat tamen abſolutam exiſtentiam peccati: ſumpta expectatione pro ſubſequutione: nam revera, vt diximus, prædefinitio efficax pœnitentiæ ſubſequitur abſolutam exiſtentiam peccati ratione Scientiæ Mediæ: quæ in caſu prædefinitionis pœnitentiæ determinatur à peccato abſolutè exiſtente.

53 Ob. 4. Deus per nos non poteſt efficaciter prædefinire materiale peccati, adhuc poſito materiale à formali realiter diſtingui, ergo neque poteſt Deus efficaciter prædefinire pœnitentiam antè abſolutè præuiſſum peccatum. Probatur conſequentia. Ideo non poteſt Deus efficaciter prædefinire materiale peccati: quia materiale peccati eſſentialiter connectitur cum formali: quapropter cenſeretur Deus velle, & cauſare formale, eo ipſo, quod efficaciter prædefiniret materiale. Sed non minus connectitur pœnitentia cum peccato, quam materiale cum formali peccati. Ergo, vel non poteſt Deus prædefinire pœnitentiam, vel poteſt prædefinire materiale peccati.

54 Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad conſequentiæ probationem dico: non eo præciſſe quod materiale connectitur intrinſecè, & eſſentialiter cum formali, dedecere Deum prædefinire materiale, ſed quia connectitur

cum

cum formali, vt radix, ex qua abſque nouo libertatis exercitio oritur formale. Quod quidem non euenit in pœnitentia: quandoquidem pœnitentia non eſt radix, aut fundamentum peccati, ſed potius illud ſupponit. Deinde libertas ad pœnitentiam non eſt libertas, quæ exercetur in peccato. At verò formale peccati non aliter exiſtit liberè à voluntate, niſi quatenus voluntas liberè ſe determinat ad materiale.

Cæterum hanc eſſe ſufficientiſsimam diſparitatem, facilè conſtat. Nam qui amat efficaciter materiale, tenetur ad materiale ponendum: cumque formale eatenus cauſetur, quatenus liberè ponitur materiale: ideo qui amat, & prædefinit materiale peccati, eſt author, & cauſa formalis peccati: cum formale peccati nô aliter liberè cauſari poſsit. Verum cum pœnitentia non ſit radix peccati, ſed ſupponat peccatum aliunde per aliam libertatem poſitum: ideo Deus amans efficaciter pœnitentiam, non tenetur cauſare peccatum: imò neque illud vlla ratione amare, ſed dumtaxat per collationem auxilij inefficacis permittere. Vide quæ diximus quæſt. 7. ſect. 5.

SECT. IV.

Vtrùm Deus de facto prædefiniat efficaciter pœnitentiam ante abſolutè præuiſſum peccatum.

55 SEmel ſtatuta poſsibilitate prædefinitionis efficacis pœnitentiæ ante abſolutè præuiſſum peccatum examinandum reſtat tum: an hæc prædefinitio componi poſsit cum affectu, quem Deum de facto habere erga efficaciam auxiliorum nobis ex Scriptura, Concilijs, & Patribus conſtat: tum etiam: an ab authoritate ſatis probabiliter conſtet nobis de facto Deum, aliquando ſaltem, efficaciter pœnitentiam prædefinire antè abſolutè præuiſſum peccatum?

56 Sit noſtra concluſio Deus iuxta præſentem prouidentiam ſæpe prædefinit efficaciter pœnitentiam ante abſolutè præuiſſum peccatum. Hanc ſententiam tenent Thomiſtæ: & ex noſtris. Molina in concordia quæſt. 22. art. 1. diſp. 2. §. *quamuis autem,* & quæſt. 23. art. 4. diſp. 1. memb. 7. §. *quare quoad rem præſentem.* Ruiz de Prædeſtinat. diſp. 10. ſect. 8. & diſp. 23. ſect. 3. num. 10. Granados tract. 6. diſp. 5. num. 11. Albertinus tom. 1. coroll. 1. ex principio 6. philoſophico quæſt. 1. cap. 25. Arriaga de Prædeſtinat.

nat.diſp.38.ſect.4. Amicus diſp.15.de Prædeſtinat.ſect.5. Lucerus in opuſcul.de immunitate Mariæ diſcurſu 1.cap.5. Ribas diſp. 4.cap.8. Albiz tract.3.de Prædeſtinat. diſp.4. ſect.13. Gammachæus quæſt.23.cap.3. Quiros tom.2.in 1. p. diſp. 22. Izquierdo tom.2.de Deo vno tract.12.diſp.43.quæſt.3.&,vt rectè aduertit Quiros,eandem ſententiam tenent quotquot defendunt potuiſſe Chriſtum Dominum,vt Redemptorem prædefiniri efficaciter ante abſolutè præuiſum peccatum.

57 Pro oppoſita ſententia ſtant. Suarez lib.3 de Prædeſtinat.cap.8.num.13.& lib.2.de concurſu Dei cap.5. ad quartam obiectionem. Vazquez diſp.93.in 1.p.cap.2. Fonſeca 6. Metaphyſic.cap.6 quæſt.2. Herice diſp.30.cap 6. Arrubal. diſp.82.cap.1. Hurtado Salmanticenſis de Incarn.diſp.13. §.129. Hurtado Cõplutenſis tract.de Prædeſtinat.diff.6. Cardinalis de Lugo de Incarn.diſp.6, Franciſcus de Lugo lib.1.de Deo vno diſp.42.cap. 4.num.18. Becanus tract.1.cap 14. Tannerus de Prouid. & Prædeſt.diſp.3.q.3.dub.3. Meratius diſp.39. Alarcon tract.4.diſp 4. §.22. Martinon de Deo vno diſp.19. ſect.6. Hacherus tract.2. diſp.23.quæſt.13. Baſilius Legionenſis in quotlibet.quæſt.6. Scholaſt.cap.10.§.*ex dictis infero* poſt initium. Auerſa 1.part.q.22. ſect.11. Aldr.tom.1.de Incarn.diſp.20.& tom.2.in 1.p.diſp.21.

58 Probatur igitur noſtra ſententia. Prædefinire Deum efficaciter pœnitentiam ante abſolutè præuiſum peccatum eſt velle,& intendere efficaciter pœnitentiam ante abſolutè præuiſſum peccatum. Sed Deus ante abſolutam præuiſsionem peccati vult,& intendit efficaciter pœnitentiam. Ergo ante abſolutam præuiſsionem peccati prædefinit Deus efficaciter pœnitentiam. Conſequentia eſt bona,& maior certa. Minor probatur. Deus ante abſolutam præuiſsionem peccati permittit peccatum ex intentione efficaci pœnitentiæ. Sed permittere hoc modo eſt intendere efficaciter pœnitentiam. Ergo Deus ante abſolutam præuiſsionem peccati intendit,& amat efficaciter pœnitentiam. Conſequentia eſt bona,& minor certa: ſiquidem permittere ex intentione efficaci finis,vel inuoluit,vel ſupponit intentionem efficacem finis. Tota igitur difficultas deuoluitur ad oſtendendam veritatem minoris, nimirum. Deum permittere peccatum ex intentione efficaci pœnitentiæ. Sic igitur eam probo.

59 Primo ex Auguſtino lib. 11. de Ciuitate: qui explicans illa verba Pauli ad Rom. 11. *Concluſit enim Deus omnia in incredulitate , vt omnium miſereatur*; hæc habet

Deus

Digitized by Google

Deus permiſit prædeſtinatos ex Iudæis, & gentibus, incidere in peccatum infidelitatis, vt de amaritudine illius pœnitendo conſſi, & de dulcedine diuinæ miſericordiæ credendo conuerſi, dicant illud pſalmi 30: quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te. Ergo iuxta Auguſtin. Deus permiſit Iudæis prædeſtinatis peccatum infidelitatis, vt pœniterent, & conuerterentur. Sed idem eſt permitti alicui peccatum, vt pœniteat, ac permitti ex fine pœnitentiæ. Ergo Deus permiſit Iudæis peccatum ex fine conuerſionis, & pœnitentiæ. Et ſermone 124. agens de peccato D. Petri ait: *Videte ergo fratres chariſsimi quem admodum exigua culpa permittitur ſubiacere tantus Apoſtolus, vt emendatus elationis vitio, atque correctus, integro veſtiatur moderationis, & clementiæ indumento.*

60 Confirmatur. Deus iuxta PP. permittit plura peccata ex fine humilitatis, quæ oritur ex propriæ infirmitatis, proprijque lapſus cognitione. Ergo etiam de facto poterit permittere peccata ex fine pœnitentiæ: cum non minus humilitas, quam pœnitentia cum peccato connectantur. Conſequentia eſt bona. Antecedens conſtat ex pluribus Patrum teſtimonijs. Vnum, vel alterum ſeligam. Aug. lib. quæſt. in Manichæum quæſt. 14. *Ideo Iudæorum plurimi excæcati prius, vt amplius humiliati vehementius diligerent, à quo ſibi tantum ſcelus dimiſſum eſſe gauderent.* Greg. homil. 21. in Euangelium interrogat cur Deus Petri negationem permiſit? Reſpondet: *Vt in ſua culpa diſceret qualiter alijs miſereri debuiſſet.* Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 29. hæc habet. *Permittitur quis quandoque in turpem incidere actum ad emendationẽ deterioris affectus, verbi cauſa, quis eſt elatus in virtutibus, & recte factis ſuis: hunc ſinit Deus in adulterium prolabi, vt per caſum in cognitionem propriæ infirmitatis veniens, humiliatus confiteatur Domino.* Iſidorus lib. 2. ſententia de ſummo bono cap. 39. in medio. *Ideo non numquam electi lapſu carnali corruunt, vt à vitio ſuperbiæ ſanentur, & carnis vitio humilientur, vt ſurgant.* Denique S. Thomas 1. 2. q. 79. artic. 4. ait. *Deus permittit aliquos cadere in peccatum, vt peccatum ſuum agnoſcentes, humilientur, & conuertantur.*

61 His, & pluribus alijs teſtimonijs, quæ videri poſſunt apud Vazquez, Ruiz de Montoya. Quiros, & Izquierdo locis ſupra citatis reſpondebis.

62 Primo cum Vazquez, & Herice, Scripturam, & PP. ad modum vulgarem loquendi ſe accommodare: ita vt particula

vt

vt non finem operantis, ſed euentum operationis ſignificet. Iuxta quam acceptionem D. Petrus Act. 1. dixit. Loquens de Apoſtolatu. *De quo prauaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum*: cum certum ſit Iudam non ab Apoſtolatus defeciſſe ex fine abeundi in talem locum.

63 Hæc ſolutio eſt inſufficiens. Primò: quia abſque vrgenti fundamento verba Scripturæ ad improprium ſenſum detorquet. Secundo quia PP. vt rectè notat Izquierdo, ſæpius adiungunt alias particulas, quæ manifeſtè indicant ſenſum cauſalem: videlicet. *Ideo. Cur. Prouidentia Dei factum eſt*: *curatum eſt vt*. Quæ omnia non vt cumque euentum ſequutum; ſed motionem aliquam ſignificant. Tertio quia, vt conſtat ex verborum contextu, PP. in prædictis locis extollunt arcana Dei conſilia, & altiſsimā Dei prouidentiam mala in bonum ineffabili miſericordia, & ſapiētia, vertentem. Hoc autem totū innuit, vt ex terminis patet, Deū permiſsionem peccati in vtilitatem ſpiritualem peccatorum ordināre. Ergo non ſolum ſignificant PP. per particulam *vt* euentum ſequutum, verum etiam ordinationem permiſsionis in finem humilitatis, & pœnitentiæ.

64 Reſpondebis ſecundo cum Arrubal. Deum permittere peccatum ex fine humilitatis: non illius, quæ ſupponit peccatum, ſed humilitatis, quæ oritur ex ipſa tentatione ad peccatum inclinante. Cum enim homo ſe hinc inde concuſſum experitur, ſuā infirmitatem, & fragilitatem agnoſcit: qua ſe videt in tanto peccandi diſcrimine cōſtitutū, & miſerandi lapſus periculo obnoxiū.

65 Sed contra. Primo, quia ex verbis Auguſtini ſupra adductis conſtat Deum permittere peccatum *vt de illius amaritudine pœnitendo confeſsi, & de dulcedine diuinæ miſericordiæ credendo conuerſi, &c.* At qui hoc eſt permittere peccatum, vt de illo pœniteat peccator; & non ſolum vt de periculo peccandi humilietur. Ergo ſolutio data non ſtat cum verbis Auguſtini. Secundo: quia etiam in verbis præallegatis cōtinetur Deum permittere peccatum peccatori, *vt emendatus elationis vitio, atque correctus, &c.* Item, *vt* (qui peccarunt) *amplius humiliati, vehementius diligerent, à quo ſibi tantum ſcelus dimiſſum eſſe gauderent*. Ergo permittitur à Deo peccatum, vt exerceantur actus ſupponentes peccatum. Ergo non ſolum, vt in diſcrimine peccandi propriam infirmitatem agnoſcant. Tertio denique: quia non quærunt Sancti PP. cur Deus vehementer tentari homines permittat, ſed cur ſinat in peccata prolabi. Non ergo inueſtigant vtili-

tatem ex periculo duntaxat, ſed ex ipſo peccato ducentem originem.

66 Reſpondebis tertio cum Aldrete, & alijs. PP. in his loqutionibus. *Deus permittit homini peccare, vt pœniteat* per ly *vt* non ſignificari motionem finis, ſed ſolum remotionem illius, quod prohibere poterat. Ita vt Deus ſolum conferat auxilium propter bonum opus, à quo conferendo auxilio, quod Deus prænidet inefficax, non retardatur ex inefficacia prænuiſa: quia ſimul prænidet pœnitentiam futuram. Quaſi hac ratione prædefiniret Deus auxilium præuiſſum inefficax. *Decerno auxilium, vt homo ſit liber, & etiam vt benè operetur. Et tametſi preuideo inefficaxe futurum, cum tamen ſimul præuideam pœnitentiam futuram ex ſuppoſitione peccati, nolo me retrahere à collatione auxilij ex eius præuiſſa inefficacia.* In tendentia huiuſmodi apparet pœnitentiam non ſe habere vt finem intentum, ſed ſolum remouere efficaciam, quam præuiſio peccati ſub conditione futuri haberet ad retrahendum à collatione auxilij.

67 Sed hæc ſolutio vim infert prædictis authoribus: in quibus omnibus abſolutè, & ſine limitatione dicitur Deus permittere peccatum *vt* ſequantur pœnitentia, & humilitas: ea vero particula *vt* abſolutè prolata motionē in genere finis apud omnes authores ſignificat. Etenim eodē modo loquuntur Scriptura, & PP. dū motionem cauſæ finalis ſignificare intendunt. Confirmatur. Sæpe PP. dum aiunt Deum permittere alicui peccatum *vt* pœniteat, & vt propriam fragilitatē agnoſcat, prius quærūt *Cur Deus illud permiſerit peccatum?* Ergo dum reſpondent *vt pœnitentia ſequatur*. Ly *vt* accipitur in eodem ſenſu, quo accipiebatur *Cur* in interrogatione. At qui dū quærimus *Cur* Deus hoc, vel illud fecit aut permiſit, niſi aliud addatur, quærimus de motiuo, & nō ſolū de remouente prohibens. Ergo dum abſolutē reſpondent PP. ideo Deum permittere peccatum, *vt* ſequatur pœnitentia, vel humilitas; ly *vt* intelligendum eſt de ratione poſitiuè mouente, & non ſolum remouente prohibens.

68 Confirmatur ſecundo ex D. Anſelmo in elucidario colum. 4. de malis Angelis ita loquens. *Cum Deus praſciret eos tales futuros quare creauit eos? Propter ornatum ſui operis: vt enim pictor nigrum colorem ſubſternit, vt albus vel rubens pretioſior ſit, ſic collatione malorū iuſti clariores ſūt.* In quibus verbis ait Anſelmus Deum permiſiſſe peccatum Angelorum, propter ornatū vniuerſi: & vtitur ſimilitudine pictoris. Ergo quē admodū pictor poſitiuè

ſitiuè vult colorem album, vel rubeum, clariorem apparare, dũ ſubſternitur color niger: ita Deus poſitiuè intẽdet ornatũ vniuerſi ortum ducẽtẽ ex peccato, dũ creat malos, & eos peccare permittit.

69 Reſpondebis quarto cum alijs: dum PP. aſſerunt Deũ permittere peccatum, vt pœnitentia ſequatur, loqui de intentione inefficaci; non vero de intentione efficaci pœnitentiæ. Sed contra. Dum permittitur peccatũ ex intẽtione inefficaci pœnitentiæ, vel collatio auxilij inefficacis prout ex hac intentione connectitur intrinſecè cum pœnitentia, quatenus connectatur cum Scientia Media inefficaciæ auxilij, vel non connectitur. Si primum. Ergo iam cum voluntate, & procuratione ſeria conſenſus per auxilium præuiſum inefficax componitur in Deo voluntas aliqua ex prædicatis intrinſecis connexa antecedenter cum pœnitentia, & peccato: quod eſt totum inconueniens nobis obiectum.

70 Si vero dicatur collationem auxilij inefficacis, adhuc prout ortam ex intentione inefficaci pœnitentiæ, non connecti intrinſecè cum pœnitentia, non ſaluatur intentum Patrum in præallegatis verbis. Nam PP. aſſerunt eo Deum permittere peccata, quia ex permiſſione peccati vberiores fructus virtutum colligit, eoſque colligere intendit. Mens ergo PP. eſt eo Deum permittere peccatum, quia intendit bonum capiendum ex peccato: non qualibet intentione, ſed intentione, quæ obtinet bonum, quo peccati malũ ſuperetur. Intentio autẽ, indifferens ad obtinendũ, & non obtinendum bonum pœnitentiæ, quo ſuperandum eſt malum peccati, indifferens quoque eſt, vt Deus malum peccati vertat in bonum: Atqui iuxta PP. eatenus duntaxat Deus permittit malum, quatenus intendit maius bonũ modo, quo illud obtineat. Ergo nõ præciſe quia intẽdit modo indifferẽti, vt obtineat, vel nõ obtineat

71 Cõfirmatur. Illa intentio pœnitentiæ de peccato furti, vel dirigitur ex Scientia Media pœnitentiæ ſub conditione furti, vel nõ. Si hoc vltimũ. Ergo Deus intendens pœnitẽtiã, & ex hac intẽtione permittens peccatũ, vt ita permittens, nõ certo, ſed cõtingẽter vertit malũ in bonũ. Ergo Deus in hoc caſu permitteret certõ peccatũ ſolũ ex intẽtione maioris boni, quæ, vt habita à Deo, & vt apponẽs media, nõ certo, ſed indifferenter ſe haberet ad obtinẽdũ bonũ pœnitentiæ, quod peccati malo medeatur. Hoc autẽ eſt cõtra mẽtẽ Patrũ: tũ quia ſemper dicũt Deũ eo permittere peccatũ, quia videt bonũ ſequuturũ: conſequenterque tenent Deũ ad permittendũ peccatũ ex intentione pœnitentiæ dirigi ex cognitione pœnitẽtiæ futuræ. Tũ etiã quia eo tendunt PP. vt oſtendant Deũ

malum peccati permiſſi compenſare magnitudine boni, & quã certitudine ſequuturi.

72 Si vero dicatur intentionem inefficacem pœnitentiæ dirigi ex Scientia illius, eaque regulari, ſalua ea intentio, vt influens in permiſsionem peccati, habebit connecti cum pœnitentia, & cum peccato, quod intendunt euitare aduerſarij. Hæc vltima cõſequentia probatur. Tũ quia valde probabile eſt intentionẽ connecti cum Scientia, à qua regulatur: tum quia eatenus determinat ad apponẽdum hoc auxilium, quatenus videt peccatum futurum diſſentiendo huic auxilio delendum eſſe per pœnitentiam, à cuius præuiſsione regulata fuit intentio pœnitentiæ. Ergo intẽtio, quamtumvis inefficax, pœnitentiæ, ſi ſemel dirigitur ex Scientia illius, vt influens in permiſsionem peccati; habebit connecti cum pœnitentia, & cum peccato.

73 Probatur ſecundo noſtra concluſio diluendo potiſſimam aduerſariorum rationem deſumptam ex intentione, & procuratione ſeria, & ſincera noſtri boni conſenſus, ex qua Deus nobis confert auxilia ad benè operandum. Quam rationẽ variè proponunt, & promouent oppoſitæ ſententiæ authores.

SECT. V.

Proponitur, & conuellitur fundamentum aduerſariorum.

74 OBijciunt ergo primo. Deus voluntate antecedẽti, & quatenus eſt ex ſe vult omnium ſalutem, & diſplicet in peccato; & quatenus eſt ex ſe vult ne exiſtat. Sed; ſi Deus ante præuiſſum peccatum intenderet efficaciter pœnitentiam, ea prima voluntas antecedens non ſaluaretur. Ergo Deus non prædefinit efficaciter pœnitentiam ante abſolutè præuiſſum peccatum. Maior eſt certa, & conſequentia bona. Minor probatur, primò: quia quando aliquis amat efficaciter aliquid, non poteſt odio habere id, quod eſt neceſſarium ad illud, quod amat, vt amat illud. Sed peccatum, vt peccatum eſt, requiritur neceſſario ad pœnitentiam. Ergo Deus non poteſt odio habere peccatum.

75 Secundo: quia de conceptu intentionis efficacis finis eſt neceſſario mouere perſonam ad amandũ medium vnicum, quã ratione ab ipſo poteſt fieri: &, ſi non valet ab eo fieri, mouere ad gaudiũ de poſitione medij vnici. Ergo ex vi intentionis efficacis pœnitẽtiæ tenebitur Deus ſaltẽ gaudere de exiſtẽtia peccati neceſſario prærequiſiti.

76 Ter-

76 Tertio quia, ſi exiſteret carentia peccati, illa eſſet contra Dei voluntatem intendentem efficaciter pœnitentiam de peccato; ſiquidem voluntas Dei fruſtraretur. Ergo modo, dum exiſtit, non eſt contra voluntatem Dei, neque in eo peccato diſplicet.

77 Confirmatur primo. Deus ex hac diſplicentia in peccatum, habet voluntatem, quo illud prohibet, & ſerio perſuadet ne fiat. Sed hæc voluntas nequit componi cum voluntate efficaci pœnitentiæ ante præuiſſum peccatum. Ergo non datur talis volũtas, aut prædefinitio efficax pœnitentiæ ante abſolutè præuiſſum peccatum. Probatur minor. Sicut cum voluntate efficaci exiſtentiæ alicuius obiecti non eſt compoſsibilis voluntas perſuadens ſerio ne ponatur illud obiectum: ita neque eſt compoſsibilis voluntas ſerio perſuadens ne ponatur aliquid neceſſario requiſitum ad exiſtentiam illius obiecti. Sed ad exiſtentiam pœnitentiæ requiritur peccatum. Ergo non ſtat cum voluntate efficaci pœnitentiæ voluntas Dei perſuadens ne fiat peccatum.

78 Confirmatur ſecundo. Deus tribuit auxilia, etiam quæ ſunt re ipſa inefficacia, perſuadens homini ne peccet, ſincereque intendens hominis ſalutem, & bonum opus. At hoc non ſtat cum intentione efficaci pœnitentiæ ante præuiſſum peccatum. Ergo non datur prædicta intentio pœnitentiæ. Probatur minor. Si Deus dat auxilium ex intentione efficaci pœnitentiæ, illud dat præuidens inane fore ad bonum opus. At non poteſt Deus ſincerè intendere conſequutionem finis per medium, quod videt eſſe inutile ad talem finem, ſi detur. Ergo non ſtat cum intentione efficaci pœnitentiæ Deum conferre auxilium ex intentione ſeria, & ſincera ſalutaris conſenſus.

79 Vt huic, & alijs infra proponendis argumentis, fiat ſatis, animaduertendum eſt quod ſupra docuimus quæſt. 4. ſect. 2. nimirum intentionem, & procurationem ſeriam conſenſus ſolum addere ſupra intentionem inefficacem poſitionem medij ſufficientis ad talem finem ex vi eiuſmodi intentionis. Cum igitur poſitio medij ſufficientis ex intentione inefficaci ſolum opponatur cum neceſsitate tollente eiuſmodi ſufficientiam: hinc deducitur poſſe componi cum intentione efficaci alicuius incompoſsibilis cum conſenſu, dummodo intentio efficax eius extremi incompoſsibilis non cauſet neceſsitatem ſimpliciter antecedentem illius extremi cum conſenſu incompoſsibilis. Præterea, vt ibidem latè tradidimus, rectè poteſt adhiberi medium cum ſcientia de eius fruſtra-

tione: quia procuratio ſeria, cū nō ſit, vel affectiuè procuratio efficax, ſolum cogit ad ponenda media ſufficientia: & ad non impediendum poſitiuè antecedenter finem intentum. Cum igitur totum hoc ſtare poſsit, licet, dum adhibetur medium, cognoſcatur infallibiliter fruſtrandum: inde oritur poſſe ex intentione ſeria conſenſus conferri auxilium cum notitia certa, & infallibili diſſenſus futuri ſub tali auxilio.

80 Hinc ad argumētum propoſitum num. 74. conceſſa maiori, nego minorem. Ad huius probationem primam: diſtinguo maiorem. Quando aliquis amat efficaciter aliquid, non poteſt odio habere quod eſt ad illud aliquid neceſſarium: odio efficaci concedo: odio inefficaci: nego maiorem. Deinde conceſſa minori, diſtinguo conſequens. Ergo, dum Deus prædefinit efficaciter pœnitentiam, non poteſt odio habere peccatum: alio efficaci, concedo: inefficaci nego conſequentiam.

81 Ad ſecundam probationem: nego maiorem quoad ſecundam partem: videlicet, dum amatur efficaciter finis, de ratione talis intentionis eſſe mouere ad amorem medij aliunde poſiti, quā ab intendendi. Nam intentio efficax finis, ſicuti non obligat ad amandum medium aliunde ponendum, ſed dumtaxat obligat ad illud permittendum, ita, dum ponetur, non obligat ad complacendum in illo, ſed ſolum ad non diſplicendum efficaciter in illo.

82 Ad tertiam probationem: diſtinguo antecedens. Si exiſteret carentia peccati, eſſet contra Dei voluntatem formaliter affectiue, nego: contra Dei voluntatem illatiuè concedo antecedens: & diſtinguo conſequens. Ergo modo, dum exiſtit peccatum, non eſt contra voluntatem Dei: efficacem concedo: contra inefficacem: nego conſequentiam.

83 Itaque: ſi prædefiniente Deo efficaciter pœnitentiam, per impoſsibile eſſet defectus peccati, prædictus defectus nō eſſet formaliter affectiuè contra voluntatem Dei, quia nulla eſt voluntas Dei, quæ velit formaliter peccatum. Eſſet tamen illatiuè contra voluntatem Dei, quia inferret non eſſe in Deo intentionem efficacem pœnitentiæ.

84 Ad 1. Confirmationem: conceſsa maiori: nego minorem. Ad huius probationem: nego paritatem inter amorem extremi, & amorem requiſitum ad extremum. Etenim, licet non poſsint coniungi amor efficax extremi A, & ſeria perſuaſio non poſsitionis extremi A, rectè tamen coniungi valent amor efficax extremi

A, &

A, & ſeria perſuaſio, ſinceraque procuratio defectus alicuius eſſentialiter requiſiti ad extremum A. Ratio diſparitatis eſt: quia ſeria procuratio alicuius dicit ex ſuo conceptu affectum, licet non ſimpliciter efficacem; talis tamen energiæ, & vis, vt ratione illius teneatur qui ſerio procurat nullatenus impedire ex ſe id, quod procurat. At affectus, & voluntas efficax cogit ad ponendum extremum efficaciter intentum, ſi ſubſit poteſtati intendentis: ideo qui haberet ſimul amorem efficacem extremi, & ſeriam intentionem eius defectus, ſimul ex vi ſuorum affectuum teneretur ponere, & impedire prædictum extremum: quod quidem implicationem inuoluit. Cæterum qui intendit efficaciter pœnitentiam, ad quam requiritur peccatum, optimè poteſt procurare carentiam peccati: quia hæc procuratio ſolum obligat ad non impediendam eam carentiam, ſiuè ad non cauſandum peccatum. Cum igitur, vt Deus intendat, & cauſet pœnitentiam, non requiratur quod vlla ratione cauſet peccatum, hinc infertur diuerſam eſſe rationem in vno, ac in altero caſu.

85 Ad 2. Confirmationem reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem. Ad huius probationem: conceſſa etiam maiori, nego minorem propter rationem, quam dedimus quæſt. 4. vbi hoc argumentum late, & ex profeſsò examinauimus.

86 Ob. 2. Deus quantum eſt ex ſe vult carentiam peccati. Ergo quantum eſt ex ſe vult carentiam pœnitentiæ. Probatur hæc conſequentia. Qui vult quatenus eſt ex ſe neceſſitatem omnino antecedentem alicuius extremi, cenſetur velle extremum. Sed carentia peccati eſt neceſſitas antecedens carentiæ pœnitentiæ. Ergo ſi Deus vult ex ſe, & quantum eſt ex ſe, carentiam peccati, vult quoque, (ſaltem virtualiter, ex ſe, & quantum eſt ex ſe, carentiam pœnitentiæ. At hoc nequit componi cum prædefinitione efficaci pœnitentiæ ante abſolutam præuiſionem peccati. Ergo hæc prædefinitio non cohæret cum voluntate ſeria Dei carentiæ peccati. Hæc vltima minor probatur. Deum ante abſolutam præuiſionem peccati prædefinire efficaciter pœnitentiam eſt velle ex ſe, & quantum eſt ex ſe, pœnitentiam. Sed nequit Deus ex ſe velle pœnitentiam, dum vult ex ſe carentiam pœnitentiæ. Ergo dum Deus, quatenus intendens carentiam peccati, vult carentiam pœnitentiæ, nequit prædefinire efficaciter pœnitentiam.

87 Confirmatur 1. Nemo poteſt velle aliquid quantum in ſe eſt cujus impoſſibilitatem quatenus de ſe eſt vult. At Deus

vult quantum ex ſe impoſsibilitatem pœnitentiæ, dū ex ſe vult non eſſe peccatum. Ergo implicat quod quantum eſt de ſe velit abſolutè pœnitentiam. Maior probatur. Plus eſt velle aliquid eſſe impoſsibile, quam velle quod non ſit. Sed non poteſt aliquis velle quantum eſt de ſe quod aliquid ſit, & ſimul velle quod non ſit. Ergo nec ſimul velle quod ſit impoſsibile.

88 Confirmatur ſecundò. Non ſtat velle aliquem quantum eſt de ſe efficaciter vitare aliquod obiectum, & ſimul velle neceſsitatem ad illud obiectum antecedentem illud. Sed intentio pœnitentiæ eſt neceſsitas exiſtentiæ peccati, & impoſsibilitas eius carentiæ. Ergo nequit Deus velle quātum eſt ex ſe ne ſit peccatum, ſi ante huiuſmodi peccati exiſtentiam vult efficaciter pœnitentiā. Siquidem amor efficax pœnitentiæ eſt etiam amor ipſius amoris efficacis: qui amor efficax eſt neceſsitas antecedens pœnitentiæ. Maior probatur primo: quia idem eſt velle quod neceſſe ſit eſſe peccatum, ac velle eſſe peccatum: ideo enim non poſſumus licitè amare nos conſtitui in neceſsitate peccandi: quia amare neceſsitatem peccandi eſt amare peccatum.

89 Reſpondeo concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens. Ergo Deus vult quatenus eſt ex ſe formaliter carentiam pœnitentiæ nego: virtualiter, & æquiualenter ſub diſtinguo: in ordine ad omnia munera, quæ gereret amor carentiæ pœnitentiæ: nego: in ordine ad determinandam exiſtentiam mediorum ſufficientium ad eiuſmodi carentiam, concedo conſequentiam. In hoc igitur ſenſu verum eſt Deum volentem ex ſe formaliter pœnitentiam, velle ſimiliter ex ſe æquiualenter carentiam pœnitentiæ: non æquiualenter quoad omnia, ſed præciſsè quoad munus determinandi media ſufficientia ad carentiam pœnitentiæ. Etenim rectè componuntur voluntas efficax pœnitentiæ, & ſimul alia voluntas determinans media ſufficientia ad pœnitentiæ defectum.

90 Ad 1. confirmationem: reſpondeo diſtinguendo antecedens. Nemo poteſt velle aliquid quantum in ſe eſt, cuius impoſſibilitatem ex ſe vult efficaciter, concedo: inefficaciter nego maiorem. Cum ergo Deus non efficaciter, ſed inefficaciter velit carentiam peccati, quæ carentia eſt impoſsibilitas pœnitētiæ: hinc fit poſſe ſimul amare efficaciter pœnitentiam. Deinde ad probationem maioris: nego maiorem. Nam amare inefficaciter neceſſitatem alicuius extremi abſolutè loquendo non eſt adeo amare extremum, ac amare ipſum in ſe ipſo.

91 Ad 2. confirmationem diſtinguo maiorem. Non ſtat ali-

aliquem velle quantum eſt de ſe vitare aliquod obiectum, & ſimul velle neceſsitatem illius obiecti antecedentem illud obiectum: ſi ſit neceſsitas ſimpliciter antecedens, & ametur efficaciter, concedo: aliter nego maiorem. Et diſtinguo minorem. Sed intentio efficax pœnitentiæ eſt neceſsitas antecedens ſimpliciter nego: ſecundum quid, concedo minorem: & nego conſequentiam. Ad probationem maioris reſpondeo: velle quod neceſſarium ſit peccatum neceſsitate ſolum ſecundum quid antecedente non eſſe velle peccatum: imò neque velle neceſsitatem omnino antecedentem voluntate penitus inefficaci eſt velle, vel inefficaciter extremum neceſſarium. Nec obſtat nos non poſſe velle in nobis neceſsitatem peccati antecedentem ſecundum quid. Nam hoc non prouenit ex eo quod amor neceſsitatis eſſet amor extremi neceſſarij, ſed quia nos obligamur ad impediendum in nobis omnimodo peccatum. Cæterum reſpectu aliorum optimè poſſumus amare neceſsitatem peccandi ſecundum quid antecedentem: nam poſſumus amare Deum velle alicui permittere peccatum, vt de ſua fragilitate humilior euadat.

92 Ob.3. Ex eo quod Deus quãtum eſt ex ſe nolit mortem peccatoris, rectè deducitur quod non poſsit efficaciter præfinire æternam damnationem ante præuiſum peccatum. Ergo neque poterit ante præuiſum peccatum intendere efficaciter pœnitentiam. Probatur conſequentia primo: quia non minus pœnitentia, quam damnatio connectitur cum peccato. Secundo quia ideo damnatio non eſt bona abſolutè, ſed tantum eſt bonum quoddam occaſionatum quod ex ſe non poteſt amari, ſed ſolum data occaſione: quia eius exequutio pendet à peccato. Sed idem accidit in pœnitentia. Ergo non poteſt amari ante peccatum.

93 Reſpondeo iuxta plures poſſe Deum prædefinire efficaciter æternam damnationem ante abſolutè præuiſſum peccatum: ideoque antecedentis ſuppoſitum non eſſe omnino certum. Verum quia ego minimè iudico decere infinitam Dei pietatem aliquem ante præuiſum peccatum abſolutè in æternum damnare: reſpõdeo quod, ſi ſub nomine *mortis peccatoris* intelligatur ipſum læthale peccatum, falſum eſt antecedens. Ratio enim quare Deus nequeat aliquem ante abſolutè præuiſſum peccatum reprobare poſitiuè, ſiuè ei æternam damnationem in pœnam prædefinire, non ſumitur ex odio, quod Deus concipit aduerſus peccatum, cum quo damnatio æterna peccatoris connectitur, ſed quia eſt contra Dei benignitatem, & piiſsima miſericordiæ ſuæ viſcera, tam ingens,

gens,

gens, & in æternum duraturum malum, non præuiſis de meritis prædefinire. Quam obrem nulla eſt paritas ab vna ad alteram prædefinitionem.

94 Ob. 4. Velle Deum ſerio ſuam voluntatem efficacẽ, quam defacto habet, non exiſtere, implicat contradictionem. Sed velle Deum ne exiſtat peccatum, eſt velle ſerio ne ſuum decretum prædefinitiuum pœnitentiæ exiſtat. Ergo implicat, dũ Deus prædefinit efficaciter pœnitentiam, velle ne exiſtat peccatum. Maior videtur certa. Minor probatur.

95 Primò. Velle Deum quod deficiat aliquod requiſitum eſſentialiter ad aliud, eſt velle ne exiſtat illud aliud. Sed ſine peccato nequit exiſtere pœnitentia, & conſequenter neque prædefinitio efficax pœnitentiæ. Ergo velle ſerio Deum ne exiſtat peccatum, eſt velle ſerio ne ſuum decretum prædefinitiuum pœnitentiæ exiſtat.

96 Secundo probatur eadem minor. Si Deus dum prædefinit efficaciter pœnitentiam, & habet voluntatem aliam, qua vult ne exiſtat peccatum, per hanc ſecundam voluntatem non retractaret primam, vellet quod prima fruſtraretur: ſiquidem vellet aliquid incomponibile cum obiecto primæ, quam non retractat. Sed Deus nequit ſerio velle fruſtrationem ſuæ prædefinitionis efficacis. Ergo nequit velle defectum peccati, niſi retractando prædefinitionem pœnitentiæ.

97 Reſpondeo Deum minimè velle ne exiſtat ſua voluntas, licet velit ne exiſtat peccatum, cum quo voluntas prædefiniẽs pœnitentiam connectitur. Etenim, ſicuti Deus poteſt velle auxilium, quod præuidet inefficax ad vitandum peccatum per decretum connexum cum Scientia Media inefficaciæ, & conſequenter cum ipſo peccato, & hoc decretum eſt amor efficax ſui ipſius, quin ſit voluntas adhuc interpretatiua peccati. Sic ſimiliter, quamvis defectus peccati connectatur intrinſecè, & eſſentialiter cum carentia prædefinitionis pœnitentiæ inde non infertur Deũ, vel formaliter, vel interpretatiuè velle defectum prædefinitionis pœnitentiæ ex eo quod velit defectum peccati. Ratio vtriuſque eſt: quia, vt amor vnius dicatur eſſe interpretatiuè amor alterius, cum quo primum connectitur, requiritur quod amor primi aliquomodo determinet ad primum, & præterea quod id, quod formaliter amatur cauſet neceſſario hic, & nunc, aliud extremum, quod dicitur amari interpretatiuè.

98 Hac ratione ebrietatis effectus præuiſi neceſſario

futuri

Digitized by Google

futuri abſque noua libertate, dicuntur interpretatiuè amari, dum amatur formaliter ebrietas,& quia ebrietas amatur efficaciter,& quia ex ebrietate neceſſario, ſaltem moraliter, oriuntur illi effectus. Si vero ebrietas ſolum inefficaciter amaretur, tunc qui illam amaret, minimè diceretur amare, adhuc interpretatiuè, illos effectus. Cum igitur voluntas Dei de carentia peccati non ſit voluntas efficax, neque affectiuè, neque effectiuè in caſu prædefinitionis ad pœnitentiam, neque in caſu decreti collatiui auxilij inefficacis ſub expreſsione inefficacis: hinc deducitur in illis caſibus neque formaliter, neque interpretatiuè Deum amare carentiam prædefinitionis ad pœnitentiam: niſi dicatur amorē carentiæ peccati eſſe æquiualenter amorem carentiæ pœnitentiæ, non in ordine ad alia munera, ſed duntaxat quoad munus determinandi Deum ad ponenda media ſufficientia, vt homo poſsit impedire exiſtentiam prædefinitionis impediendo peccatum, & conſequenter Scientiam Mediam præſuppoſitā ad eiuſmodi prædefinitionē.

99 Ad ſecundam probationem reſpondeo negando antecedens. Nam velle aliquam voluntatem fruſtrari non eſt quod, dum habetur voluntas alicuius obiecti, ametur obiectum oppoſitum: ſed vlterius requiritur, quod ametur ſimultas voluntatis primæ, & carentiæ eius obiecti: quod eſt amare vtrumque coniunctim obiectiuè; non verò ſufficit amare vtrumque coniunctim ſubiectiuè: quia Deus, dum amat ſuam prædefinitionem, eam amat vt exituram diuiſim à carentia peccati: &, dum amat carentiam peccati, eam amat, & deſiderat, vt exituram diuiſim à prædefinitione pœnitentiæ. Hoc in ſequentibus magis declarabitur.

100 Obic. ergo 5. Deus conferens auxilium ex intentione pœnitentiæ, haberet voluntatem ſimul intendentem pœnitentiā, & defectum peccati requiſiti ad pœnitētiā. Sed implicat Deum per eamdem indiuiſibilem voluntatem ſerio intendere extrema incomponibilia; imò implicat quod per duas voluntates ſimul extrema oppoſita ſerio procuret. Ergo Deus ex intentione pœnitentiæ non poteſt in præſenti prouidentia conferre auxilium. Minor videtur euidens. Quis enim ſanæ mentis ſimul conatur, & procurat extrema incomponibilia inter ſe. Maior autem probatur. Quodlibet auxilium ſupernaturale confertur à Deo ex voluntate ſeria, & ſincera, operis ſalutaris, ad quod conducit eiuſmodi auxilium. Ergo Deus conferens hoc auxilium ex intentione pœnitentiæ incomponibilis cum eo opere ſalutari;

ſimul

ſimul illud confert ex intentione operis ſalutaris, & ex intentione pœnitentiæ incomponibilis cum eo opere ſalutari. Ergo voluntas conferens auxilium ſimul intendit opus ſalutare, & pœnitentiam cum eo opere ſalutari incomponibilem.

101 Reſpondeo; poſſe eamdem voluntatem per eumdẽ actum ſimul appetere extrema incomponibilia ſimultate ſe tenẽte ex parte affectus; non verò ex parte obiecti: dummodo nõ quodlibet ex his obiectis ametur efficaciter. Quod enim voluntas, quæ appetit conſenſum ſalutarem inefficaciter, ita exiſtat, vt in ipſo ſigno, in quo exiſtit hæc voluntas, ſit etiam cognitio de eo, quod non exiſtet ſalutaris conſenſus, in cauſa eſt, vt Deus poſſit per eamdem voluntatem appetere efficaciter pœnitentiam incomponibilem cum conſenſu ſalutari, quem etiam intendit. Quemadmodum enim hæc intentio ſeria ad nihil aliud cogit, niſi ad ponendam ſufficientiam ad conſenſum ſalutarem: ita cum nullo alio opponitur, niſi cum defectu huius ſufficientiæ, & cum exiſtentia alicuius connexi cum hoc defectu.

102 Præterea abſolutè non implicare coniungi voluntates intendentes fines oppoſitos: dummodo non vterque finis efficaciter intendatur, conſtat in eo, qui proijcit merces in mari; qui ſimul ſimultate ſe tenente ex parte affectuum vehementer deſiderat conſervationem mercium, & tamen efficaciter vult eas in mare proijcere. In quo caſu coniunguntur affectus ad res incompoſsibiles. Quod autem homo conſtitutus in hoc periculo id faciat, non ſolum ex periculi cognitione, verumetiam ex nimio timore, nihil obſtat. Si enim prædicti affectus ex ſe incomponibiles forent, minimè timor eos componere valeret: neque omnino prudẽtem relinqueret eorum coniunctionem affectuum. Non enim metus, prout eſt actus voluntatis diſtinctus à cognitione periculi, ſed merita obiectorum tribuunt affectibus quod prudẽter, vel imprudenter concipiantur.

103 Neque ſufficiens diſparitas redditur ex eo, quod in illo caſu homo, tametſi deſideret conſervationem mercium; nõ tamen eam ſerio procurat, ſecus in noſtro caſu Deus, qui procurat conſenſum ſalutarem, & ſimul pœnitentiam cum conſenſu incomponibilem. Hæc inquam diſparitas inſufficiens eſt. Nam procuratio ſeria ſupra intentionem inefficacem non addit, niſi quod apponantur media ex intentione ex ſe inferente ſufficientiam ad id, quod ſerio procurat. Quod autem intentio inefficax ſit huiuſmodi, ſolum arguit non poſſe oppoſitum amari efficaciter amore tollen-

len-

lente poteſtatem ad oppoſitum, ſecus alio amore efficaci, qualis eſt intentio efficax pœnitentiæ.

104 Replicabis aduerſus hanc doctrinam. Eligere idem medium ad res oppoſitas videtur ex terminis implicatorium. Hoc autem faceret Deus in prædicto caſu. Nam auxilium apponeret in ordine ad ſalutarem conſenſum: ſiquidem illud confert Deus ex ſincera intentione boni operis. Deinde illud conferret ex intentione pœnitentiæ oppoſitæ, & repugnanti operi bono, vtpote connexæ cum carentia illius boni operis, in qua conſiſtit peccatum, de quo eſt pœnitentia. Ergo idem medium apponeret Deus ad res oppoſitas.

105 Reſpondeo negando abſolutè loquendo apponi non poſſe idem medium ad oppoſitos fines, ſi non vterque efficaciter intendatur. Cùm enim medium ad vtrumque finem conducens ſit (tam enim conſenſus, quam pœnitentia de diſſenſu ſupponunt auxilium ad conſenſum) & deinde intentio vnius, nempe conſenſus ſalutaris non obliget niſi ad non impediendum illum ex propria determinatione, ſed potius ad ponendam ſufficientiam ad conſenſum: quod omne componi poteſt cum Scientia illius non exiſtētiæ futuræ: non eſt cur non poſſit intendi efficaciter pœnitentia oppoſita eſſentialiter cùm conſenſu ſalutari procurato inefficaciter, licet ſincere, & ſeriò.

106 Declaratur. Poſſet Deus in communi ſententia deſiderare conſenſum per auxilium A, & ex hac intentione illud conferre: poſteaque cognoſcens pro poſteriori naturæ, hoc auxilium fruſtrandum eſſe, poſſet Deus pro alio ſigno concipere hanc voluntatem: *Decerno quod exiſtat pœnitentia; ſiquidem video per hoc auxilium non obtinendum eſſe conſenſum, ſed potius cum illo coniungendum eſſe peccatum.* Ex hoc caſu ad noſtrum de ſumo argumentum. Ex eo poteſt Deus hanc concipere voluntatem pro poſteriori naturæ, quia præuidet cum auxilio A non coniungendum eſſe conſenſum. Ergo ſi id videat propriori ad collationem auxilij ex intentione ſeria conſenſus, poterit ante collationem auxilij intendere efficaciter pœnitentiam: ex hacque intentione deriuari collatio auxilij, tametſi collatio auxilij ex prædicatis intrinſecis reſpiciat, vt finem ſerio, licet inefficaciter, procuratum, conſenſum ſalutarem: quando quidem auxilium ad vtrumque conducens ſit. Quod autem pro priori ad collationem auxilij videatur eius inefficacia, ſatis ſuperque oſtenſum eſt in præcedentibus quæſt. Cùm autem Scientia Media de diſſenſu ſub auxilio A ſit ſcientia abſoluta

ta de non exiſtentia conſenſus ſub auxilio: hinc fit ſufficientem notitiam habere Deum ad decernendam pœnitentiam ante præuiſionem abſolutam diſſenſus per inde, ac poſt abſolutam eius præuiſionem. Tota igitur difficultas eſt qua ratione poſsit Deus ſerio procurare conſenſum per auxilium, quod inefficax prauidet in ſigno libertatis ad illud cōferendū. Semel autem ſuperata hac difficultate, non eſt cur non poſsit Deus ſimul per hoc auxilium pœnitentiam efficaciter intendere.

107 Denique obijcies authoritatem Auguſtini lib. 3. confeſsionum cap. 2. vbi hæc habet. *Hæc certè verior miſericordia; ſed non in ea delectatur cor meum. & ſi approbatur officio charitatis qui dolet miſerum; mallet tamen non eſſe quod doleret qui germanitus miſericors eſt. Si enim eſt maleuola beneuolentia, quod fieri nō poteſt, poteſt, & ille, qui veraciter, ſinceriterque miſeretur, cupere eſſe miſerū, vt miſereatur.* Ex quibus verbis hoc conficitur argumentum. Iuxta Auguſtinum: qui veraciter miſericors eſt, *mallet* non eſſe quod doleret, quā miſereri. Sed ſi Deus efficaciter prædefinit pœnitentiam ante abſolutè præuiſum peccatum, intendens tantum inefficaciter, licet ſerio, non eſſe peccatum, mauult miſereri, quam non eſſe peccatum; ſiquidem vult efficaciter miſereri, & ſolum inefficaciter vult non eſſe peccatum. Ergo, ſi Deus prædefiniat efficaciter pœnitentiam ante abſolutè præuiſum peccatum, non germanitus miſericors erit, iuxta Auguſtinum.

108 Reſpondeo Auguſtinum in prædictis verbis (quid quid ſit in alijs) non docere eum, qui verè miſericors eſt, malle non eſſe miſeriam, quam abſolutè eſſe miſericordiam, prout miſericordia non inuoluit miſeriam: ſed ſolum docere verè miſericordem malle non eſſe de quo doleat, quam eſſe de quo miſereatur. Etenim Auguſtinus in eo capite reprehendit ſe, & eos qui ſpectaculis theatricis ad ſunt, miraturque miſerabilem inſaniam hominum, qui dū ſpectant luctuoſa, & tragica, dolent, & tamen dolere volunt: quem dolorem falſam miſericordiam vocat. *Non enim ad ſubueniendum prouocatur auditor ſed tantum ad dolendum inuitatur: & authori earum imaginum amplius fauet, eum amplius dolet*, & inferius. *At ego tunc miſer dolere amabam, & quærebam vt eſſet quod dolerem.* Ex his verbis cognoſcitur hūc fuiſſe diſcurſum Auguſtini. In theatris, dum tragica, & luctuoſa ſpectarem, dolebam; verum hic dolor non erat vera miſericordia: quoniam hic dolor me delectabat, & eam delectationem volebam, & ob eam quærebam vt eſſet quod dolerem: tum etiam quia non vt ſubuenirem, ſed tantum aderam,

vt dolerem. *Nunc verò* (ait Sanctus Doctor) *magis miſereor gaudentem in flagitio, quam velut dura perpeſſum detrimento pernicioſæ voluptatis & amiſſione miſeræ felicitatis.* Hæc certè *verior miſericordia, &c.* Quaſi dicat. Qui vere eſt miſericors non quærit, & amat alterius miſeriam vt doleat, & vt ex dolore voluptatem capiat, vt mihi theatri ſpectatori contingebat; mallet enim qui germanitus miſericors eſt non eſſe, quam eſſe quod doleat. Vt mihi nunc iam accidit dolenti gaudentem in flagitio: hæc certè verior miſericordia: ſed *non in ea delectatur cor.* Vel vt alij legunt, *non delectat dolor.*

109. Sed inſtabis ex eodem Auguſtino in pſalm. 125. ad illa verba. *Euntes ibant & flebant,* vbi ait. *Melius eſt fratres mei vt nullus ſit miſer, quam vt tu facias miſericordiam: qui enim, vt faciat miſericordiam, optat eſſe miſeros, crudelem habet miſericordiam: quomodo ſi Medicus, vt exerceat artem ſuam, optaret eſſe multos ægrotos, crudelis medicina eſſet: melius eſt vt omnes ſani ſint, quam vt exerceatur ars Medici.* Ex his verbis videtur apertè colligi iuxta Auguſtinum non ſolum melius eſſe non eſſe miſeriam, quam eſſe miſeriam, de qua ſit miſericordia: verum etiam melius eſſe non eſſe miſeriam, quam eſſe miſericordiam: id enim ſonant illa verba. *Melius eſt fratres mei vt nullus ſit miſer, quam vt tu facias miſericordiam.* & illa: *melius eſt vt omnes ſani ſint, quam vt exerceatur ars Medici.*

110 Reſpondeo D. Aug. in prædictis verbis non conferre inter ſe carentiam peccati, ſeu *non eſſe peccatum* cum miſericordia, prout miſericordia diſtinguitur adæquatè à peccato. Nam carentia peccati non ſemper eſt tam bona, ac eſt miſericordia: imò carentia peccati, quæ fundetur in obſeruatione alicuius præcepti, pura in auditione ſacri, non neceſſario eſt tam bona, ac eſt pœnitentia de peccato non audiendi ſacrum: etenim actus feruentiſſimus contritionis, quo quis doleret de eo peccato, plus bonitatis haberet, quam haberet ipſa auditio ſacri. Non ergo poſſunt intelligi verba Auguſtini de comparatione inter ea extrema ſecundum ſe accepta. Debet ergo fieri comparatio inter non eſſe peccatum ex vna parte, & miſericordiam, ſeu pœnitentiam ex alia, non vt cumque; ſed vt inuoluentem peccatum, ſeu miſeriam, de qua eſt miſericordia. In qua acceptione melior eſt carentia peccati, quam miſericordia: quia miſericordia, vt involuens peccatum, non eſt quid amabile, aut eligibile.

111 Quod hac ratione fiat ab Auguſtino comparatio, conſtat ex illis verbis *qui enim, vt faciat miſericordiam, optat eſſe miſeros, crudelem habet miſericordiam*. Ergo ſolum docet Auguſtinus magis amabile eſſe (quod eſt idem, ac eſſe melius) non eſſe peccatum, quam miſericordiam, prout amare miſericordiam eſt amare, & eligere peccatum, ſeu prout miſericordia involuit ipſam miſeriam.

112 Inſtabis ſecundò ex eodem Aug. ex lib. de Natura, & Gratia, vbi docet miſericordiam Dei non eſſe talem, vt ad illam neceſſarium fuerit peccatum: & ſubdit. *Vtinam non fuiſſet miſeria, ne iſta eſſet miſericordia neceſſaria*. Ergo non poteſt Deus prædefinire pœnitentiam, ſiue pœnitentiæ miſericordiam, & ex hac intentione permittere peccatum: quia iam erit neceſſarium peccatum ad iſtam miſericordiam: neque Deus, & homines, iuxta Dei volũtatem dicere poterunt *Vtinam non eſſet miſeria, ne iſta eſſet miſericordia neceſſaria*; cum antequam ſit miſeria, iam decernatur miſericordia, quæ peccatum neceſſario requirit.

113 Reſpondeo (omiſsis alijs ſolutionibus, quæ tametſi veritatem contineant, ad noſtram difficultatem neceſſariæ non ſunt) optimè poſſe, tum homines, tum Deum optare, etiam dum prædefinitur efficaciter pœnitẽtia ante abſolutè præuiſum peccatum, *vtinam non eſſet miſeria, ne miſericordia eſſet neceſſaria*. Quẽ admodum enim cum prædefinitione pœnitentiæ componitur in Deo voluntas ſeria, qua optat non eſſe peccatum, de quo eſt pœnitentia: ita etiam poteſt componi prædictus actus. *Vtinam non eſſet peccatum, ne, &c.* Præterea: dum Auguſtinus reddit rationem, quare optandum ſit non eſſe miſeriam, videlicet, ne *iſta eſſet miſericordia neceſſaria*, intelligendus eſt de neceſsitate, de qua loquebatur, nimirum de neceſsitate fundata in ipſo peccato, ſeu miſeria.

114 Ob. 2. Iuxta Damaſcenum lib. 2. de fide cap. 29. fine: voluntas correctiua, & eruditiua, eſt conſequens. Sed voluntas pœnitentiæ eſt voluntas correctiua. Ergo, & conſequens. At voluntas conſequens ſupponit noſtram liberam operationem. Ergo voluntas pœnitentiæ non eſt ante, ſed poſt abſolutam præuiſionem peccati.

115 Reſpondeo 1. Damaſcenum, dum ait voluntatem correctiuam eſſe conſequentem, poſſe intelligi non de voluntate præciſè intentiua, ſed executiua. Reſpondeo 2. quod prædefinitio pœnitentiæ, licet non dirigatur ex Scientia abſoluta peccati,

ſed

ſed ex conditionata: cum tamen Scientia conditionata in caſu prædefinitionis pœnitentiæ, qui eſt caſu purificationis conditionis, determinetur à peccato, vt abſolutè poſito: ideo prædefinitio conſequitur peccatum, vt abſolutè exiſtens: quapropter ea prædefinitio erit voluntas conſequens.

116 Reſpondeo 3. Cum P. Quiros prædefinitionem pœnitentiæ poſſe vocari voluntatem conſequentem: quia ſub nomine voluntatis conſequentis non intelligitur voluntas, quæ ſupponit noſtram operationem: ſiquidem electio efficax ad gloriam poſt præuiſa merita vocatur voluntas antecedens, vt ex profeſſo probat P. Ruiz de Montoya diſp. 19. de voluntate, & tamen hæc electio ſupponit abſolutè merita. Sed vocatur voluntas conſequens ea, quæ non ita vult obiectum, vt de ſe inclinetur in omnia prærequiſita ad illud obiectum: ita vt illud obiectum non ſit obtinendum adæquatè iuxta inclinationem diuinam. Hoc modo ſe habet voluntas pœnitentiæ: quæ non obtinet ſuum obiectum adæquatè omnino iuxta propriam inclinationem: ſiquidem peccatum, quod interuenit vt neceſſario prærequiſitum, non eſt iuxta diuinam inclinationem.

117 Ob. 3. Si Deus prædefiniret pœnitentiam ante abſolutè præuiſum peccatum, poſset permittere Deus peccatum ex fine pœnitentiæ finalis, & beatitudinis conſequendæ. At hoc non poteſt. Ergo neque illud. Probatur minor. Si Deus permitteret peccatum ex fine beatitudinis, permiſsio peccati eſſet effectus Prædeſtinationis. Hoc implicat. Ergo. Probatur minor. Effectus prædeſtinationis eſt gratia, vt conſtat ex Auguſtino aſſerente prædeſtinationem eſſe præparationem gratiæ, & beneficiorum Dei. Sed permiſsio peccati non eſt gratia; ſed potius negatio gratiæ efficacis. Ergo permiſsio peccati non eſt effectus prædeſtinationis.

118 Reſpondeo negando minorem primi, & ſecundi ſyllogiſmi. Ad probationem, quæ intertio ſyllogiſmo continetur; diſtingno minorem: effectus prædeſtinationis eſt gratia, vel intrinſecè, vel extrinſecè: concedo: intrinſecè neceſſario, nego maiorem. Et deinde diſtinguo minorem. Permiſsio peccati non eſt gratia: intrinſecè concedo: extrinſecè nego minorem. Et nego conſequentiam. Explicatur ſolutio. Permiſsio peccati, & poteſt conſiderari prout præciſſe eſt denegatio auxilij efficacis ad euitandum peccatum, & prout à Deo ordinatur hæc carentia auxilij efficacis ad pœnitentiam infallibiliter ſequuturam. Licet ergo carentia auxi-

lij ſecundum ſe accepta gratia non ſit, attamen vt de facto eſt occaſio pœnitentiæ perducentis hominem in vitam æternam, & vt ordinata à Deo ad beatitudinem, gratia eſt, & non exiguum beneficium. Vbi aduerto quod ſi permiſsio peccati non accipiatur pro ipſo defectu auxilij efficacis, ſed pro voluntate illud negante, tunc hæc permiſsio non ſolum extrinſecè, verum etiam intrinſecè realiter gratia erit, & beneficium non quidem ob præciſſam negationem auxilij efficacis, ſed ob affectum, quo ſimul intendit per pœnitentiam hominem ſaluari: hæc enim voluntas, licet non ſit gratia intrinſeca intrinſecè afficiens hominem, eſt tamen intrinſecè & ex ſe gratia extrinſeca homini, quatenus connectitur cum gratia, & cum pœnitentia infallibiliter obtinenda.

QVÆST. XIII.

Vtrum detur electio efficax ad gloriam, vt coronam ante abſolutam præuiſsionem meritorum.

HÆc eſt vltima ex diuinis prædefinitionibus, quæ in tract. de Prædeſtinatione examinari ſolet. de illa agemus, vt quæ ad diuinas prædefinitiones ſpectant, tandem abſoluamus.

SECT. I.

Status quæſtionis proponitur.

1 NOminè electionis ad gloriam vt coronam nihil aliud intelligimus, quam voluntatem efficacem habentem pro obiecto efficaciter amato, & prædefinito, *dare gloriam vt coronam meritorum*. De hac ergo voluntate inquirimus an in Deo detur, quin Deus antecedenter ad eam præuideat abſolute exiſtentiam meritorum, ſed ſolum inſtructus Scientia ſimplicis intelligentiæ de poſsibilitate meritorum, & gloriæ, vt in præmium eorum conferendæ, & ſimul habens Scientiam Mediam de eo,

quod

Digitized by Google

quod, ſi talia, vel talia auxilia conferantur, homo decedet in gratia, & donabitur gloria, decernat efficaciter dare gloriam in præmium meritorum, quæ præuidet non modo poſsibilia, verum etiam conditionatè futura ſub hypotheſi talium auxiliorum.

2 Cæterum ſuppoſitis his, quæ ſupra diximus circa prædefinitionem noſtri conſenſus, ſatis conſtat neque ex capite libertatis hanc prædefinitionem repugnare (cum ſit dependens à Scientia Media conſenſus liberi creati) neque ex eo, quod Deus imprudenter ſe gereret, quaſi decerneret efficaciter finem abſque eo, quod certus eſſet de vtilitate mediorum. Patet enim ex ſupra iterum, atque iterum repetitis, tum Deum pro ſigno indifferentiæ ad hanc electionem cognoſcere media apta, vt conſequatur exiſtentiam gloriæ vt coronæ (nimirum auxilia efficacia ad deceſſum in gratia) tum hanc electionem eſſe impedibilem à creatura impediendo Scientia m Mediam finalis conſenſus, à quâ prædicta electio dependet: quæ impedibilitas ſufficit ad libertatem ſeruandam. Quam ob rem examinandum reſtat: an ex aliquo ſpeciali capite hæc electio efficax repugnans ſit.

3 Prima ſententia negat electionem ad gloriam vt coronam ante abſolutam præuiſionem meritorum. Ita Aleſiſis 1. p. q. 28. memb. 3. art. 2. Bonau. in 1. diſt. 40. à 1. q. 2. & art. 2. qu. 1. & 2. Albertus diſt. 40. à 10. & diſt. 41. a. 3. Vazquez 1. p. diſp. 39. per totam & 3. p. diſp. 23. cap. 10. & 11. Leſsius diſput. de hac re, quam habet inter opuſcula. Franciſcus Turrianus opuſcul. de Elect. præd. Fonſeca tom. 3. metaph. cap. 2. quæſt. 3. ſect. 1. Becan. 1. p. cap. 14. Baſil. Legion. quæſt. 6. ſchol. cap. 12. Alarcon. 1. p. tract 4. diſp. 2. cap. 11. Moncæus diſp. 4. cap. 4. Luiſius Turrian. opuſc de Elect. ad gloriam Coninh. 2. 2. tract. de ſpe diſp. 20. dub. 13. Meratius 1. p. diſp. [illegible]. ſect. 1. Gaſp. Hurtad. tract. de Prædeſtinat. diſp. 2. diff. 5. Franciſcus Amicus diſp. 15. in 1. p. ſect. 4 Martinon diſp. 20. ſect. 6. Carleton diſp. 40. ſect. 4. Herice 1. p. diſp. 23. ſect. 3. Apud quem etiam Salas tomo de Gratia non typis excuſſo tract. 15. diſp. 14. ſect. 2. vbi, teſte eodem Herice, alios triginta authores congeſsit pro hac ſententia: quam etiam tenet Arrubal diſp. 72. & 73. Pro qua etiam ſententia ſolent adduci Valentia, & Molina. Sed re vera eam non ſatis apertè propugnant.

4 Secunda ſententia concedit electionem efficacem ad gloriam, vt coronam ante abſolutam meritorum præuiſionē.

Ita communiter Thomiſtæ 1.p.quæſt.23.art.4. Quibus fauet Angelicus præceptor prædicto loco. Ex noſtris defendunt hanc ſententiam Suarez lib.1.de Prædeſt.cap.8.& lib.3.de Auxilijs cap. 13. Toletus in cap.8.epiſt.ad Rom.annotat. 31. Pereera ibidem diſp.12.13.& 22. Salmeron diſp.20.& 21. Bellarm. lib.2. de Gratia & libero arbitrio cap.15. Henriquez de Fine hominis cap. 11. Iuſtinianus in cap.9.epiſt.ad Rom. Lorinus 2.Petri verſ.10. Faſolus 1.p.q.23.art.1.dub.3.num.26. Granad.1.p.controu.4. tract. 7.diſp.4.ſect.2. Ruiz tom.de Prædeſt.diſp.7.& ſequētibus Tann. 1.p.diſp.13.q.5.dub.3. Arriag.diſp.35.& 36. Franciſcus de Lugo diſp.39.cap.4. Ribas diſp.3. Ribadeneira de Prædeſt.diſp.13. Quiros in 1.p.tom.2.diſp.12. Izquierdo tom.2.de Deo vno tract. 12.diſp.41.quæſt.1. Et alij multi ex antiquioribus apud præcitatos authores, præſertim apud Enriquez Ruiz & Tannerum.

5 Tertia ſententia docet quoſdam eximiè prædeſtinatos, vt Beatam Virginem, Baptiſtam, & Apoſtolos, electos fuiſſe ante abſolutam præuiſionem meritorum, ſecus alios iuſtos. Ita Catherinus opuſc.de Prædeſt.lib.1.cap.vltim.& lib.3.cap.1.& 2. Hanc etiam ſententiam videntur tradere Ocham. in 1. diſt. 41. quæſt.1. Gabriel ibidem quæſt.1.art.2. Echius in Criſopaſſo centuria 2.num.94.

6 Quartam ſentententiam tenet noſter Alcazar in Apocalypſim ad illa verba capitis 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Vbi ait ante præuiſſa merita deſignatum fuiſſe à Deo certum numerum prædeſtinatorum non deſignatis perſonis, poſteaque ita Deum ad gratiam, & gloriam vocare, vt quotieſcumque aliquis vocatus ad gloriam, & iuſtificatus exciderit, alius loco illius ſubſtituatur. Conſentit P. Ruiz tom.de Prædeſtinat. diſp. 53.ſect.4.num.4.

SECT. II.

Poſsibilis eſt electio efficax ad gloriam vt coronam ante abſolutam præuiſsionem meritorum.

7 EXplicatur, & ſimul probatur hæc concluſio. *Conferre gloriam, vt coronam meritorum*, dicit in ſuo concepta voluntatem efficacem exequutiuam gloriæ ex præ-

uiſsione abſoluta meritorum, ſiuè ex meritis vt abſolutê præuiſ-
ſis, tanquam ex ratione motiua. & inducente Deum ad conferen-
dam gloriam. Vnde voluntas intendens efficaciter gloriam vt co-
ronam, ſiuè voluntas, qua Deus prædecernit *conferre gloriam vt co
ronam* nō eſt voluntas, qua Deus remuneratur merita: ſed qua intē
dit, & decernit voluntatem remunerantem. Ex quo fit intentionē
gloriæ vt coronæ meritorum tria implicitê velle: nimirum gloriā
v. g. Ioannis Baptiſtæ: & eius merita: & etiam decretum exequuti
uum huius gloriæ ex vi meriti vt abſolutê præuiſsi.

8 Hinc fit, Hoc decretum intentiuum eſſe decretum glo
riæ: non quidem gloriæ conferendæ in præmium meriti ante abſo
lutam præuiſsionem meriti; ſed gloriæ vt conferendæ per decre-
tum ſupponens præuiſsionem abſolutam meriti; tametſi ipſum de-
cretum intentiuum habens pro obiecto decretum exequutiuum
concipiatur ante abſolutam præuiſsionem meritorum. Modo quo
qui vult emere, vult quoque ſoluere: & licet hanc voluntatem emē
di, & ſoluendi, habeat ante quam fiat contractus, cum ſit voluntas
de contractu, nihilominus non eſt voluntas ſoluendi, aut tradendi
peccuniam, ante contractum, ſed eſt intentio præſtandi ſolutio-
nem poſt contractionem debiti. Pariter res ſe habent in noſtro ca
ſu. Igitur Deus antecedenter ad præuiſsionem abſolutam merito-
rum, & poſt præuiſsionem conditionatam eorum ſub auxilio A,
poteſt concipere voluntatem efficacem de exiſtentia meritorum
Petri, & de voluntate alia ipſius Dei, qua Deus ex præuiſsione ab
ſoluta eorum meritorum, conferat gloriam Petro in meritorum
coronam.

9 Probatur. In primis finis efficaciter intentus, nempè
gloria conferenda vt corona, eſt bonus, & dignus qui ametur, &
intendatur. Deinde à Deo cognoſcuntur plura media (videlicet
auxilia efficacia ad finalem conſenſum) ante huius finis intentio-
nem, vt ſecurè ad eius conſequutionem procedat. Præterea hæc
electio non pugnat cum libertate, vt conſtat ex ſupra dictis. De-
nique quod hæc voluntas ſit gloriæ vt coronæ non exigit quod
dirigatur ex ſcientia abſoluta meritorum: quem admodum volun
tas emendi, & ſoluendi pretium, non ſupponit cognitionem abſo-
lutam contractus, ſed inducit contractum ipſum. Ergo ex nullo
capite repugnat electio prædicta.

10 Hæc vltima pars antecedentis probatur. Voluntas,
quæ eſt liberalis, & ſolum ex parte obiecti vult aliam voluntatem
ex iuſtitia, non requirit abſolutam præuiſsionem meritorum: ſo-

Y 3 lum

lum enim abſoluta meritorum præuiſio requiritur ad voluntatem aliqua ratione, ſaltem lata, debitam ex iuſtitia. Sed voluntas efficax conferendi gloriam in præmium meritorum non eſt voluntas vlla ratione debita ex iuſtitia, ſed eſt voluntas liberalis habens pro obiecto voluntatem debitam ex iuſtitia. Ergo abſoluta præuiſsio meritorum non requiritur ad voluntatem conferendi gloriam vt coronam, ſed ad voluntatem de facto conferentem gloriam vt coronam meritorum. Ex qua doctrina infertur hanc electionem gratis velle quod conferatur gloria in præmium: non vero quod gloria conferatur in præmium gratis. Etenim gratis, & liberaliter concipitur à Deo hæc voluntas, quæ vult aliam voluntatem conferentem gloriam non gratis, ſed in præmium meritorum. Hæc clariora fient ſolutione argumentorum, quam iam ſubijcio.

11 Ob. 1. Voluntas præmiandi, & ſatisfaciendi iuri meritorum non poteſt eſſe purè liberalis, ſed debet eſſe debita meritorum iuri. Ergo hæc voluntas conferendi gloriam in præmium non poteſt eſſe liberalis, ſed debetur iuri meritorum. Antecedens probatur. Voluntas efficax præmiandi, eſt cui incumbit præmiare. Sed voluntas præmians, ſeu cui incumbit præmiare, debet eſſe debita, vt pote voluntas iuſti iudicij. Ergo voluntas efficax præmiandi non eſt liberalis, ſed debita.

12 Reſpondeo ex dictis diuerſam eſſe voluntatem præmiandi à voluntate de facto præmiante. Voluntas præmians non eſt liberalis, ſed debita meritis, ex quorum præuiſione abſoluta mouetur ad dandam gloriam. At verè voluntas præmiandi eſt voluntas tendens, vt in finem in voluntatem præmiantem: & hæc voluntas eſt omnino liberalis ſubiectiue, & formaliter; licet obiectiuè ſit debita. Hoc eſt habet pro obiecto voluntatem præmiantem, quam ſupponimus debitam eſſe.

13 Hinc ad argumentum in forma: nego primum antecedens. Ad huius probationem, nego maiorem: quia voluntas efficax præmiandi non eſt cui incumbit formaliter præmiare, ſed voluntati præmianti, quæ eſt obiectum voluntatis efficacis præmiandi, & per quam Deus, vt iuſtus iudex, confert gloriam in præmium meritorum.

14 Ob. 2. Poſita intentione efficaci gloriæ, vt coronæ meritorum, iam gloria non eſt materia apta ad præmianda merita. Ergo implicat intentio efficax gloriæ, vt coronæ meritorum. Antecedens probatur. Poſita tali intentione, iam gloria eſt

debi-

debita ratione illius intentionis efficacis. Sed eo ipſo iam non eſt materia apta præmio. Ergo in prædicto caſu non eſt materia apta præmio. Minor probatur. Præmium debet eſſe bonum alias non debitum, & ratione cuius homo fiat ditior, quam intelligebatur ante abſolutam præuiſionem meritorum. Sed, ſi ante abſolutam præuiſionem meritorum iam intelligitur decretum dandi gloriam, non intelligitur homo ditior poſt abſolutam præuiſionem meritorum, ſiquidem gloria iam intelligitur debita. Ergo eo ipſo, quod gloria præintelligatur debita, non eſt materia apta præmio.

15 Confirmatur 1. Quia vt quis dicatur mereri ſubſtantiam gloriæ, debet mereri primum decretum illius. Sed in hoc caſu non mereretur homo primum decretum gloriæ, nempe intentionem efficacem, ergo non mereretur ſubſtantiam gloriæ.

16 Confirmatur 2. Quia præmium debet eſſe tale, quod poſsit negari, adhuc poſito merito. Sed ex vi intentionis efficacis non poteſt negari gloria poſito merito. Ergo gloria ex vi intentionis efficacis illius amittit rationem præmij.

17 Reſpondeo cum communi doctrina duplex poſſe conſiderari decretum de exiſtentia gloriæ diſtinctum à decreto exequutiuo aliud decernens gloriam, & non decernens illam cum reſpectu ad merita, ſeu non decernens illam, vt futuram dependenter à meritis: aliud illam decernens vt conferendam dependenter à meritis, & propter merita. Admitto ergo primum decretum gloriæ non componi cum eo, quod gloria poſtea conferatur in præmium meritorum: quia independẽter à meritis præſupponitur gloria vt debita ſine reſpectu ad merita. At vero ſecundum decretum ſcilicet, quod decernit gloriam vt conferendam dependenter à meritis, & propter merita, minimè opponitur cum eo, quod poſtea cõferatur gloria, etiam quoad ſubſtantiam, in præmium meritorum; quia vt gloria, etiam quoad ſubſtãtiam, ſit præmium, ſufficit quod nullum ſit decretum conferendi gloriam collatione independenti à meritis: decretum vero, quod ſit de ea conferenda dependenter à meritis, obſtare non poteſt: quia hæc voluntas non opponitur cũ eo, quod vult cumque velit conferre gloriam in præmium, non opponitur cum eo quod ita conferatur.

18 Vnde vniuerſalis illa videlicet. *Non eſt materia apta præmio quod antecedenter ad merita debetur*, eſt falſa;

 vel

vel, vt clarius procedatur, diſtinguenda eſt: non eſt materia apta præmio quod antecedenter ad merita debetur, quin debeatur con ferri in præmium: omitto: quod antecedenter ad merita debetur: vt conferendum dependenter à merito, & propter meritum, nego. Pari ratione ad confirmationem neganda eſt illa propoſitio vniuerſalis. *Vt quis dicatur mereri ſubſtantiam gloriæ, debet mereri primum decretum illius*: quia, vt aliquis dicatur mereri aliquid quoad ſubſtantiam, v. g. gloriam, ſufficit quod mereatur decretum aliquod non ſupponens decretum aliud conferendi gloriam abſque reſpectu ad merita, vt iam dictum eſt.

19 Ad 2. confirmationem pari ratione reſpondetur diſtinguendo illam propoſitionem. *Præmium debet eſſe tale, quod poſſit negari, adhuc poſito merito*: conſiderato merito ſecundum ſe, & ſecundum ea, quæ intrinſecè dicit, concedo: conſiderato merito ſecundum intrinſeca, & extrinſeca, quæ hic, & nunc habet, nego maiorem. Cumque exiſtentia decreti efficacis conferendi præmium ſit extrinſeca merito ſecundum ſe: ideo, quamvis meritum vt coniunctum cum hoc decreto non poſſit non coniungi cum gloria; nihilominus gloria poteſt eſſe præmium illius meriti.

20 Conſultô dixi num. 17. me omittere, & non abſolutè concedere, eſſe contra rationem præmij bonum conferendum, v. g. gloriam, antecedenter ad merita decerni decreto non reſpicien te gloriam vt conferendam dependenter à meritis. Etenim iudico nullam voluntatem intentiuam gloriæ, quæ poſitiuè non decernat dare gloriam abſque reſpectu ad merita, excludere aliam voluntatem exequutiuam gloriæ vt coronæ meritorum. Nam contra rationem præmij ſolum eſt quod antecedenter ad merita iam debeatur bonum debito ex natura ſua inducente collationem prædicti doni, quæ collatio non ſit remuneratio. Cum igitur voluntas intentiua gloriæ, quamtumvis habeat non reſpicere collationem dependentem à meritis; non tamen habeat poſitiuè excludere voluntatem exequutiuam reſpicientem merita vt motiuum; ſed ab ea voluntate exequutiua præſcindat: hinc ſit voluntatem intentiuam gloriæ præſcindentem ab hac, & illa exequutione, permittere voluntatem exequutiuam gloriæ in præmium meritorum. Verum de hoc magis ex profeſsô agemus tract. de merito.

21 Ob. 3. Actus internus voluntatis imperans collationem gloriæ in præmium meritorum debet pertinere ad virtutem iuſtitiæ, ſiuè latæ, ſiuè ſtrictæ. Ergo non eſt actus liberalis, ſeu liberalitatis, ſed iuſtitiæ. Antecedens probatur. Collatio gloriæ in

præ-

præmium meritorum pertinet ad iuſtitiam: ſiquidem eſt ſolutio debiti. Sed actus imperans hanc collationem debet pertinere ad virtutem, ad quam pertinet ea gloriæ collatio. Ergo actus imperans collationem gloriæ pertinet ad iuſtitiam, & non ad liberalitatem. Sed actus iuſtitiæ, & non liberalitatis, ſupponit abſolutè debitum. Ergo quilibet actus imperans collationem gloriæ ſupponit exiſtentiam abſolutam meritorum.

22 Pro ſolutione animadvertendum eſt 1. opus imperatum purè externum non habere aliam bonitatem formalem, niſi quæ illi prouenit denominatiuè ab actu imperante. Vnde: ſi elargitio eleemoſynæ materialis fiat propter vitandum periculum alienæ incontinentiæ, erit actus pertinens ad virtutem caſtitatis. Si vero fiat ob ſuccurendum indigentiæ pauperis, erit actus miſericordiæ. Verum, ſi actus imperatus ſit actus internus, habebit bonitatem propriam, & intrinſecam deſumptam ex proprio obiecto, & etiam bonitatem extrinſecam deriuatam ab actu imperante. V. g. quando aliquis vt obtineat virtutem temperantiæ, quàm a Deo poſtulat, imperat ad mouendum Deum aliquem actum charitatis, in hoc caſu actus imperatus pertinet intrinſecè, & ex proprio obiecto, ad charitatem: extrinſecè verò, & deriuatiuè, ad temperantiam.

23 Animaduertendum eſt 2. Quod quando dicimus actū imperantem, & imperatum, pertinere ad eandem virtutem, non ideo eſt, quia actus imperans debeat pertinere, adhuc denominatiuè, ad virtutem, ad quam pertinet intrinſecè, & ex proprio obiecto actus imperatus; ſed quia actus imperatus pertinet denominatiuè ad virtutem, ad quam ſpectat actus imperans. V. g. Petrus ex motiuo charitatis imperat actum inferioris virtutis, nempe iuſtitiæ: in hoc caſu actus imperatus, & imperans, dicuntur ad eandem virtutem pertinere: non quia actus charitatis imperans pertineat ad iuſtitiam, adhuc denominatiuè, cum neque proximè, neque remotè, moueatur ab eius obiecto; ſed quia actus iuſtitiæ imperatus pertinet denominatiuè ad charitatem, à qua imperatur.

24 Hinc ad argumentum nego actum imperantem collationem gloriæ in præmium meritorum debere neceſſario pertinere ad iuſtitiam. Ad probationem: omiſſa maiori, diſtinguo minorem. Actus imperans collationem gloriæ debet pertinere intrinſecè ad eandem virtutem, ad quam pertinet collatio gloriæ extrinſecè, & deriuatiuè ab imperio concedo: debet pertinere, ſiue intrinſecè, ſiuè extrinſecè ad virtutem; ad quam pertinet collatio

gloriæ intrinſecè, & ex ſe, nego minorem: quia, vt ſupra diximus, actum imperatus non refundit propriam bonitatem in actū imperantem, ſecus actus imperans in imperatum.

25 Sed inſtabis. Intentio gloriæ vt coronæ eſt voluntas ſatiſfaciendi iuri, & debito meritorum. Sed voluntas ſatiſfaciendi iuri alicuius, non poteſt eſſe liberalis. Ergo intentio gloriæ vt coronæ propter bonum conferendi gloriam vt coronam, pertinet ad virtutem iuſtitiæ, ergo non eſt voluntas liberalis. Probatur cōſequentia. Nequit idem actus eſſe liberalis, & ex iuſtitia. Si ergo illa intentio eſt ex iuſtitia, non poterit eſſe liberalis. At omnis intentio ante abſolutam præuiſionem meritorum eſt liberalis, vtpote non ortum ducens ex iure meritorum. Ergo intentio efficax gloriæ vt coronæ nequit eſſe propter finem ſatiſfaciendi iuri meritorum.

26 Reſpondeo triplici modo, prout ad præſens attinet, poſſe aliquam actionem pertinere ad aliquam virtutem. Primo pertinentia obligationis, quatenus ea virtus obligat ad eam actionem. V. g. ſuccurrere extremè indigenti dicitur pertinere ad charitatem, quia virtus charitatis poſitiuè obligat ad ſubueniendum indigentiæ extremæ.

27 Secundo modo dicitur aliqua actio pertinere ad aliquam virtutem, non quia virtus illa obliget ad eam actionem; ſed quia de facto ea actio exercetur propter motiuum formale illius virtutis. V. g. quando aliquis elicit actum amoris Dei, aut proximè (ad quem actū de facto non tenebatur) propter charitatis motiuum.

28 Tertio modo dicitur actio aliqua pertinere ad aliquam virtutem ex ſe, quatenus illa actio cōtinet prędicata obiecti formalis illius virtutis. Ita ſuccurrere indigentiæ pauperis dicitur pertinere ex ſe ad virtutem miſericordiæ: hoc eſt quod ſubleuare miſeriā pauperis talis naturæ eſt, vt, ſi fiat propter ipſam pauperis ſubleuationem, ſeu propter honeſtatem, quæ eſt in præciſſa ſubleuatione pauperis, ſit actus miſericordiæ, & nō actus iuſtitiæ.

29 Cæterum, licet tam collatio gloriæ vt coronę ſuppo nens merita, quam intentio gloriæ vt coronæ merita antecedens, pertineant ad virtutem iuſtitię; diuerſo tamē modo. Nam executio, ſiuè collatio gloriæ, pertinet ad iuſtitiam pertinentia obligationis, ſiuè ſtrictæ, ſiuè latæ; nam ſuppoſitis meritis ineſt gubernatori obligatio ea remunerandi. At vero intentio gloriæ antecedens merita non pertinet ad iuſtitiam pertinentia obligationis; ſed,

ſed, vel quia de facto mouetur ea intentio ex honeſtate remunerandi, vel quia remunerari merita, quod eſt obiectum intentum, continet prædicata obiecti formalis virtutis iuſtitiæ, Quod vero hoc ſecundo modo intentio gloriæ vt coronæ pertineat ad iuſtitiam, non tollit quod ea intentio ſit liberalis, quatenus ex vi illius obligatur Deus ad conferendum gratis auxilium ad merita, quorum gloria debet eſſe remuneratio.

30 Hinc ad inſtantiam propoſitam num. 25. conceſſa Maiore, diſtinguo Minorem. Non poteſt eſſe liberalis voluntas ſatiſfaciendi iuri meritorum ſupponens ipſa merita, concedo: voluntas antecedens ad merita, & per quam Deus obligatur ad conferẽda auxilia ad ipſa merita, nego Minorem.

31 Ad confirmationem: diſtinguo antecedens. Intentio efficax gloriæ vt coronæ propter honeſtatem remunerandi merita pertinet ad iuſtitiam: pertinentia obligationis, nego: alio genere pertinentiæ, concedo antecedens: & nego conſequentiam. Ad conſequẽtiæ probationem: diſtinguo etiam antecedens. Nequit idem actus eſſe liberalis, & ſimul ex iuſtitia obligatoriè, concedo: aliter quam obligatoriè, nego antecedens. Ex quo infertur quod, quamuis intentio ſit liberalis, poteſt eſſe ex iuſtitia: dum modo non ſit ex iuſtitia vt obligante. Deinde conceſſa minori ſub ſumpta, negatur conſequentia; quia liberalitati intentionis ſolum opponitur eſſe ex iuſtitia, vt obligante, nõ vero, eſſe ex iuſtitia, vt ex motiuo alliciente, & habente rationem finis.

SECT. III.

De facto datur electio efficax ad gloriam ante abſolutam præuiſionem meritorum.

32 PRobatur primo hæc concluſio ex ſcriptura. Nam ad Rom. 9. hæc habet Apoſtolus loquens de Iacob, & Eſau: vt typo prædeſtinatorum et reproborũ: *cum non dum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundum electionem propoſitũ Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictũ eſt ei quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt Iacob dilexi; Eſau autẽ odio habui.* Ex quibus verbis cõſtat antecedẽter ad eorũ merita Deum ele-

elegiſſe Iacob ad gloriam: nam iuxta communem Patrum explicationem, Paulus loquitur in his verbis de electione ad gloriam: cumque dicat Paulus, hanc electionem fuiſſe non ex operibus, ſed ex vocante: planè fit ſecundum Paulum Iacob antecedenter ad ſua opera fuiſſe ad gloriam efficaciter electum.

33 Quod autem in his verbis non ſolum loquatur Apoſtolus de electione ante ipſa opera in tempore exequuta, ſed ante ipſa vt exiſtentia in abſoluta præuiſione diuina, aſſerit claré D. Auguſtinus lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 6. vbi hæc habet *propter quod profectò deſipitis qui, dicente veritate non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt: vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum eſſe præſciebat, Iacob fuiſſe dilectum: atque ita contradicitis Apoſtolo dicenti non ex operibus; quaſi non poſſet dicere non ex præſentibus ſed ex futuris operibus.* Ergo iuxta Auguſtinum ita Deus elegit ad gloriam Iacob, vt non eum elegerit ex eo quod præſciuerit opera, quæ facturus erat. Ergo eum elegit ante abſolutam præuiſionem ſuorum operum, & meritorum. Plurima alia adducuntur ſcripturæ teſtimonia ad hanc electionē probandam, quæ videri poſſunt apud P. Ruiz de Montoya de Prædeſt. diſp. 8. & 9. à quibus teſtimonijs cōſultò abſtineo, quia quodlibet eorum tot apud ſcholaſticos, & ſcripturæ interpretes, ex poſitiones habet, vt ſi ex profeſsò examinanda forent, iuſtum volumen complerem.

34 Probatur ſecundo noſtra concluſio ex concilio Valentino ſub Benedicto tertio cap. 3. vbi hæc habentur: *fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem: in prælectione tamen ſaluandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum.* Ergo ex mente concilij ita Deus præelegit Sanctos ad vitam æternam, vt eorum electio ſit antecedens ad meritum: non antecedentia temporis duntaxat: quia hac ratione etiam electio damnatorum ad mortem antecedit peccata. Ergo cum concilium intendat ſtatuere diuerſitatem inter voluntatem damnandi, & voluntatem ſaluandi, & aſſerat voluntatem ſaluandi antecedere ad merita, ſecus voluntatem damnandi: non loquitur de antecedentia meritorum in tempore; ſed in præuiſione.

35 Probatur 3. Ex D. Aug. lib. de Corrept. & Grat. cap. 14. vbi hæc habet: *cum homines in viam iuſtitiæ veniunt, ſeu reuertuntur, quis operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi Deus, cui volenti ſaluum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium? &c.*

Ergo

Digitized by Google

Ergo iuxta Auguſtinum voluntas Dei, cui nullum reſiſtit arbitriũ hoc eſt, voluntas efficax faciendi hominem ſaluum, ſeu ſaluandi hominem, cauſa eſt, vt Deus operetur in corde hominis merita, quibus in viam iuſtitiæ venit, ſeu reuertitur. Ergo iuxta Auguſtinum datur in Deo voluntas efficax ſaluandi, quæ antecedit ad merita. Ergo electio efficax ad gloriam.

36 Confirmatur quod hæc fuerit Auguſtini mens: quia id ſupponit S. Proſper Diui Auguſtini diſcipulus in ſua epiſtola ad ipſum Auguſtinum, quæ habetur tomo 7. ipſius Auguſtini ante libros de Prædeſtinatione Sanctorum. Imo: ſuppoſita hac Auguſtini doctrina, dicit Maſilienſes illam impugnaſſe, quaſi hæc electio antecedens omnino gratuita ocaſionem præberet lapſis amittendi curam reſurgendi, & iuſtis nouos in virtute progreſſus faciendi. Ergo hæc electio efficax ad gloriam antecedens merita, eſt iuxta mentem Auguſtini.

37 Probatur .4. à ratione. Deus ante præuiſionem abſolutam meritorum habet in primis voluntatem conditionatam ſaluandi homines, ſi decedet in gratia. Deinde habet voluntatẽ cõferendi auxilium, quod præuidet efficax ad finalem conſenſum, & quia ita præuidet efficax: quod eſt idem ac amare ipſum finalem conſenſum, in quo conſenſu conſiſtit efficacia auxilij finalis: quo fit Deum ante abſolutam præuiſionem meritorum, & amare efficaciter gloriam ſub conditione conſenſus finalis, & etiam amare efficaciter ipſum finalem conſenſum. At hoc eſt amare efficaciter gloriam abſolutè. Ergo Deus ante abſolutam præuiſionem meritorũ amat efficaciter gloriam homini conferendam. Minor ſub ſumpta probatur. Velle obiectum ſub aliqua conditione, quæ conditio abſolutè amatur, eſt velle quod exiſtat abſolutè illud obiectum. Ergo amare gloriam ſub conditione conſenſus finalis, qui etiam abſolutè, & efficaciter, amatur, erit amare abſolutè, & efficaciter gloriam.

38 Confirmatur. Deus conferens auxilium efficax finale, ſpecialiter intendit benefacere prædeſtinato præ reprobo. Ergo intendit illam ſpecialitatem boni, quam habet auxilium efficax finale præ inefficaci finali. Sed auxilium efficax finale non ſolũ eſt ſpecialiter bonum, quia coniungitur cum conſenſu; ſed etiam quia coniungetur cum vita æterna. Ergo Deus hanc etiam bonitatem amat in auxilio. Hæc ratio, licet non euidentia Metaphyſica; morali tamen certitudine mihi rem oſtendit. Quod iterum confirmatur. Deus non habet ſolum duas voluntates, quas ſupra diximus,

Digitized by Google

mus, nimirum voluntatem conditionatam gloriæ, & abſolutam conditionis; verum etiam reflexè vult has duas voluntates. At hoc eſt velle gloriam abſolutam, cum qua connectuntur, vt cum eorum effectu. Ergo Deus ante abſolutè præuiſa merita vult efficaciter conferre gloriam.

SECT. IV.

Soluuntur obiectiones.

39 OB. 1. Math. 25. *Venite benedicti Patris mei: poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Et rationem reddit: *eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c.* Ergo ex eo parauit Deus regnum, quia ipſi in pauperibus dederunt manducare. Ergo paratio, ſeu præparatio regni, quæ eſt electio, habet pro ratione elargitionem eleemoſynæ, per quod nomen merita intelliguntur. Reſpondeo ly *eſuriui, & dediſtis mihi manducare* eſſe rationem, quare eos vocet ad regnum; non vero quare regnum parauerit: quaſi diceret: quia eſuriui, & dediſtis mihi manducare, venite, & poſſidete regnum, quod vobis ante quam hæc opera exerceretis præparaui.

40 Ob. 2. Ex 2. Petr. 1. vbi Apoſtolus dicit *ſatagite vt per bona opera certam veſtram vocationem faciatis.* Si autem electio ante præuiſa merita eſſet efficax, non fieret certa per bona opera: quia ſicut ipſa de ſe eſſet efficax, ita, & certa. Reſpondeo ly *certam* idem eſſe ac ſortientem effectum in actu ſecundo. Cum ergo ſortiri effectum in actu ſecundo dicat bona opera ideo poteſt dici quod per bona opera vocatio, & electio, certæ redduntur.

41 Ob. 3. Ex D. Auguſtino lib. 1. ad Simplician quæſt. 3. vbi hæc habet. *Non tamen electio præcedit iuſtificationem, ſed electionem iuſtificatio: nemo enim eligitur, niſi iam diſtans ab eo, qui reijcitur. Vnde quod dictum eſt: quia elegit nos ante mundi conſtitutionem, non video quo modo ſit dictum, niſi præſcientia.* Quæ verba adeo clarè videntur reijcere omnem electionem ad gloriam ante præuiſa merita, vt Bellarminus lib. 2. de Gratia (quem ſequuntur Faſolus, Granados, & ex parte Ruiz de Montoya) putauerit ab Auguſtino iam ſeniori retractata eſſe.

42 Cæterum collectis in vnum, quæ ab aliquibus in ex-

plica-

plicationem horum verborum adducuntur, arbitror cum Suarez lib. 3. de auxilijs cap. 18. à num. 4. Auguſtinum duas voluntates electiuas in re diſtinguere in Deo: aliam intentiuam gratuitam, & antecedentem: aliam exequutiuam, debitam, & conſequentem præuiſionem meritorum. Primam cōcedit innumeris locis, præſertim lib. de Prædeſt. Sāct. cap. 18. vbi ea ipſa verba *elegit nos* ad Epheſ. ita exponit *non quia futuros tales* (nempe immaculatos) nos eſſe præſciuit; ſed vt eſſemus tales per ipſam *electionem gratiæ ſuæ*. Ergo concedit electionem, quæ non conſequitur ſanctitatem ſed eam antecedit: id enim oſtendunt ea verba *non quia futuros tales nos eſſe præſciuit ſed vt eſſemus tales per ipſam electionem*.

43 Secundam electionem, nempe exequutiuam, quæ fundatur in aliquo merito, & non eſt gratuita; ſed debita, continetur in verbis Auguſtini aduerſus nos obiectis: & de illa verum eſt nō præcedere ad iuſtificationem; ſed potius ad iuſtificationem conſequi. Itaque in hoc loco non loquitur Auguſtinus de omni electione in quacumque acceptione; ſed tantum de electione, quæ eſt conſequens aliquod meritum. Hoc quidem conſtat ex contextu verborum, & ex eorum ſcopo.

44 Finis igitur Auguſtini in his verbis eſt quod gratia euangelica, ſeu conducens in vitam æternam, minimè confertur ex meritis, ſed potius ipſa eſt principium omnis meriti ſalutaris: idque confirmat ex eo quod *non ex operibus, ſed ex vocante dictum ſit Iacob dilexi; Eſau autem odio habui*. Ex quo infert quod electio non præcedit iuſtificationem; ſed electionem iuſtificatio, redditque rationem: *nemo enim eligitur, niſi iam diſtans ab illo, qui reijcitur*. Sed hic diſcurſus eatenus poteſt eſſe efficax, quatenus electio, de qua hic loquitur, ſit electio exequutiua, & de facto præmians merita. Ergo in hoc ſenſu intelligendus eſt. Si enim loqueretur de electione, prout à gratuita, & debita præſcindit, non benè inferretur ex eo quod vocatio præcedat ad iuſtificationem, quod iuſtificatio debeat præcedere electionem: ex eo enim quod vocatio non ſit debita meritis, non infertur quod electio ſecundum quod præſcindit à gratuita, & debita debeat eſſe poſt debitum meritorum; ſed electio, ad quam ordinantur merita, nempe electio de facto præmians: quod quidem ipſe Auguſtinus explicat dum dicit electionem debere ſupponere diſtinctiam inter extremum electum, & relictum.

45 Nec mirandum eſt eamdem vocem *electionis* aliquando ſumi in vno ſenſu; aliquando in alio, cognoſcēdo tamē ex antecedendentibus

dentibus, & conſequentibus. Etenim nos etiam aliquando vtimur hoc nomine *electio* prout intentioni opponitur, & decretum exequutiuum importat: vt patet quando diſtinguimus intentionem ab electione. Aliquando etiam vtimur ipſo nomine *eletio* pro volũtate intentiua efficaci, qua Deus aliquos præalijs hominibus intẽdit ſaluare. Quod igitur ait Auguſtinus: *quod dictum eſt quod elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem non video qua ratione ſit dictum, niſi præſcientia:* non intelligendum eſt omnino abſolute (ſi quidem, vt iam diximus, ipſe Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 18. explicat hæc verba de electione intentiua antecedenti) ſed quaſi conditionatè: ac ſi dicat: loquando de electione præmiãte, exequutiua, & conſequente, non video qua ratione poſsit intelligi nos Deum eligere ab æterno, niſi præſcientia, ideſt, niſi præcedente ſcientia noſtri meriti abſolutè futuri.

46 Sed dices id opponi vniuerſalitati, qua loquitur Auguſtinus in hoc eodẽ loco: vbi ait: *quomodo enim eſt iuſta aut qualiscumque omnino electio, vbi nulla diſtantia eſt.* Reſpondeo hæc verba intelligenda eſſe iuxta ſubiectam materiam, nempe de electione exequutiua, & præmiante, ſeu quæ eſt ex iuſtitia: quæ quidem eſt approbat ſua alicuius, quia melius apparet: imo rectè dicit nullã electionem non ſupponentem diſtantiam, iuſtam eſſe: electio enim intentiua, & antecedens, non eſt poſitiuè iuſta, ſeu ex iuſtitia; ſed liberalis.

47 Ob. 4. Deus habet voluntatem generalem, qua, vt docet Paulus 1. ad Thimoth. 2. *Vult omnes homines ſaluos fieri.* Ergo antecedenter ad præuiſionem meritorum æqualiter exercet ſuam voluntatem erga omnes homines. Ergo antecedenter ad merita non habet voluntatem ſpecialem erga aliquos. Reſpondeo: diſtinguendo primum conſequens. Ergo antecedenter ad præuiſionem meritorum exercet æqualiter ſuam voluntatem inefficacem erga omnes homines, concedo: ſuam voluntatem efficacem diuerſam ab illa voluntate generali inefficaci, nego conſequentiam.

48 Ob. 5. Deus habet voluntatem conditionatam dandi gloriam hominibus, ſi decedant in gratia. Sed cum hac voluntate non cohæret voluntas antecedens abſoluta dandi gloriam. Ergo nõ datur in Deo prædicta voluntas abſoluta. Minor probatur. Voluntas abſoluta dandi gloriam vt præmium, eſt etiam voluntas deceſſus in gratia. Sed cum voluntate abſoluta deceſſus in gratia nõ cohæret voluntas de eo, quod ſi decedat in gratia &c. Ergo. Hæc minor probatur. Qui vult aliquid ſub aliqua conditione;

pro

pro tunc non eſt determinatus ad exiſtentiam illius conditionis. Ergo non poſſunt ſimul exiſtere voluntas de gloria ſub conditione deceſſus in gratia, & ſimul voluntas abſoluta ipſius deceſſus in gratia.

49 Reſpondeo has duas voluntates rectè poſſe cohærere, dummodo voluntas abſoluta non præcedat ad conditionatam: hac enim ratione voluntas conditionata redderetur inutilis. Si priùs ſit voluntas conditionata, & poſtea abſoluta, optimè poſſunt ſimul coexiſtere: in hoc enim nullum eſt inconueniens.

50 Ob. 6. Si ergo omnes, qui ſaluandi ſunt datur electio antecedens. Ergo nullus ſaluabitur, qui non ſit electus. Sed reprobi neque electi ſunt, neque habent facultatem faciendi quod antecedenter eligantur. Ergo neque faciendi quod ſaluentur.

51 Reſpondeo reprobum habere poteſtatem vt benè operando in vltimo inſtanti vitæ ſaluetur abſque præcedente electione, qua propter habet poteſtatem falſificandi illam propoſitionem *nullus ſaluabitur, qui non ſit praelectus*. Et ideo: conceſſa prima conſequentia, & minori ſub ſumpta, nego ſecundam conſequentiam: quia, vt reprobus habeat veram poteſtatem conſequendi gloriam, non eſt opus quod habeat poteſtatem illam conſequendi in ſenſu compoſito, ſed in ſenſu diuiſo illius veritatis vniuerſalis. *Nullus ſaluabitur, niſi qui antecedenter electus fuerit*.

52 Ob. 7. Si antecedenter ad præuiſionem abſolutam meritorum, daretur electio ſaluandorum, daretur etiam antecedenter reprobatio poſitiua eorum, qui damnandi ſunt. Sed hæc reprobatio poſitiua infra à nobis negatur ergo etiam debemus negare electionem antecedentem. Probatur maior. Electio antecedens ſaluandorum omnium vult electos ſaluari, & nullum alium præter eos ſaluari. Sed hoc eſt omnes non electos poſitiuè excludi à gloria. Ergo non electi remanent poſitiuè reiecti à gloria. Probatur maior. Illa electio habet eſſe voluntatem ſaluationis omnium, qui ſaluandi ſunt. Ergo vult quod illi electi ſint omnes ſaluandi. Sed hoc eſt velle, nullum alium ſaluari. Ergo illa electio vult nullum alium ſaluari. Hæc vltima minor probatur. Electos eſſe omnes qui ſaluandi ſunt, eſt quod nullus alius ſaluetur præter electos. Ergo velle electos eſſe omnes qui ſaluandi ſunt, eſt velle quod nullus alius ſaluetur præter electos.

53 Reſpondeo Deum eligere efficaciter ad gloriam per de-

Digitized by Google

decretum, quo v. g. eligit mille: quod decretum (ſi velis) ſit etiam voluntas non eligendi alios ad gloriam antecedenter ad merita. Cæterum hoc decretum non eſt poſitiua excluſio reliquorum à gloria: quia cum poſsint obtinere gloriam abſque eo, quod ſint antecedenter præelecti: quamuis illis deſit præ electio, non deficit illis aliquid requiſitum ad gloriam. Præterea hoc decretum non habet intrinſecè eligere ad gloriam omnes, qui ſaluandi ſunt, ſed purè extrinſecè: ex eo nimirum quod ipſum eligat mille ad gloriam, & ex alio capite ad hoc decretum extrinſecè ſe habente, verum ſit quod nullus alius diſtinctus ab eis mille auxilio finali conſentiet.

54 Hinc ad argumentum in forma: nego maiorem primi ſyllogiſmi. Ad probationem illius: nego ſimiliter maiorem: quia voluntas poſitiuè eligens mille ad gloriam, & poſitiuè nolens nullum alium antecedenter eligere, non obinde poſitiuè vult quod reliqui omnes non conſequantur gloriam ex vi electionis conſequentis abſolutam præuiſionem meritorum. Ad huius maioris probationem: diſtinguo antecedens. Illa electio habet eſſe voluntatem ſaluationis omnium, qui ſaluandi ſunt; ita vt intrinſecè, & ex ſe id habeat, nego: ita, vt licet intrinſecè habeat quod mille ſaluandi ſint, extrinſecum ſit illi quod hi mille ſint omnes ſaluandi, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ex quo fit quod, ſi in ſenſu compoſito huius electionis aliquis alius conſentiret auxilio finali, & ſaluaretur, falſum eſſet quod illa præelectio mille hominum eſſet electio omnium ſaluandorum.

55 Alia ſunt argumenta aduerſus hanc doctrinam, quæ iam ſoluimus quæſt. 5. quæ pariter impugnant voluntatem conferendi auxilium vt efficax: quare, ne dicta repetam, illis ſuperſedeo.

QVÆST. XIV.

De cauſis, & effectibus, Prædeſtinationis.

PLura hic tractantur à pluribus authoribus, quæ nequeunt perfectè intelligi, niſi ſuppoſita aliorum tractatuum doctrina, nimirum,

mirum, qua ratione Chriſtus Dominus meruerit omnium prædeſtinationem, & quo pacto cum ordine decretorum, quibus Chriſtus fuit prædefinitus vt Redemptor, hoc noſtræ prædeſtinationis meritum cohæreat. Quæ quidem, niſi plura ex tractatu de Incarnatione ſupponantur, vix; & ne vix quidem percipientur. Pari ratione quærunt authores: vtrum homo iuſtus poſsit ſibi, vel alteri Prædeſtinationem mereri. Cuius quæſtionis deciſio totam de ratione meriti doctrinam expoſcit. Ideo his quæſtionibus ad proprios tractatus de merito, & de Incarnatione remiſsis, ad alias accedam noſtri inſtituti propriores, & à doctrina aliorum tractatuum minus dependentes.

SECT. I.

Nonnullis præmiſsis doctrina Catholica ſtatuitur.

1 CVm Prædeſtinatio noſtra in actibus diuinis, tum intellectus, tum voluntatis conſiſtat, & actus diuini propriè loquendo cauſam non habeant: ideo, dum cauſas Prædeſtinationis quærimus, minimè propriam cauſam inueſtigamus. Solum ergo inquirimus de cauſa morali, ſeu meritoria: hoc eſt: an ad Prædeſtinationem præcedat meritum condignum, ſiuè meritũ congruum, ſiuè conditio, ſiuè diſpoſitio, ſiuè quidquam aliud, cui poſsit tribui vnum præ altero prædeſtinari.

2 Cæterum hoc meritum, ſiuè conditio, ſiuè motiuum, in triplici ſuppoſito, ſiuè ex triplici parte poteſt in dubium verti: nempe ex parte ipſius prædeſtinati, ex parte alterius puri hominis: & denique ex parte Chriſti D. Quæ difficultas iterum poteſt eſſe, & circa id, quod de facto accidit, & circa id, quod accidere potuit.

3 Verum, vt ſupra præmonuimus, an Chriſtus promeruerit omnium prædeſtinatorum prædeſtinationem, & an purus homo mereatur, vel poſsit alteri ſuam prædeſtinationem de condigno, vel de congruo promereri, hic propter rationem traditam omittimus. Solum ergo inquirimus circa ipſum prædeſtinatum an detur aliqua cauſa, ſiuè aliquod meritum antevertens eius prædeſtinationem, ſiuè ſit meritum condignum, ſiuè congruum, ſiuè aliqua diſpoſitio.

4 Hæc quæſtio duas continet præcipuas difficultates. Prima: an qui prædeſtinatur, ex viribus naturæ mereatur

ſuam prædeſtinationem, vel aliquod ſaltem eius initium: vel, an ex viribus naturæ, ſaltim poſsit ſe ad gratiam diſponere. Secunda: an ex viribus gratiæ mereatur, vel mereri poſsit ſuam prædeſtinationem, vel eius initium? Circa primam difficultatem varij ſunt hæreticorum errores, quos relatos videre eſt apud Herice in 1.p.tract.3.d.25.c.1.

5 Potiſsimus fuit circa hanc materiam error Pelagij docentis poſſe nos viribus liberi arbitrij nudi vitam æternam promereri, quin aliqua gratia interna intrinſecè adiuuans detur; ſed ſolum externa obiectorum propoſitio: non ita, vt cognitio ſubiectiuè tribuat facultatem; ſed obiectiuè, quatenus legem, vel aliud quid piam repræſentans. Quem errorem aliquantulum poſtea temperauit, aſſerens gratiam duntaxat eſſe neceſſariam ad facilius conſequendam vitam æternam; non tamen ad ſimpliciter conſequendam.

6 Porro hunc fuiſſe Pelagij errorem; non verò, quod admiſſa gratia interna ad *poſſe*, negauerit gratiam intrinſecè efficacem ad velle, vt falſiſsimè putauit Nauarrete, conſtat ex Concilio Senonenſi celebrato anno 1528. in præfatione ad decreta fidei his verbis *errauit conſimiliter Pelagius, dum aliud extremum ſequutus, ad beatam vitam comparandam, minimè neceſſariam putat diuinam gratiam; ſed ad id ſufficere cenſet liberum arbitrium, ſi modo adſit diuinæ legis cognitio.* Ecce ſolum agnouiſſe (ait) Pelagium externam legis propoſitionem, minimè autem gratiam præuenientem intrinſecam. Idem tradit Concilium Tridentinum ſeſ.6.can.1.2.& 3. in quibus docet contra Pelagium hominem non poſſe iuſtificari per opera facta naturæ viribus, aut per legem, aut doctrinam, nec poſſe credere, aut ſperare abſque gratia Dei. Idem videre eſt apud D. Auguſtinum, qui paſim in ſuis ſcriptis hoc eodem modo refert errorem Pelagij, præſertim in libro de Gratia Chriſti, quem eo fine ſcripſit, vt Pelagianorum verſutias, & ambigua verba extricaret. In eo igitur opere ſæpe ait Auguſtinus Pelagium nullam conceſiſſe gratiam, tanquam neceſſariam, ſed ſolum ad facilius poſſe.

7 Maſilienſes Monachi magnæ ſuo ſæculo authoritatis, vt refert D. Proſper in ſua epiſtola ad Auguſtinum, in alium errorem non nihil à doctrina Pelagij diſcrepantem prolapſi ſunt. Præcipui defenſores fuere Caſianus Abbas, & Fauſtus Epiſcopus Regienſis. Hi enim non omnino Pelagio conſentientes; ſed parum ab eo diſſentientes, licet negauerint libero arbitrio vires ad

Digitized by Google

conſequendam perfectam iuſtitiam, atque ſalutem, & falſi fuerint gratiam neceſſariam eſſe ad proficiendum in bonis operibus, in quo à Pelagio diſceſerunt; poſuerunt tamen in libero arbitrio per proprias vires affectum quemdam credulitatis, & fidem imperfectam, ſeu voluntatem quandam ſanandi per humanum laborem habitam, cui ſubiungatur gratia perfectæ fidei, atque iuſtitiæ, & perſeuerantiæ in ipſa: vnde hi vocantur SemiPelagiani, quia partim cum Pelagio conuenerunt.

8 Aduerſus hos, & alios errores, doctrina catholica ſtatuit nullum motum, qui initium ſit iuſtificationis, nullum ve eiuſdem iuſtificationis exordium, & abſolutè nullum meritum, ſiuè proximum, ſiuè remotum, ſiuè de condigno, ſiuè de congruo, nullum inquam meritum, vt tale reſpiciens iuſtificationem, ſeu vitam æternam, poſſe haberi ex ſolis viribus liberi arbitrij; ſed ſemper noſtram voluntatem vt opus ad vitam æternam conducens eliciat, debere à gratia Dei, vt poteſtatem tribuenti, præueniri. Ita habetur Concilio Tridentino ſeſ.6. cap.5. confirmãte doctrinam Concilij Arauſicani per hæc verba. *Ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe. Hoc eſt ab eius vocatione, qua nullis eorum præcedentibus meritis vocantur, &c.* Deinde ibidem *neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſunt. Vnde in ſacris litteris, cum dicitur conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis noſtræ ad monemur. Cum reſpondemus conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia venire confitemur.* Quæ verba adeo clara ſunt, vt vlteriori explicatione non indigeant.

SECT. II.

Vtrum detur aliquid ex naturæ viribus præuium ad gratiam per modum diſpoſitionis? Vbi explicatur illud Theologicum axioma: Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam.

9 SCotus in 4. diſp. 14. quæſt. 2. §. *de ſecunda.* Gabriel in 2. diſt. 41. quæſt. vnica art. 3. dub. 1. Durandus in 2. diſt. 28. quæſt. 5. num. 6. & Caietanus tom. 1. Opuſcul. tract. 4. quæſt. 1. §. *Sed occurrit hic* parum inter ſe diſcordantes, admittunt

aliquam ex viribus naturæ diſpoſitionem ad gratiam. Cæterum non explicant an meritum de congruo ſit nuncupandum. Cautius loquutus eſt Sotus lib.2.de Natura,& Gratia: qui licet concedat ex viribus arbitrij poſſe hominem remotè ſe ad gratiam diſponere; negat tamen eidem diſpoſitioni rationem meriti conuenire.

10 Pro hac ſententia citatur ab aliquibus authoribus D. Thomas nonnullis in locis ex quibus ſolum referam verba illa, quæ habentur in 2.diſt.28.art.4. in corpore, vbi poſtquam retuliſſet ſententiam,quam ſequitur Eccleſia contra Semipelagianos, nimirum omne initium,omnemque diſpoſitionem ad ordinem gratiæ,initium ſumere à priori gratia, ſic ait ex propria ſententia: *iſtud autem non videtur conueniens, quia præparatio, quæ eſt ad gratiam,non eſt per actus, qui ſint ipſi æquandi æqualitate proportionis: & ideo non oportet,vt actus,quibus homo ſe ad gratiam habendam præparat, ſint naturam humanam excedentes: ſicut enim natura humana ſe habet in potentia materiali ad gratiam, ita actus virtutum naturalium ſe habent vt diſpoſitiones materiales ad ipſam. Vnde non exigitur ad hoc, vt homo ad gratiam ſe præparet, aliquod aliud lumen gratiæ præcedens.*

11 Hoc teſtimonium, & alia, quæ videre poteris apud Herice in 1.p. tract.3.diſp. 26. cap. 3. & apud Gonetum tomo de Præd.diſp.2.art.3.§.5.adeo clara, & perſpicua (ait ipſe Gonetus) pluribus Thomiſtis viſa ſunt, vt nullam aliam ſolutionem inuenerint, niſi quod D.Thomas ſententiam ibi traditam, in ſumma Theologica, quæ eſt veluti vltimum illius teſtamentum, poſtea retractauit. Siuè, vt alij dicunt, id, quod iunior docuerat in ſententijs, ſenior & doctior factus, in ſumma Theologica, & ſuper epiſtolas Pauli, ad meliorem, & clariorem formam redegit.

12 Nihilominus noſter Herice loco iam citato Angelicum Præceptorem mira eruditione, pietate, & ingenio, in alium ſaniorem ſenſum interpretatur: in quo authore reperies plura, & aptiora, quam Gonetus poſtea in defenſionem communis Magiſtri allegauit. Et ſanè poterat Gonetus, qui nullam prætermittit occaſionem carpendi Herice, & alios Societatis authores, huius erga D. Thomam ſtudij, & pietatis meminiſſe.

13 Ipſe P. Herice non renuit concedere hominem viribus naturæ opus bonum moraliter operantem, ſe ad gratiam

aliqua ratione diſponere: non ita, vt diſpoſitio ſit, aut per medium meriti, aut impetrationis, aut moralis diſpoſitionis; ſed tantum materialiter in genere phyſicæ diſpoſitionis, quatenus qui operatur benè, phyſicè magis idoneus eſt ad ſuſcipiendam gratiam, quam qui non operatur bene: modo, quo vulgo dicitur homo præſtantioris, & perſpicioris ingenij, & qui indole magis ingenua præditus eſt, aptior, & magis diſpoſitus eſt ad penetranda miſteria fidei, atque capeſſenda, & ad exercendos virtutem ſupernaturalium actus, ſi gratia diuina illuminetur, quam homo mente ruda, & animo duro. Cum hoc tamen componit quod hæc diſpoſitio, neque adhuc in genere diſpoſitionis, aut conditionis, influat in exiſtentiam gratiæ: quia, licet Deus homini ita diſpoſito gratiam ſupernaturalem largiri decreuerit; hoc tamen minimè eſt, quia ex tali diſpoſitione moueatur. Si tamen ex ea moueretur, iam aliqua ratione liberum arbitrium exiſtentiam primæ gratiæ aliqua ratione cauſaret.

14 Hæc difficultas ex duplici capite procedit. Primum, eſt argumentum, quo Maſsilienſes, ſeu Semipelagiani vtebantur, vt aliquod initium fidei, & noſtræ Prædeſtinationis, tribuerent libero arbitrio viribus naturæ relicto: videlicet, quia, ſi Deus non ſumeret occaſionem ex aliquo principio, quod ſoli arbitrio tribuatur, ad conferendam gratiam, teneretur æqualiter omnibus gratiam impertiri, omneſque prædeſtinare: alioquin iniuſtus eſſet, & acceptor perſonarum.

15 Secundum caput huius difficultatis eſt illud vulgare Theologicum axioma *Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam.* Quæ propoſitio ita intelligitur communiter, vt ly *in ſe* accipiatur, prout opponitur *facienti ex gratia*: conſequenterque ſenſus magis receptus videtur eſſe, quod ſi aliquis ex naturæ viribus operetur ſecundum quod debet, & poteſt, iuxta regulas à ratione præſcriptas, Deus illi ſuam ſupernaturalem conferet gratiam, vt opera eliciat, quæ ad vitam æternam conducant. Videtur ergo ad collationem gratiæ præcedere quod homo faciat quod eſt in ſe, ſeu quod ex naturæ viribus rectè operetur.

16 Primo argumento (licet aliquorum authorum mentibus pluſquam Catholicis par erat inſederit) reſpondere tenemur, ne in Maſsilienſium errorem incidamus, ſolutione eadem, qua vtitur D. Paulus, dum dicit Deum pro

ſuo ſupremo dominio poſſe inæqualiter benefacere, quin ob hanc inæqualitatem iniuſtitiæ poſſit inſimulari. *An non habet* (inquit Paulus ad Rom. 11.) *poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem; aliud verò in contumeliam?* Præterea in eadem epiſtola ait idem Apoſtolus: *cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*: & antecedenter dixerat. *Non eſt volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei*. Vbi ergo Apoſtolus argumento ſatisfacit, alia ſolutione opus non eſt: ſed cum ipſo Apoſtolo poſſumus exclamare, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & Scientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?*

17 Secundum argumentum deductum ex illo axiomate *Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam* poſtulat maiorem explicationem. Et in primis: quod non poſſit intelligi ita, vt homo faciẽdo quod eſt in viribus arbitrij, mereatur aliquomodo gratiam, probatur ex doctrina Conciliorum, & Patrum contra ſemi Pelagianos, præſertim ex Concilio Tridentino ſupra citato ſect. 1. num. 6 Quod iterum confirmo hoc diſcurſu. Maſſilienſes non ponebant meritum de condigno in illo fidei initio, quod viribus nudi arbitrij tribuebant; ſed ſolum meritum de congruo, ſiquidẽ adeo illud meritum deprimebant, vt ſolum ocaſionem, quã Deus arriperet ad benefaciendum, appellabant, multiſque alijs modis hoc meritum minuebant, ne gratiæ ſubſequenti nomen gratiæ detraherent.

18 Hoc conſtat ex Caſiano pluribus in locis, præſertim lib. 12. de inſtitutis Cœnobiorũ cap. 14. vbi poſtquam ſuo inſiſtẽs errori dixerat perfectionem omnino capi non poſſe ſine humanis conatibus, nec conſumari ſine gratia, addit ex ſeniorum ſententia, quam ipſe ſequitur, *dari quidem petentibus, & aperiri pulſantibus & à quærentibus inueniri ſecundum ſaluatoris ſententiam, ſed petitionem, & inquiſitionem & pulſationem noſtram non eſſe condignam, niſi miſericordia Dei id, quod petimus, dederit*. Eandem doctrinam repetit eodem lib. 12. de inſtitutis Cœnobiorum à cap. 11. vſque ad 15. necnon in collationibus, collat. 13. cap. 7. 8. & 13. Ex quibus ſic conficitur argumentum. Concilium Tridentinum definit loco citato exordium iuſtificationis ſumẽdum eſſe à gratia præueniente, nullis præcedentibus meritis. Ergo negãtur à Concilio contra ſemi Pelagianos merita illa, quæ ipſi defendebant. At, vt conſtat ex dictis, initio fidei non meritum condignum, ſed congruum

gruum concedebant. Ergo, iuxta Concilium Tridentinum, quodlibet meritum congruum præueniens gratiam debet à catholicis negari.

19 Ob hanc rationem cenſeo debere negari diſpoſitionem ad gratiam, ſiuè poſitiuam, ſiuè negatiuam, quæ ſit ex viribus arbitrij: nam Deus, quando confert auxilium, mouetur ex hac diſpoſitione præſuppoſita, vel non mouetur? Si non mouetur. Ergo non conducit vt diſpoſitio. Si mouetur. Ergo initium iuſtificationis ſumitur ab eo, quod homo gratia deſtitutus rectè moraliter operetur. Sed nihil aliud eſt meritum de congruo, quam bonum opus morale habens in ſe, attenta ſua bonitate, aliquam vim mouendi Deum ad tribuendum aliquid ita operanti, intuitu eius operationis. Ergo admittitur meritum de congruo, ſi admittitur diſpoſitio potens mouere.

20 Confirmatur. Illud opus abſque gratiæ adiutorio elicitum, vel eſt aliqua ratione dignum, vt Deus intuitui illius, & ſuæ libertatis, conferat illud auxilium, vel nulla prorſus ratione ita dignum eſt. Si hoc ſecundum, Deus non mouebitur ex illo, ſub indeque non erit diſpoſitio. Si dignum aliqua ratione ſit. Ergo aliquam rationem meriti participat. Ob hoc, & plura alia argumenta, hæc ſententia de præparatione præuia viribus naturæ habita plurimum plurimis diſplicet.

21 Nec ſatisfacit P. Herice, dum aſſerit hanc eſſe diſpoſitionem purè phyſicam: tum, quia hoc opus non diſponit prout à libertate præſcindit, ſed prout cum libertate elicitum: tum quia, ſi phyſicè tantum diſponeret, vel hæc diſpoſitio eſſet præciſsè, vt voluntas redderetur capax recipiendi miraculosè, & improportionatè auxilium, vel, vt reciperet cum minore improportione. Ad illud primum non requiritur, quia ex ſe capax eſt, vt miraculoſe recipiat. Si ad ſecundum: rurſus rogo: an hæc minor improportio in linea phyſica extrahat receptionem gratiæ à ratione miraculoſæ, vel non. Primum nequit dici, alioqui eſſet naturaliter phyſicè proportionata voluntas ad ſuſcipiendam gratiam. Secundum vero non facile percipitur: nam ſicut improportio vt ſic ad ſupernaturale ratione ſupernaturalitatis nequit per aliquid naturale auferri, ita pariter neque vllus gradus improportionis fundatus ſimiliter in ſupernaturalitate, ad quam datur improportio, per aliquid naturale poterit auferri.

22 Denique P. Herice non videtur ſibi conſtans, cum ex vna parte dicat bonum opus eſſe diſpoſitionem purè phyſicam; & ex

& ex alia doceat Deum non concedere gratiam facienti quod in ſe eſt, quia ita facit. Vel enim, vt rectè arguit Ripalda, Deus confert auxilium ex præuiſione operis boni abſque adiutorio gratiæ, vel non. Si hoc vltimum; Ergo illud opus nullo modo confert, aut conducit de facto, adhuc phyſicè, ad collationem auxilij. Si primum. Ergo iam Deus non ſolum tribuit gratiam facienti quod in ſe eſt; ſed quia facit. Maneat ergo fixum nihil ex parte gratiam recipientis factum ſine gratia præcedere vllo modo ad gratiam: alioquin aliquid gratiæ puritati detraheretur.

23 Verus ergo, & germanus ſenſus illius axiomatis eſt nunquam creaturæ facienti quod eſt in ſe gratiam negari: non quia conſequenter concedatur gratia; ſed quia ei antecedenter tribuitur. Itaque ſicut Deus præſto adeſt cum ſuo indifferenti concurſu, vt homo illo vtatur pro ſuo arbitrio, quin conſequenter ad determinationem creaturæ tribuatur; ſed antecedenter, ita vt hoc ſufficiat, vt Deus dicatur non negare ſuum concurſum creaturæ operanti: pari ratione, quia ad quemlibet virtutis actum, ad quem naturaliter faciendum creatura habet poteſtatem, tribuit Deus per auxilium poteſtatem ſupernaturalem, vt illius virtutis actum ſupernaturalem eliciat: ideo rectè dicitur Deus non negare ſuum concurſum rectè operanti.

24 Ita expreſsè tenet noſter Molina apud Ripalda tom. 1. de Ente ſupern. lib. 1. diſp. 20. ſect. 2. num. 9. per hæc verba *Sicut Deus præſto eſt lege ſua ordinaria & regulariter infallibili concurſu generali erga liberum arbitrium, vt quoties illud pro ſua innata libertate aggredi voluerit aliquid velle naturaliter, Deus cum illo cooperetur, cum tamen aggredi noſtrum non antecedat concurſum Dei generalem ad id velle. Ita Deus præſto eſt gratia præueniente cuicumque homini, qui pro ſua innata libertate aggredi voluerit facere totum, quod in ſe eſt, vt id quod in ſe eſt efficiat, vt oportet ad ſalutem: non quidem, quaſi prius hic faciat, aut aggrediatur facere, & poſtea ſaltem natura, Deus illi conferat præuenientem gratiam, ſed ſimul, vt nunquam per Deum, & ſemper ſtet per arbitrium liberum id aggredi, & facere.*

25 Hanc Molinæ ſententiam amplector quoad potiſſimum in ea contentum, nempe gratiam non ſubſequi noſtram liberam operationem, ſed potius præcedere; in alijs vero à Ripalda notatis non conſentio. Igitur noſtra ſententia eſt ad quemlibet actum, ad quem, vt naturalem, arbitrium eſt potens, Deum conferre auxilium, vt voluntas non naturalem; ſed ſupernatura-

lem

lem actum eliciat: imò neque ſimul alium actum naturalem nos tunc elicere, vt putauit Ripalda, ſed præciſsè vnicum ſupernaturalem. Hæc breuiter perſtrinxiſſe placuit, ad tractatum de neceſſitate gratiæ pleniorem diſcuſsionem remittens. Qui vero de hoc axiomate maius examen deſideret, adeat Ripald. loco citato, vbi per 23. ſectiones, illud accurate, licet prolixe, explicat: necnon Herice in 1. p. tract. 3. diſp. 17. Vnum hic non diſsimulabo, nimirum P. Suarez 1. p. lib. 2. de cauſa Prædeſt. cap. 9. & P. Vazq. in 1 p. diſp. 91. hoc axioma quatenus aſſerat gratiam eſſe pediſequam operis naturalis, vt ſapiens Semipelagianiſmum roijcere.

SECT. III.

Vtrum in Prædeſtinatione detur aliquid ex gratiæ auxilio, quod ſit cauſa, vel ratio Prædeſtinationis?

28 PRo reſolutione huius dubij animaduertendum eſt quod ſub nomine Prædeſtinationis intelligitur ſeries auxiliorum à prima vocatione vſque ad auxilium finale, & conſequutionē gloriæ: qui enim omnia hæc mereretur, pariter decretū de omnibus his mereretur: quod eſt Prædeſtinationem mereri. Inquiritur ergo modo: an prædeſtinatus mereatur, vel mereri poſſit ex viribus gratiæ prædictam ſeriem auxiliorum, ſiuè decretum de omnibus his auxilijs.

29 Cæterum in Prædeſtinatione, & eſt conſiderare primum auxilium, & eſt conſiderare auxilia ad primum auxilium ſubſequuta: & denique gloriam ſubſequentem merita. De cæteris auxilijs ſupponentibus primum, ſupponitur cadere ſub meritum de congruo. Etenim per primum opus ſalutare viribus gratiæ factum poteſt homo mereri de congruo quod ſecundum auxilium ei conferatur, & per ſecundum tertium: & ſic deinceps vſque ad auxilium finale efficax ad perſeuerantiam; & denique per finalem perſeuerantiam ipſam gloriam. Imò hoc meritum de congruo in ordine ad auxilia primum ſupponentia, de facto dari, licet non infallibiliter præmiandum, verius eſt. Vnde tota difficultas reuocatur ad primum auxilium: vtrum videlicet cadat, vel cadere poſsit ſub merito de congruo? Hoc eſt: an prima gratia poſſit conferri propter bonum vſum illius?

30 Por-

30 Porró hic auxilij bonus vſus dupliciter conſideratur potens mouere ad conferendum auxilium. Primò: vt conditionatè præuiſſus: ſi, nimirum, præuidens Deus per Scientiam Mediam, quod, ſi conferatur Petro auxilium A, Petrus cum hoc auxilio eliciet conſenſum; Deus, inquam hac Scientia Media inſtructus, decerneret Petro auxilium A in præmium illius conſenſus cõditionatè præuiſi.

31 Secundo: ita, vt auxilium eſſet præmium conſenſus ſalutaris, non vt conditionatè; ſed vt abſolutè præuiſi. V.g. Si Deus haberet prius (vt putat P. Suarez) decretum intentiuum operis ſalutaris, & Deus cognoſcens in hoc decreto abſolutam exiſtentiã conſenſus efficaciter intenti, in præmium illius decerneret exequutiuẽ auxilium. In hoc caſu auxilium, vt exequutioni mandatum, eſſet præmium conſenſus ſalutaris vt præuiſi exiſtentis in decreto intentiuo. Hæc omnia præſertim quatenus non factum, ſed poſsibilitatem dicunt, difficultates grauiſsimas continent ad tractatum de merito ſpectantes. Hic quæ ad noſtrum inſtitutum magis attinent, breuiſsimè reſoluam. Reliqua vero in ſuum proprium tractatum relinquam.

32 Sit noſtra concluſio. Prima gratia ordine naturæ ex nullis prædeſtinati meritis confertur prædeſtinato. Probatur 1. ex Paulo ad Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*: quod autem gratis, & ex gratia fit non fit ex meritis. Et in eadem epiſtola cap. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia, iam nõ eſt gratia.* Idem habet cap. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam; ſed ſecundum debitum.* Idem adſtruit ad Galatas cap. 3. & alibi ſæpe. In quibus ſignificatur gratiam non dari ex merito noſtro. Et licet directè excludantur opera ex nudo libero arbitrio; ſimul etiam, dum aſſeritur gratis nos eſſe vocatos, & iuſtificatos de facto, aſſeritur etiam nullum meritum quauis ratione ad gratiam in nobis præceſsiſſe.

33 Probatur ſecundo ex Tridentino ſeſſ. 6 cap. 5. vbi declarat exordium iuſtificationis in adultis à Chriſti vocatione ſumendum eſſe: *quia* (ait) *nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur*: & licet, vt ſupra dicebamus de verbis D. Pauli, directè excluſa videantur merita præcedentia ex viribus naturæ; at cum ait *nullis eorum exiſtentibus meritis* ſatis ſignificat merita ſubſequentia non habere rationem meriti comparatione præcedentis gratiæ.

34 Probatur tertio ex pluribus Auguſtini teſtimonijs: in

in quibus hac vtitur ratiocinatione. Gratia primæ vocationis datur, vt ſint merita, tanquam propter finem. Ergo non datur ex meritis. Legatur ipſe Auguſt. lib. de correp. & Gratia cap. 9. & de Prædeſtinat. Sanct. cap. 18. In fine, & lib. de dono perſeuerantiæ cap. 13. & 14.

Vtrum vero abſolutè loquendo poſsit primum auxilium cadere ſub merito pendet ab ea quæſtione: vtrùm, & qua ratione principium immediatum meriti poſsit cadere ſub merito. Quod enim dicendum ſit circa hoc generale principium, id dicendum erit in noſtro ſpeciali caſu loquendo de potentia abſoluta: ideo hic hanc difficultatem omittere placuit.

SECT. IV.

De effectibus Prædeſtinationis.

35 MVlta, vt Arriaga, & Ribadeneira notant, miſcentùr de nomine in hac quæſtione: ideo prius quæſtionis ſenſus exponendus eſt, vt poſtea quid in re difficultatis ſit, facilius intelligatur.

36 Nomine Prædeſtinationis in hac quæſtione vocatur voluntas diuina gloriæ per merita, quæ habeat infallibilem connexionē cum gloria, & effectus Prædeſtinationis vocatur quodlibet beneficium diuinum collatum ex intentione infruſtrabili, vt de facto illud donum conducat in vitam æternam. Qua propter quodlibet beneficium collatum per decretum infruſtrabile reſpiciens vt motiuum, & finem, vitam æternam illius, cui confertur donum, dicitur effectus Prædeſtinationis, quia eſt effectus prædicti decreti, quod ſub nomine Prædeſtinationis in præſentiarum venit intelligendum. Hoc ſuppoſito.

37 Dubitatur primò. Vtrùm exiſtentia Prædeſtinati poſsit eſſe, & de facto ſit, effectus Prædeſtinationis? Reſpondeo affirmatiuè cum pluribus, quos citat, & ſequitur P. Ribadeneira tract. de Præd. diſp. 24. ſect. 2. num. 6. Probatur hæc concluſio quoad primam partem: nimirum de poſsibilitate. Exiſtentia prædeſtinati poteſt produci à Deo ex intentione efficaci de eo, quod ille homo conſequatur vitam æternam. At produci hoc modo eſt eſſe effectum Prædeſtinationis. Ergo exiſtentia Prædeſtinati poteſt eſſe effectus Prædeſtinationis. Conſequentia eſt legitima, & minor

minor continet ſenſum quæſtionis. Maior igitur probatur. Poteſt Deus præuidere in ſigno indifferentiæ ad producendum Petrum, quod, ſi illum producat, plurima media habebit, quibus illum conducat ad gloriam: & hac ſcientia inſtructus poteſt illum creare, vt, vitam æternam conſequatur per media illa præuiſa. Ergo poteſt Petrus produci à Deo ex intentione beatitudinis. Concluſio clarior fiet obiectionum ſolutione.

38 Ob. 1. Prædeſtinatio eſt præparatio mediorum, quibus creatura conſequetur beatitudinem. At exiſtentia creaturæ non eſt effectus præparationis mediorum. Ergo exiſtentia creaturæ non eſt effectus Prædeſtinationis.

39 Reſpondeo 1. hanc obiectionem Prædeſtinationem in alio ſenſu accipere: nempe præciſè pro præparatione mediorum, cum in præſenti quæſtione latius pateat, vt prænotauimus. Reſpondeo 2. Deum poſſe ita decernere creaturam, vt eam decernat, vt cõſequatur beatitudinem per hæc media determinata: quapropter eadem virtualiter voluntas, & erit productio creaturæ in beatitudinem, & erit ſimul præparatio mediorum, vt beatitudinem conſequatur.

40 Inſtabis. Præparatio mediorum, vt Petrus v.g. conſequatur finem, ſupponit intentionem finis vt conſequendi à Petro. Sed intentio finis vt conſequendi à Petro, vel ſupponit futurum Petrum, vel ſaltem eſt id, per quod intelligitur Petrus iam futurus. Ergo præparatio mediorum, vt Petrus conſequatur beatitudinem, ſupponit ex vi intentionis futurum eſſe Petrum.

41 Reſpondeo 1. negando maiorem: quia intentio finis, ſi ſit vt conſequendi per media aliqua, eſt etiam determinatio, & præparatio eorum mediorum.

42 Reſpondeo 2. Admiſſo quod præparatio mediorum ſupponat aliquam intentionem finis, videlicet inefficacem; ſecus efficacem. Cum vero intentio inefficax non connectatur cum ſuo obiecto, hinc fit hanc intentionem neque ſupponere, neque eſſe futuritionem, adhuc extrinſecam, Petri.

43 Reſpondeo 3. Admiſſo etiam præparationem mediorum ſupponere intentionem efficacem gloriæ vt conſequendæ à Petro, & conſequenter intentionem Petri. Cum tamen hæc intentio non ſit exequutio, aut gloriæ, aut Petri; ſed ſolum intentio: hinc fit ad præparationem mediorum ſupponi Petrum vt futurũ, non futuritione intrinſeca; ſed extrinſeca, videlicet intentione: quæ intentio non poteſt intendere gloriam Petro ſecundum ſe,

ſed

ſed gloriam Petro per hæc media, quæ poſteà præparentur. Qua propter decretum exequutiuum Petri poteſt eſſe vt obtineat gloriam iam præ intentam. Ex quo iterum fiet exiſtentiam Petri, vt exequutam eſſe ex fine beatitudinis; tametſi Petri exiſtentia vt exequuta ſupponat exiſtentiam vt intentam; quod non eſt propriè ſupponere exiſtentiam, quæ exequutioni mandatur; ſed ſupponere intentionem huiuſmodi exiſtentiæ.

44 Secunda pars noſtræ ſententiæ, videlicet prædeſtinatos fuiſſe creatos de facto ex intentione efficaci beatitudinis, conſequenterque prædeſtinatorum exiſtentiam eſſe effectum Prædeſtinationis in ſenſu à nobis explicato, probatur ex Iſai. 23. vbi loquens Deus de populo ſpecialiter electo ait: *& omnem, qui inuocat nomen meum in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci.* Quod intelligendum eſt de intentione efficaci: quia creari à Deo in gloriam inefficaciter intentam: non ſolum electis; verum & reprobis conuenit. Secundo; quia, ſi ita potuerunt prædeſtinati creari, & hac ratione magis erga prædeſtinatos commendatur Dei amor. Ergo ita creatos fuiſſe piè cenſendum eſt, dum ex aliquo capite oppoſitum non conſtet. Tertio: quia ipſa iuſti propera mors fit ex intentione beatitudinis, vt patet ex illo Sap.4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius...placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* Quare ergo ipſa exiſtentia iuſti nō erit ex intētione beatitudinis, cum etiam in vitam æternam conducens ſit?

45 Obijcitur 1. Aduerſus hanc ſecundam concluſionem. Omnes effectus Prædeſtinationis fuerunt ex meritis Chriſti. Sed Chriſtus non eſt mortuus vt homines eſſemus, ſed vt iuſtificaremur, vt ait Aug. Ergo quod homines ſimus, quod eſt idem, ac creari, non eſt effectus Prædeſtinationis.

46 Reſp. 1. Non dici Chriſtum mortuum pro omnibus rebus, quæ Chriſti meritis obtinentur: obtinentur enim per merita Chriſti plura temporalia dona; & tamen non dicitur Chriſtus pro donis temporalibus mortuus eſſe. Illud ergo eſt, propter quod dicitur Chriſtus mortuus, quod eſt primarius finis mortis Chriſti Domini. Finis autem primarius mortis Chriſti eſt hominum iuſtificatio, & glorificatio. Hoc vero non tollit quod ex meritis Chriſti homines creentur.

47 Reſpondeo 2. Quod licet creatio hominis ſecundum ſe non ſit ex meritis Chriſti; attamen creari ex fine beatitudinis ex meritis Chriſti debet eſſe. Quare nō eſt ex meritis Chriſti quilibet

Prædeſtinationis effectus ſpecificatiuè acceptus; ſed reduplicatiuè, hoc eſt, quatenus eſt effectus Prædeſtinationis, ſeu quatenus in beatitudinem dirigitur: & hac ratione prædeſtinati exiſtentia eſt ex meritis Chriſti, quia ex meritis Chriſti eſt quod homo creetur ex intentione efficaci de eo, quod vitam æternam conſequatur; tametſi non ſit ex meritis Chriſti quod homo præciſè creetur.

48 Ob. 2. Effectus Prædeſtinationis eſt ordinis indebiti gratiæ (eſt enim Prædeſtinatio præparatio beneficiorum Dei, vnde hæc gratia diſtinguitur à gratia creationis) ſecus ordinis naturalis. Sed exiſtentia eſt ordinis naturalis. Ergo exiſtentia non eſt effectus Prædeſtinationis.

49 Reſpondeo quod, vt aliquid ſit effectus Prædeſtinationis, non requiritur quod ſit intrinſecè, & ſecundum ſe ſupernaturale; ſed ſufficit quod ſit ſupernaturale extrinſecè: hoc eſt vt coniunctum cum iuſtificatione, & reliquis, quæ ad beatitudinem requiruntur: & hac ratione ipſa exiſtentia ſupernaturalis eſt.

50 Ob. 3. Si exiſtentia eſſet effectus Prædeſtinationis, procul omni dubio eſſet non dari cauſam ex parte noſtra ad omnes effectus Prædeſtinationis, cum dubitari nequeat nos non poſſe noſtram exiſtentiam mereri. Sed Pelagius dubitauit, imò aſſeruit omnem Prædeſtinationis effectum cadere ſub meritum. Ergo, vel dicendum eſt Pelagium adeo ſtolide erraſſe, vt putauerit nos noſtram exiſtentiam promereri, vel affirmandum eſt exiſtentiam non eſſe effectum Prædeſtinationis.

51 Reſpondeo Pelagium intellexiſſe nomine Prædeſtinationis, non exiſtentiam prædeſtinati; ſed ſeriem auxiliorum à prima gratia: in eoque erraſſe, quod iudicauerit nullum auxilium eſſe, quod naturale non foret; hominemque ſemel creatum, & conſtitutum cum his, quæ creaturæ debentur, poſſe, ſecluſa quacumque alia gratia, ſuam iuſtificationem promereri. Etenim iudicauit Pelagius hominem ſemel gratis creatum, & libero arbitrio præditum (in qua duntaxat creatione gratiam agnoſcebat) poſſe ſuis operibus reliqua omnia promereri.

52 Contra hunc errorem Auguſtinus & Catholici docent vltra donum creationis aliam eſſe gratiam, quæ nullo modo noſtris meritis, noſtro vè libero arbitrio ſubijciatur, vt patet ex Aug. epiſt. 105. vbi ait: *abijciatur à Chriſtianorum cordibus iſta* (fallacia) *nam omnino non iſtam gratiam commendat Apoſtolus, qua creati ſumus, vt homines eſſemus; ſed qua iuſtificati ſumus, vt homines iuſti eſſemus. Etenim Chriſtus non vt homines conderentur;*

tur;

tur; ſed pro impijs mortuus eſt vt iuſtificarentur. Ex his patet Pelagium ſub nomine Prædeſtinationis vocationum ſeriem intellexiſſe, & in hoc ſenſu à Concilijs, & Eccleſia, fuiſſe damnatum, dum aſſeruit homines ſuam Prædeſtinationem, & iuſtificationem poſſe promereri.

53 Ob. 4. Exiſtentia prædeſtinati non eſt ex meritis Chriſti. Sed omnis effectus Prædeſtinationis eſt ex meritis Chriſti. Ergo exiſtentia prædeſtinati non eſt effectus Prædeſtinationis. Minor, in qua eſt difficultas, probatur. Chriſtus Dominus fuit præ definitus poſt abſolutè præuiſſum Adæ peccatum, vt in poſteros deriuatum. Ergo fuit prædefinitus poſt exiſtentiam prædeſtinatorum peccantium in Adamo. Sed exiſtentia, quæ eſt ante prædefinitionem Chriſti, non eſt ex meritis Chriſti. Ergo exiſtentia prædeſtinatorum non eſt ex meritis Chriſti; & conſequenter neque effectus Prædeſtinationis.

54 In primis poterat negari Chriſtum fuiſſe prædefinitum poſt abſolutè præuiſum Adæ peccatum. Cæterum, hoc admiſſo, poteſt reſponderi ſecundo per ordinem intentionis, & exequutionis, aſſerendo Chriſtum, & eius merita, ante peccatum fuiſſe intenta, & ex meritis Chriſti vt intentis, ſeu vt præuiſis in intentione, fuiſſe decretatas hominum exiſtentias: denique poſt peccatum Adami, vt in poſteros deriuatum, fuiſſe Chriſtum prædefinitum decreto exequutiuo. Quo componitur, & quod Chriſtus ſit prædefinitus exequutiuè poſt abſolutè præuiſum peccatum Adami in poſteros deriuatū, & quod ex meritis Chriſti vt in intentione præuiſis, decretata ſit exiſtentia prædeſtinatorum.

55 Reſponderi tertio poſſet ex latius dicendis tract. de Incarnatione, & tract. de Merito, principium remotum meriti non eſſentialiter requiſitum ad meritum poſſe cadere ſub meritum: quia mutua prioritas obiectiua remota poſſibilis ſit: id circò non incongruè diceretur poſſe ex meritis Chriſti exiſtere prædeſtinatos, quamvis prædeſtinatorum exiſtentia, vt Adami peccato maculata, præſupponatur, vt occaſio obiectiua ad exiſtentiam Chriſti Domini. Cæterum hæc ſolutio indiget vlteriore explicatione, quam tractatus diuerſitas, & breuitas, non permittit. Sufficiat inſinuaſſe rationes, quibus argumenti appareat inefficacia.

56 Ex dictis conſtat potiori iure inter Prædeſtinationis effectus annumeranda eſſe reliqua bona naturalia, tum intrinſeca, v. g. ingenium perſpicax, ingenuam indolem, & alia

huiuſmodi, quando in beatitudinem conducunt: tum extrinſeca; vt liberalem educationem, ſcientiarum notitiam, & alia: & longê potiori titulo eſſe Prædeſtinationis effectus alia bona moralia, vt catholicam patriam, ocaſiones occurrentes, parentum, & amicorum ſana conſilia, & alia, quæ ad rectê viuendum, & pia opera exercenda, conducentia ſunt: omnia enim hæc Deus diſponit ſua æterna, & ineffabili prouidentia, vt homo illis in ſuam æternam vtilitatem vtatur.

57 Dubitatur ſecundo: vtrùm permiſsio peccati poſsit eſſe effectus Prædeſtinationis, & de facto ſit, quando pœnitentia peccati permiſsi in vitam æternam hominē conducit? Dixi quæſt. 12. per totam Deum poſſe prædefinire pœnitentiam ante abſolutê præuiſum peccatum, ideoque Deum poſſe amare peccati permiſſionem, ita vt peccatum requiſitum ad pœnitentiam, tametſi non motiuum finale; conditio tamen ſit, qua ametur auxilium, &, qua deficiente, auxilium non amaretur. Conſentaneé ad tradita in ea quæſtione, modo dico poſſe Deum ex intentione beatitudinis D. Petri v.g. amare illi permiſsionem peccati; adeo, vt amet non ſolum voluntatem, qua confert auxilium, quod eſt inefficax, quatenus eſt voluntas prædicti auxilij ſecundum ſe; ſed etiam eandem voluntatem, quatenus poſitiué non vult conferre auxilium, quod præuidet efficax: & cum hac ratione conducat hæc voluntas in vitam æternam D. Petri ratione pœnitentiæ, ad quam requiritur inefficacia auxilij: hinc fit poſſe Deum amare permiſsionem peccati D. Petri vt conducentem in beatitudinem D. Petri, & conſequenter eſſe effectum Prædeſtinationis D. Petri.

58 Hæc concluſio probatur ex ibi dictis. Deus poteſt ex intentione beatitudinis D. Petri amare illi quod in ſe bonum eſt, & infallibiliter conducit in vitam æternam. Sed ita ſe habet peccati permiſsio. Ergo Deus poteſt amare D. Petro permiſsionem peccati ex intentione beatitudinis. Conſequentia eſt bona, & maior videtur ex ipſis terminis clara: ex intentione enim optimi finis poteſt amari medium in ſe bonum, & habens infallibilem conducentiam in finem. Minor verò probatur. Permiſsio peccati, prout dicit illam diuinam voluntatem, eſt bona in ſe: præterea que eſt cauſa, ſaltem ocaſionaliter, beatitudinis, in quam infallibiliter conducit. Ergo habet quidquid requiritur, vt ametur Petro ex intentione beatitudinis.

59 Ferè omnia, quæ aduerſus hanc cōcluſionem poſſunt obijci, diſſolui cum egi de prædefinitione efficaci ante abſolutê præuiſum peccatū: vltra ea tamen.

60 Ob-

60 Obijcies. Effectus Prædeſtinationis debet eſſe gratia per Chriſtum. Sed permiſsio peccati non eſt gratia per Chriſtū. Ergo permiſsio peccati non eſt effectus prædeſtinationis. Minor, in qua eſt difficultas, probatur; tum quia permiſsio eſt negatio auxilij efficacis; negatio autem auxilij efficacis non gratia; ſed gratiæ carentia eſt: tum quia Chriſtus poſſet petere à Patre quod peccata permitteret; imò & ipſi prædeſtinato id expoſcere liceret.

61 Reſpondeo negationem auxilij efficacis, ex qua, tum pœnitentia, tum beatitudo ſequitur, non eſſe gratiam intrinſecè, ſed extrinſecè, quatenus talis carentia coniungenda eſt cum circunſtantijs, quibus æterna ſalus obtinebitur: ideoque prout his circunſtantijs affectam prædictam negationem auxilij efficacis cadere ſub meritis Chriſti, cum tamen præcipuus finis mortis Chriſti non ſit ea permiſsio, ideo (vt ſupra diximus in ſimili) non dicendus eſt Chriſtus mortuus vt peccata permittantur. Deinde dico Chriſtum Dominum poſſe petere à Patre eam permiſsionem; minimè tamen prædeſtinatum: quia cum prædeſtinatus teneatur ad non ſibi permittendum peccare; multò magis tenebitur ad non petendam permiſsionem, quia propter prædictam obligationem eſſet cauſa moralis ſui peccati, quatenus permiſsionem diuinam ſua ſibi adquireret permiſsione.

62 Ex dictis fit omnia auxilia, omniaque dona ſupernaturalia, & quidquid cauſabile à Deo ad beatitudinem conducit, & de facto in illam quomodolibet influit, ſiue per modum meriti, ſiue ocaſionis, ſiue circunſtantiæ congruæ, ſiue qualibet alia ratione omnia in quam prædicta eſſe effectum prædeſtinationis, quia omnia hæc diſponuntur à Deo ex fine beatitudinis prædeſtinati, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 8. *omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti*: quia, vt explicat hic noſter Cornelius ly *ſecundum propoſitum* eſt epitheton ſignificās cauſam dilectionis, directionis, & perfectionis iuſtorum: cur videlicet omnia cooperantur in bonum? quia videlicet Deus illos amat, dirigit, & protegit. Ergo ex directione diuina prouenit quod prædeſtinatis omnia cooperentur in bonum. Hoc eſt, quia eos Deus diligit, & dirigit in vitam æternam.

(???)

Digitized by Google

QVÆST. XV.

De proprietatibus Prædeſtinationis.

PRæcipuæ Prædeſtinationis proprietates ſunt Neceſsitas. Certitudo, & Contingentia, ſiuè Libertas. De ijs ſeorſim in hac, & in quæſtione ſequenti tractabimus.

SECT. I.

De neceſsitate Prædeſtinationis.

1 TRiplex eſt ſententia circa hanc difficultatem. Prima tenet de facto non omnes, qui ſaluantur, propriè loquendo, Prædeſtinatos eſſe, aut præelectos ad beatitudinem; ſed ſolum aliquos eximia, & irregulari ſanctitate præditos, vt Beatiſsimam Virginē, Apoſtolos, & illos qui confirmati ſunt in gratia: reliquos vero prædeſtinatos non eſſe; ſed abſque Prædeſtinatione conſequi beatitudinem. Ita Catherinus lib. 2. de Præd. cap. vltimo. Cuius authoris mentem accuratè examinat, & dilucidè exponit P. Vazquez in 1. p. diſp. 90.

2 Secunda ſententia docet Prædeſtinationem, non ſolum iuxta præſentem prouidentiam, verumetiam loquendo de potentia Dei abſoluta, eſſe eſſentialiter neceſſariam ad conſequendam beatitudinem: ita vt metaphyſicè implicet eum, qui prædeſtinatus non eſt, conſequi beatitudinem in ſenſu compoſito defectus prædeſtinationis. Ita videntur docere Thomiſtæ, tametſi non ſatis diſtinguant inter præſentem prouidentiam, & potentiam Dei abſolutam. Ita etiam Pater Suarez lib. 1. de Prædeſt. cap. 8. n. 6. aſſerens Prædeſtinationem eſſe eſſentialiter requiſitam ad beatitudinem, nō ex parte beatitudinis conſequendæ; ſed ex parte modi, quem Deus ſeruat in operando.

3 Tertia ſententia tenet de facto, & iuxta præſentem prouidentiam, neminem ſaluari, qui prædeſtinatus non ſit; poſſe tamen de potentia abſoluta, & in alia prouidentia, creaturam rationalem conſequi beatitudinem abſque Prædeſtinatio-

tio-

tione. Ita P. Quiros de Prædeſt. diſp.1. ſect.2. & alij RR. necnon in re. Ribad. hic diſp.19. ſect.2.

4 Sit 1. concluſio. De facto, & iuxta præſentem prouidentiam, nemo poteſt ſaluari, qui prædeſtinatus nõ ſit. Probatur. De facto, & iuxta præſentem prouidentiam, omnes, qui ſaluantur, prædeſtinati ſunt. Ergo ſtando præſenti prouidentiæ nemo poteſt ſaluari, qui prædeſtinatus non ſit. Antecedens probatur ex illo Matth.25. *Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis regnum.* At *paratio*, ſiue *præparatio* regni Cœlorum fit per Prædeſtinationem. Ergo omnes, qui ſaluandi ſunt, & poſſeſſuri regnũ Cœlorum, prædeſtinati ſunt in regnum Cœlorum. Minor conſtat ex Auguſtino tract.68. in Ioannem, vbi ad illa verba Chriſti *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, ait. *Deus fecit illas prædeſtinando, facturus eſt operando.*

5 Probatur eadem concluſio ex Fulgentio lib. de Fide ad Petrum cap.35. vbi ait. *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, omnes, quos vaſa miſericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante conſtitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædeſtinatos à Deo: nec perire poſſe aliquem eorum, quos Deus prædeſtinauit ad regnum Cœlorum, nec quempiam eorum, quos non prædeſtinauit ad vitam vlla poſſe ratione ſaluari.* Ob has, & alias authoritates, acriter carpunt Catherinum ferè omnes, qui poſt illum de Prædeſtinatione ſcripſere.

6 Sit ſecunda concluſio. De potentia Dei abſoluta in altera rerum prouidentia poteſt creatura conſequi beatitudinem abſque Prædeſtinatione ſtrictè accepta: hoc eſt abſque eo, quod Deus conferat media efficacia ex intentione beatitudinis conſequendæ à creatura rationali. Probatur hæc cõcluſio. Poteſt Deus de potentia abſoluta conferre Petro v.g. auxilia efficacia ad conſenſum finalem ex fine oſtendendi ſuam liberalitatem in conferenda ea libertate, quin pro hoc ſigno decreuerit, aut intenderit conferre gloriam in præmium: & poſtea in ſequenti ſigno poſt abſolutam meriti finalis præuiſionem decernere gloriam. At in hoc caſu Petrus v.g. conſequeretur beatitudinem abſque Prædeſtinatione ſtrictè accepta. Ergo de potentia abſoluta poteſt creatura rationalis conſequi beatitudinem abſque Prædeſtinatione. Conſequentia eſt bona, & minor certa. Nam Prædeſtinatio ſtrictè accepta dicit præparationem mediorum ex fine beatitudinis. Maior ergo, in qua poteſt eſſe aliqua difficultas, probatur.

7 Primo: quia poteſt Deus decernere libertatem ad cõ-

 ſen-

ſenſum cum præuiſione conſenſus futuri, quin Deus teneatur ad intendẽdũ conſenſum, ſed ſolum conſtituere hominem liberum, quia bonitas efficaciæ auxilij non neceſſario rapit Deum in ſui amorẽ, & intentionem, cum ſit bonitas finita, & limitata.

8 Secundo: quia, adhuc dato quod Deus conferret libertatem ex fine conſenſus ſalutaris finalis, cum Deus non teneatur metaphyſica neceſsitate ad conferendam gloriam benè operãtibus; ſed, ad ſummum, neceſsitate morali, non teneretur metaphyſica neceſsitate eo ipſo, quod Deus vellet conſenſum, decernere in eodem ſigno gloriam; ſed poſſet manere indifferens, vt pro ſequẽti ſigno decerneret, vel non decerneret gloriam. Ergo ſi pro ſequẽti ſigno decerneret gloriam, ille homo ſaluaretur abſque eo, quod Prædeſtinatus eſſet.

9 Tertio: quia poteſt Deus intendere conſenſum Petri pro inſtanti A, relinquendo ad aliud ſignum decretum de eo, quod illud inſtans ſit, vel non ſit, vltimum inſtans merendi, & poſtea poſt abſolutam præuiſionem illius conſenſus vt exiſtentis in inſtanti A decernere, tum quod illud inſtans ſit vltimum inſtans merendi, tum etiam quod illicò conferatur gloria nondum decretata in præmiũ meriti, vt iam abſolutè præuiſi. Sed in hoc caſu non decernitur auxilium finale ex intentione beatitudinis. Ergo in hoc caſu homo conſequeretur beatitudinem ſine Prædeſtinatione. Hæc doctrina clarior fiet ſolutione argumentorum.

10 Ob. 1. P. Suarez. D. Auguſtinus poſt traditam definitionem Prædeſtinationis, nimirum *Praſcientia, & præparatio mediorum, quibus, &c.* concludit tàm neceſſariam eſſe Prædeſtinationem, quam præſcientiam. Sed neque de potentia abſoluta poteſt aliquis ſaluari abſque præſcientia. Ergo neque ſine Prædeſtinatione. Reſpondetur: in primis ea verba non ibi apud Auguſtinum reperiri. Reſpondeo 2. ea verba (ſi darentur) poſſe explicari iuxta præſentem prouidentiam, & non de potentia abſoluta. Reſpondeo 3. tam neceſſariam eſſe Prædeſtinationem, ac eſt Præſciẽtia: non quælibet Præſcientia; ſed Præſcientia, quæ ſit etiam *præparatio mediorum, &c.* nam loquitur Auguſtinus ſecundum ſubiectam materiam. Si enim Prædeſtinatio eſt, iuxta Auguſtinum, non quælibet Præſcientia; ſed quæ coniungitur cum præparatione mediorum, rectè infertur æquo modo eſſe neceſſariam Prædeſtinationẽ, ac Præſcientiam, vt præparantem media, male vero deduceretur tam neceſſariã eſſe Prædeſtinationem, ac præſcientiam ſecundum ſe, cum Præſcientia ſecundum ſe non ſit Prædeſtinatio.

11 Ob.

11 Ob.2. idem Suarez. Implicat aliquem ſaluari, quin Deus ab æterno præparauerit ſaluationem. Ergo, & quin cum Deus præde ſtinauerit. Diſtinguo antecedens: quin Deus ab æterno præparauerit ſaluationem præparatione antecedente abſolutam præuiſionem meritorum, nego: præparatione aliqua, ſiuè antecedente, ſiuè conſequente, concedo antecedens. Et nego conſequentiam: quia Prædeſtinatio non eſt quælibet præparatio ſaluationis; ſed præparatio antecedens meritorũ abſolutã præuiſionẽ.

12 Ob.3. Nulla res poteſt conſequi ſuum finem, niſi per diuinam prouidentiam. Sed prouidentia, vi cuius obtineatur finis gloriæ, eſt Prædeſtinatio. Ergo nullus poteſt conſequi finem gloriæ abſque Prædeſtinatione. Reſpondeo diſtinguendo maiorem. Nulla res poteſt conſequi ſuum finem, niſi per diuinam prouidentiam præparantem antecedenter media ex tali fine, nego: diſponẽtẽ media ex aliquo fine, ſiuè hoc, ſiuè illo, cum præſcientia de eo, quod futurũ eſt poſitis eis medijs: cõcedo maiorẽ. Et diſtinguo minorẽ. Prouidentia, vi cuius obtinetur ſaluationis, eſt Prædeſtinatio: ſi ſit Prouidentia præparans media ex intentione illius finis, cõcedo: ſi ſolum ſit Prouidentia præparans media ex alia intentione, licet cũ præſciẽtia huius finis, nego minorem, & nego cõſequentiã.

13 Vbi aduerte quod, licet detur in Deo prouidẽtia reſpectu finis beatitudinis, quæ prouidẽtia ratione Scientiæ cõnexa ſit cũ fine beatitudinis; ſi tamẽ, quãtũ vis ita cõnexa, nõ ponat media, videlicet auxilia, ex intentione beatitudinis, nõ erit Prædeſtinatio ſtrictè accepta, ſed tãtũ accepta latè, de qua modo nõ eſt quæſtio.

14 Ob.4. Gon. de Præd. diſp.1. art.1. §.3. Prædeſtinatio eſt ratio tranſmittendi aliquem in vitam æternam. Sed nullus ſaluari poteſt niſi tranſmittatur à Deo in vitam æternam, cum illa excedat vires creaturæ intellectualis, ſicut ſagitta nõ poteſt attingere ſcopum, niſi tranſmittatur à ſagittante. Ergo nullus ſaluari poteſt, niſi fuerit prædeſtinatus.

15 Reſpondo Prædeſtinationem eſſe tranſmiſsionẽ creaturæ rationalis in vitã æternã non quamlibet tranſmiſsionẽ, ſed trãſmiſsionẽ antecedentẽ abſolutã præuiſionẽ meritorũ, ideſt, præparationẽ auxiliorũ ex intentione infruſtrabili vitæ æternæ: qualibet autẽ alia tranſmiſsio, quæ huiuſmodi nõ ſit, Prædeſtinatio nõ eſt.

16 Hinc ad argumentum in forma. Diſtinguo minorem. Prædeſtinatio eſt ratio tranſmittendi aliquem in vitam æternam: trãſmiſsione præparante media ex infruſtrabili intentione beatitudinis, cõcedo: alia tranſmiſsione, nego maiorẽ. Et diſtinguo minorẽ.

Nullus ſaluari poteſt, niſi tranſmittatur à Deo in vitam æternam; tranſmiſsione, quæ ſit aliquod decretum ab æterno dandi gloriã: ſiuè hoc decretum ſit ante, ſiuè poſt abſolutam præuiſionem meritorum, concedo, niſi tranſmittatur tranſmiſsione, quæ ſit decretũ gloriæ conceptum ante abſolutam præuiſionem meritorum, ſiuè, quod ſit præparatio mediorum ex intentione infruſtrabili vitæ æternæ, nego minorem. Et nego conſequentiam.

17 Ob. 5. Idem Gonetus. Sic ſe habet Prædeſtinatio ad conſequutionem vitæ æternæ, ſicut prouidentia in alijs rebus ad finem, quem intendit. Sed nihil poteſt conſequi finem per prouidentiam intentum, niſi per diuinam prouidentiam. Ergo nec poteſt aliquis conſequi ſalutem æternam, qui non fuerit ad illam prædeſtinatus.

18 Reſpondeo triplicem in Deo diſtingui poſſe Prouidentiam: aliam efficacem intrinſecè, nempè, qua Deus ordinat media in finem voluntate infruſtrabili, & connexa cum fine. Hac ratione Deus prouidentiam exercet erga Prædeſtinatos: & hæc prouidentia circa eos, qui ſaluandi ſunt de facto, Prædeſtinatio eſt; quia præparat media, quibus certiſsimè liberentur. Alia eſt prouidentia: non intrinſecè efficax: ea videlicet, qua Deus adhibet media ex ſeria intentione finis, licet non efficaci: & hoc modo prouidet Deus auxilia ſufficientia reprobis: eis enim confert auxilia ex ſeria, & ſincera voluntate conſenſus, licet inefficaci. Alia denique eſt prouidentia permiſsiua, ſiuè negatiua: ea, videlicet, qua aliquid exequitur cum præſcientia infallibili euentus, quem neque poſitiuè intendit, neque efficaciter odio habet.

19 Cæterum nulla res poteſt exiſtere, quin Deus erga illam aliquam ex his prouidentijs exerceat; minimè vero requiritur determinatè prouidentia intrinſecè efficax, quæ circa eos, qui de facto ſaluantur, cum Prædeſtinatione conuertitur. Quam obrem, licet eodem modo ſe habeat Prædeſtinatio ad conſequutionem gloriæ, ac ſe habet prouidentia intrinſecè efficax; non tamen, ac ſe habet prouidentia vt ſic, quæ ad omnem effectum neceſſario requiritur.

20 Hinc ad argumentum in forma: diſtinguo maiorem: Eodem modo ſe habet Prædeſtinatio ad conſequutionem gloriæ, ac ſe habet prouidentia intrinſecè efficax, concedo: ac ſe habet prouidentia vt ſic: nego maiorem. Et diſtinguo minorem. Nihil poteſt conſequi finem intentum, niſi per prouidentiam hanc, vel illã. concedo: niſi per prouidentiam intrinſecè efficacem, nego minorem, Et nego conſequentiam.

21 Ob.6. Gonetus. Si ad ſalutem conſequendam ſuffi-ceret prouidentia generalis, abſque voluntate abſoluta, & efficaci conſenſus ſalutaris, nulla eſſet differentia ex parte voluntatis diuinæ inter prædeſtinatum, & reprobum, & tota illorum diſcretio proueniret ex libero arbitrio: ſiquidem Deus æqualiter intenderet ſincere, licet inefficaciter, ex ſe, conſenſum ſalutarem. At implicat prædeſtinatum ſe diſcernere à reprobo. Ergo, & quod Deus conferat auxilium efficax ſola prouidentia generali.

22 Reſpondeo in prædicto caſu Deum non maiori affectu collaturum auxilium conſenſuro, quam diſſenſuro; nihilominus Deum diſcreturum conſenſurum à diſſenſuro: quia ad diſcretionem præciſè ſumptam non requiritur maior voluntas; ſed ſolum quod Deus ſit, qui, efficacia, & inefficacia præuiſſa plurium auxiliorum, prius natura vera prioritate, ante quam homo intelligatur vnus conſenſurus, & alter abſolutè diſſenſurus, ponat id, quod ſimul cum ea præuiſione inferat vnum potius, quam alterum conſenſurum. Verum de hac difficultate iterum redibit ſermo, cum diſcretionem prædeſtinati à reprobo magis ex profeſſo diſcutiamus.

SECT. II.

De certitudine Prædeſtinationis.

23 DVbium eſt, & ferè totum inter Dominicanorum, & Ieſuitarum Scholas diſſidium, vnde ſumenda ſit noſtræ Prædeſtinationis certitudo. Thomiſtæ omnes putãt ex medijs ipſis, ipſorumque intrinſeca efficacia, & efficientia, eam certitudinem ſumi debere. Nonnulli ex Scotiſtis exiſtimant non ab auxilijs, ſed à decreto diuino intrinſecè efficaci, & immediatè influxiuo, eam certitudinem hauriendam eſſe.

24 Authores omnes Societatis negant certitudinem Prædeſtinationis prouenire poſſe, vel ab auxiliorum intrinſeca efficacia, vel à decreti diuini efficacis immediata efficientia; ſed totam Prædeſtinationis certitudinem in Scientiam Mediam refundendam eſſe: ita vt auxilium, reduplicatiuè vt coniunctum cum Scientia Media eius efficaciæ, cum conſenſu connectatur; non autem acceptum ſecundum ſe. Vt hæc ſententia melius percipiatur.

25 Duplex certitudo in Deo prædeſtinante diſtinguenda eſt: alia adhæſionis, alia infallibilitatis, ſiue connexionis. Cer-

certitu-

titudo adhæſionis, ſeu ſecuritas, eſt ea firma ſuaſio, ſiuè firmus aſſenſus, quo, ſecluſa qualibet dubitatione, & formidine, firmiſsimè, & conſtantiſsimè iudicat obtentutum eſſe conſenſum per auxilium A. V. g. quod confert conſenſuro. Certitudo connexionis, ſeu infallibilitatis eſt connexio intrinſeca, & infallibilis, quam habet cum conſenſu tum decretum efficax conſenſus, tum auxilium A, reduplicatiuè vt coniunctum cum Scientia de eius efficacia.

26 Si igitur quæramus vnde proueniat Deo firma, & certa perſuaſio de conſenſu ſub auxilio A. reſpondeo prouenire illi formaliter ab ipſa Scientia; obiectiuè autem ab ipſo conſenſu conditionatè præuiſſo: quia hæc Scientia non innititur, aut decreto conditionato, aut connexioni auxilij, quia non datur ea connexio: ſolum ergo determinatur hæc Scientia Dei ab ipſo obiecto, quin vllum aliud medium exigat, vt cognoſcat conſenſum conditionatè futurum. Vnde obiectiuè ab ipſo conſenſu prouenit Scientiæ ſua firma, & ſecura certitudo.

27 Deinde: ſi quæramus de certitudine infallibilitatis, ſeu connexionis: nimirum, vnde proueniat prædeſtinationi infallibilis connexio, tum cum conſenſu ſalutari, tum cum beatitudinis conſequutione: reſpondetur duplicem in prædeſtinatione dari cõnexionem, ſeu duplex eſſe extremum connexum cum conſenſu, & beatitudine. Etenim coniunctum ex Scientia Media conſenſus, & beatitudinis, & ex auxilio, connectitur intrinſecè cum conſenſu, & beatitudine, ratione Scientiæ: quæ connexio nõ eſt antecedens; ſed potius immediatè conſequens: quia ex eo datur ea Scientia, quia conſenſus, & beatitudo, erunt ſub illa hypotheſi, tametſi ea Scientia ratione auxilij, ad cuius collationem dirigit, remote præcedat ad conſenſum.

28 Deinde ipſum decretum collatiuum auxiliorum ex intentione infruſtrabili conſenſus, necnon electio ad gloriam, vt coronam meritorum, connectuntur eſſentialiter cum conſenſu, & beatitudine, connexione, non immediatè antecedenti, ſed potius conſequenti remotè: quatenus, nimirum, connectuntur prædicta decreta cum Scientia Media de conſenſu, & beatitudine, ſub hypotheſi auxiliorum. Ex quo fit primariam rationem huius certitudinis eſſe Scientiam: conſequenterque omnem prædeſtinationis certitudinem tandem in infallibilitatem Scientiæ reſolui dedere.

29 Harum concluſionum probatio non alia eſt, quam ea ipſa, qua probatur Scientia Media, eiuſque ad collationem auxiliorũ neceſſaria directio, & phyſicæ prædeterminationis cuiuslibet

que

que ſuppoſitionis immediatè antecedentis,& connexæ,cum liber tare repugnantia. Quam obrem vlteriori probationi ſuper ſedere decreui.

30 Argumenta,quæ nobis ab aduerſarijs obijciuntur, omnia ea ſunt, quibus contendunt probare Scientiam Mediam repugnantem,& phyſicam prædeterminationem neceſſariam penitus eſſe:aliterque non ſtare dominium diuinum in hominum corda,nec poſſe doctrinam Conciliorum,& Patrum aduerſus Maſſilienſes própugnari. Verum de his non parum in præcedentibus diximus,pluraque tract.de Scientia dicemus. Nunc vero vnum,vel alterum argumentum opponam,quibus,& aduerſarij magis fidunt, & frequentius vtuntur,dum ſub terminis expreſsis de prædeſtinationis certitudine diſputant.

31 Ob.1.In Prædeſtinatione non ſolum debet dari certitudo præſcientiæ,verum etiam cauſalitatis. Sed iuxta noſtram doctrinam non datur certitudo cauſalitatis. Ergo neque certitudo,quæ dari debet. Maior probatur ex D.Thoma quodlibet.12. art.3.vbi poſtquam quærit *vtrum prædeſtinatio ſit certa*: reſpondet. *Quod prædeſtinatio habet certitudinem ex parte Scientiæ Dei, quæ non poteſt falli,& ex parte voluntatis diuinæ,cui non poteſt aliquid reſiſtere,& ex parte prouidentiæ,quæ certiſsimo modo ducit ad finem*. Ex quibus verbis hoc conficitur argumentum. Iuxta D. Thomam non ſolum eſt certitudo ex parte præſcientiæ,& ex parte voluntatis;verum etiam ex parte prouidentiæ, ſeu ex parte modi perducendi ad finem. Ergo vltra certitudinem , quæ deſumitur ex Scientia,& voluntate,datur alia certitudo,ſiuè connexio, in modo perducendi ad finem. Sed modus per ducendi ad finem, prout diſtinguitur à Scientia,& voluntate,conſiſtit in cauſis immediatis ſiuè in auxilijs. Ergo iuxta D. Thomam datur connexio in ipſis medijs,ſiuè auxilijs. Idem repetit S. Doctor alijs in locis, præſertim in 1.quæſt.1.art.3.ad 2.& quæſt.6.de verit. art.3. vbi videtur expreſſe docere negare prædeſtinationi certitudinem cauſalitatis eſſe contra Scripturam,& Patres.

32 Reſpondeo duplicem eſſe diſtinguendam Scientiam euentus auxiliorum:aliam ſubſequentem omnino conſenſum, & nulla ratione antecedentem ipſum. Hæc eſt Scientia viſionis de cõſenſu libero,quæ ex ipſo hauritur conſenſu. Alia eſt Scientia conditionata dirigens ad poſitionem auxiliorum:quæ Scientia, licet non immediatè influat in conſenſum;mediatè tamen conducit ad illud,dirigendo Deum ad eligendum auxilium efficax, potius quã im-

inefficax. Hæc Scientia ingreditur prouidentiam, & modum perducendi ad finem intentum. Hoc ſuppoſito.

33 Dico D. Thomam rectè diſtinxiſſe triplicem certitudinem, quin contra noſtram ſententiam aliquid inferatur. Nam in Deo prædeſtinante non ſolum eſt certitudo Scientiæ viſionis, quæ infallibiliter cognoſcit futurum eſſe euentum, nec ſolum eſt certitudo voluntatis diuinæ præparantis media ex intentione conſenſus, & gloria: verum etiam eſt certitudo prouidentiæ donantis auxilium ex directione Scientiæ conditionatæ de eius efficacia: quapropter in modo cauſandi auxilium ſecuriſsimè procedit, & nullatenus ſe exponendo fruſtrationi. Quam obrem datur certitudo ex parte cauſarum: non quidem ex parte cauſæ immediatæ ſecundum ſe conſideratæ, ſed ex parte cauſæ immediatæ reduplicatiuè prout de facto collatæ. Hoc ergo intendit D. Thomas, & nihil aliud.

34 Addo inſuper, quod, præſcindendo modo à Scientia viſionis, optimè potuit dicere D. Thomas dari in Deo certitudinem, non ſolum præſcientiæ, verum etiam prouidentiæ: quia præſcientia non ſolum habet repræſentare infallibiliter euentum, verum etiam dirigere ad illum: qua propter non ſolum datur certitudo in præſcientia, verum in ordine prouidentiæ: quia ordo, & modus prouidentiæ includit eam ſcientiam, diſtinguiturque inadæquatè ab illa quod ſufficit, vt verè dicatur, non ſolum in præſcientia, verum etiam in prouidentia datur certitudo conſenſus, & beatitudinis; licet vltima ratio, in qua reſoluitur certitudo, ſit præſcientia.

35 Ob. 2. Fr. Ioannes à Sanct. Thom. non eſſe cur recuſemus concedere in auxilio connexionem omnino antecedentem cum conſenſu libero abſoluto, cum eamdem connexionem omnino antecedentem concedamus intentioni efficaci conſenſus: quod ſic ſuadet. Intentio diuina efficax noſtri conſenſus abſoluti liberi connectitur eſſentialiter cum conſenſu libero abſoluto: & tamen non ſupponit conſenſum abſolutum, quia illud remotè cauſat, licet ſupponat conſenſum conditionatum. Ergo intentio efficax diuina noſtri conſenſus abſoluti habet connexionem omnino antecedentem cum conſenſu, quin eius opponatur libertati.

36 Confirmatur. Cauſa mediata non eſt efficacior reſpectu effectus, quam cauſa immediata, quæ deriuatur ex illa: & conſequenter cauſa immediata deriuata non eſt minus efficax, quam cauſa mediata, Sed cauſa mediata noſtri conſenſus, videlicet intentio

tentio diuina, eſt intrinſecè efficax efficacia connexionis. Ergo parem, & non minorem efficaciam intrinſecæ connexionis habebit auxilium, quod eſt cauſa immediata, quæ deriuatur ex illa mediata.

37 Reſpondeo ad argumentum: negando eius aſſumptum. Ad eius probationem: conceſſa prima parte antecedentis, nego ſecundam, videlicet intentionem diuinam conſenſus non ſupponere conſenſum abſolutum. Etenim, cum intentio efficax diuina conſenſus ſupponat Scientiam Mediam, à qua dirigitur, vt docuimus, dum de prædefinitionibus egimus: & Scientia Media conſenſus ſupponat conſenſum abſolutum pro caſu purificationis hypotheſis. hinc fit intentionem conſenſus pro caſu auxilij ſupponere etiam conſenſum abſolutum in genere obiectiuo: quod quidem non opponitur cum eo quod intentio practica ſit: quia quod in genere phyſico practicū eſt reſpectu alicuius operis, bene poteſt ſupponere ipſum opus in genere obiectiuo, quia mutua prioritas, quarum vna ſit in genere phyſico, & altera in genere obiectiuo, non dicit vllam repugnantiam.

38 Ad confirmationem reſpondeo diſtinguendo maiorem. Cauſa mediata non eſt efficacior immediaté cauſa immediata, nec cauſa mediata minus efficax, quam mediata, concedo: mediatè ſub diſtinguo: non eſt cauſa mediata magis efficax ob titulum præciſſum cauſæ mediatæ concedo: ob alium titulum, nimirum in noſtro caſu ratione ſupponendi eſſentialiter Scientiam Mediam: nego maiorem. Et deinde diſtinguo minorem. Cauſa mediata noſtri conſenſus, nempe intentio illius, eſt intrinſecè efficax: immediate: nego: mediatè, ſub diſtinguo, ob titulum præciſſum cauſæ mediatæ, nego: ob titulum ſupponendi Scientiam Mediam: concedo minorem, & nego conſequentiam.

39 Itaque cauſa mediata, licet ſolum influat media cauſa immediata; connectitur tamen cum influxu actuali cauſæ immediatæ ratione ſupponendi Scientiam Mediam, cum quo influxu actuali non connectitur auxilium, quod eſt cauſa immediata: & in hoc ſenſu magis efficax eſt cauſa mediata, quam immediata, quia magis connectitur cum influxu actuali.

40 Ob. 3. alij. In hoc ſtatu abſoluto *conſentit Petrus cum auxilio* A. non ſolum datur infallibilitas deſumpta ex conſenſu abſoluto; ſed præſupponitur alia infallibilitas ex conſenſu vt præuiſſo per Scientiam Mediam. Ergo in hoc ſtatu conditionato *Conſentiret Petrus, ſi vocaretur auxilio A*, non ſolum datur infallibili-

libilitas deſumpta ex conſenſu conditionato; ſed præſupponitur alia deſumpta aliunde, & conſequenter non eſt primaria infallibilitas, ea, quæ deſumitur ex conſenſu conditionato.

41 Pro reſponſione noto duplici modo poſſe intelligi quod aliqua ratio ſit primaria: vel primaria in genere phyſico, vel primaria in genere obiectiuo. Eſſe rationem primariam in genere phyſico, eſt quod phyſicè non ſupponat aliam; ſed præſupponatur ad rationem, quæ dicitur ſecundaria præſuppoſitione phyſica. Eſſe rationem primariam in genere obiectiuo, eſt quod ea ratio non præſupponat aliam determinantem in genere obiecti; ſed potius obiectiuè præſupponatur ad eam, reſpectu cuius primaria eſt in genere obiectiuo.

42 Hac ratione ſe habent inter ſe conſenſus, & Scientia vt coniuncta cum auxilio. Nam Scientia eſt primaria ratio infallibilitatis in genere phyſico: ſiquidem in genere phyſico non ſupponit aliam rationem infallibilitatis, & in genere phyſico præcedit ad quamlibet aliam infallibilitatem, quatenus dirigit ad poſitionem auxilij cauſantis conſenſum. Deinde conſenſus abſolutus eſt primaria ratio in genere obiectiuo certitudinis, & infallibilitatis: nam præcedit obiectiuè ad omnem aliam infallibilitatem: & nulla alia infallibilitas præcedit obiectiuè ad conſenſum.

43 Deinde aduertendũ eſt quod ſicut ad conſenſũ abſolutum præcedit phyſice abſolutè in genere directiuo Scientia Media, ita ad conſenſum cõditionatũ præcedit conditionatè eadem Scientia Media: hoc eſt, quẽ admodũ conſenſus conditionatus eſt conſenſus, qui foret: ita hæc præcedentia conditionata, non eſt quod præcedat abſolutè alia Scientia Media reflexa; ſed quod ipſa Scientia Media directa præcederet caſu, quo purificaretur hypotheſis, ſub qua foret conſenſus. His ſuppoſitis.

44 Ad argumentum propoſitum reſpondeo in forma: diſtinguendo maiorem. In hoc ſtatu abſoluto: *Conſentit Petrus, ſub auxilio A* non ſolum datur infallibilitas deſumpta ex conſenſu abſoluto; ſed præſupponitur alia infallibilitas ex conſenſu, vt præuiſo per Scientiam Mediam: præſuppoſitione in genere obiectiuo nego: in genere phyſico directiuo, concedo antecedens. Deinde diſtinguo conſequens. Ergo in hoc ſtatu conditionato *Conſentiret Petrus, ſi vocaretur auxilio A*, non ſolum datur infallibilitas deſumpta ex conſenſu conditionato, ſed præſupponitur alia infallibilitas

litas deſumpta aliunde : præſupponitur abſolutè ; nego : conditionatè : ſub diſtinguo : præſuppoſitione obiectiua, nego: præſuppoſitione in genere phyſico directiuo, concedo conſequentiã, deindeque diſtinguo vltimam illationem. Ergo ea infallibilitas, quæ deſumitur ex conſenſu conditionato non eſt primaria in genere obiectiuo : nego : in genere phyſico directiuo, concedo conſequentiam.

45 Si vero in hac vltima conſequentia, non accipiatur conſenſus conditionatus ſecundum ſe ; ſed reduplicatiuè, vt præuiſus, reſpondendum eſt conſenſum conditionatum reduplicatiuè vt præuiſum eſſe primariam infallibilitatem in genere phyſico, & ſupponere in genere obiectiuo aliam infallibilitatem, nempè conſenſum conditionatum ſecundum ſe. Nam conſenſus conditionatus reduplicatiuè vt præuiſus eſt Scientia Media, quæ & præcedit phyſicè dirigendo, & ſubſequitur obiectiuè conſenſum præuiſum.

46 Obijc. 4. Vt detur infallibilitas de exiſtentia conſenſus abſoluti ex vocatione A. nihil aliud requiritur, quam purificare illam conditionem, ſub qua præuiſus eſt conſenſus futurus. Sed hæc conditio eſt ſolum auxilium, & non Scientia Media: alioqui non eſſet hypotheſis indifferens. Ergo, vt detur infallibilitas de exiſtentia conſenſus abſoluti, nihil aliud requiritur, quam ponere vocationem A. Ergo fruſtrà quæritur alia infallibilitas.

47 Reſpondeo negando maiorem, vel diſtinguendo maioris claritatis gratia. Vt detur Infallibilitas de exiſtentia conſenſus abſoluti ex vocatione A, nihil aliud requiritur, quam purificare illam conditionem, ſub qua præuiſum eſt conſenſum futurum, in ſenſu compoſito illius veritatis conditionalis, & illius præuiſionis : concedo : nihil aliud requiritur, quam purificare illam conditionem, præſcindendo à quocunque alio, nego maiorem. Et conceſſa minori, diſtinguo conſequens. Ergo, vt detur infallibilitas de exiſtentia conſenſus abſoluti, nihil aliud requiritur, quam ponere vocationem A coniunctim cum veritate conditionali, & Scientiâ Mediâ, concedo : ſecundum ſe, nego conſequentiam.

48 Duo hic obſervanda ſunt. Primum, quod, licet verum ſit quod, ſi ponatur auxilium, nulla intellecta conditione, dabitur conſenſus, falſum tamen eſt: quod nihil aliud requiratur

ratur abſolutè: quia requiritur ipſe conſenſus.: aliud enim eſt nihil aliud requiri vt hypotheſim: aliud valde diuerſum, nihil aliud abſolute requiri. Secundum: (quod etiam obſeruant alij) hoc idem argumentum fieri eadem apparentia contra prædeterminantes. Etenim (iuxta Thomiſtas) ex vi decreti conditionati de conuerſione Tiriorum, ſi videant miracula Chriſti, nō ſolum eſt verum quod *ſi videant, & prædeterminentur, conuertentur*. Sed quod, *ſi videant conuertentur, quia prædetermnabuntur*: imo hac ratione & non alia, decernit Deus. Conficitur ergo idem argumentum eadem vi: Vt detur infallibilitas conuerſionis ex viſione miraculorū Chriſti, nihil aliud requiritur, quam quod purificetur conditio, ſub qua decretata eſt, & præuiſa conuerſio Tiriorum. Sed hæc conditio eſt ſola viſio, & non prædeterminatio ad conuerſionem: alioquin decerneret Deus veritatem neceſſariam, & non contingentem. Ergo, vt detur infallibilitas de abſoluta conuerſione Tiriorum nihil aliud requiritur, quam ponere viſionem miraculorum Chriſti. Ergo fruſtra quæritur alia infallibilitas, vel fundata in prædeterminatione, vel in decreto. Ecce argumentum nobis obiectum: Vtrique eadem ſolutio adhibenda eſt.

SECT. III.

De libertate, & contingentia Prædeſtinationis vbi de Diſcretione prædeſtinati á reprobo.

49 DVplex dubium hic decidendum occurrit. Primum: an prædeſtinatio ſit libera prædeſtinato, & qua ratione? Secundum: an ſit libera Deo, & qua ratione Deo ea libertas contingat: nimirum an Deo ratione ſupremi dominij inſit neceſſario poteſtas proxima, & expedita, quamlibet creaturam rationalem prædeſtinandi. Hæc ſecunda difficultas grauiſsima eſt, & eam non parum impeditam reddidere aliquorum Recentiorum prolixæ meditiones: id circo integram ſequentem quæſtionem de hac difficultate inſtituemus.

50 Circa libertatem creaturæ reſpectiuè ad ſuam prædeſtinationem, duo poſſunt examinari. Primum: an prædeſtinatio ſecundum ſtrictum prædeſtinationis conceptum, libera ſit prædeſtinato: ita, vt in poteſtate Petri v.g. ſit prædeſtinari, & non prædeſtinari. Secundum: an prædeſtinatus, licet non poſsit adquire-

re

re ſuam Prædeſtinationem, ſaltem diſcernat ſe ipſum à non prædeſtinato?

51 Circa primum dubium, videlicet, vtrum Prædeſtinatio hominis arbitrio ſubijciatur, non difficilis eſt reſolutio, quam aliquibus concluſionibus trademus.

52 Sit 1. concluſio. Homo, ſuppoſita ſolum indifferentia ad opus bonum, & meritorium, non habet in ſua libertate, neque ſuo ſubijcitur arbitrio, quod prædeſtinetur. Probatur hæc concluſio. Hominem prædeſtinari non dicit ſolum habere auxilia, quibus certiſsimè conſentiet ſalutariter; ſed requiritur vlterius, quod ea auxilia ſint collata ex intentione conſenſus cum prædicto conſenſu connexa. Sed homo ex vi libertatis ad conſenſum ſalutarem, & eius carentiam, non habet poteſtatem comparandi illam intentionem. ſiquidem ex eo, quod homo conſentiat, non infertur Deum eam intentionem habere: quia, vt ſupra probauimus, Deus poteſt conferre auxilium efficax, quin illud conferat ex intentione conſenſus. Ergo homo ex vi libertatis ad conſenſum ſalutarem, & eius carentiam, non habet in ſua liberrate quod prædeſtinetur. Ex quo diſcurſu infertur non ſubijci hominis libertati Prædeſtinationem, prout eſt voluntas gloriæ, aut gratiæ habitualis; verum neque prout eſt voluntas intentiua bonæ operationis. Maior huius diſcurſus conſtat ex explicatione definitionis Prædeſtinationis. Minor autem ex dictis, tum quæſt. 5. ſect. 2. vbi probauimus Deum non teneri, dum confert auxilium efficax, illud conferre quia efficax: tum in hac ipſa quæſtione ſect. 1. vbi reiecimus neceſsitatem Prædeſtinationis ad conſequutionem beatitudinis.

53 Sit 2. concluſio. Ad hunc ſpecialem affectum, quo Deus confert auxilia efficacia ex fine boni operis, & conſequutionis beatitudinis, habet homo poteſtatem facta aliqua ſuppoſitione: nempè ſuppoſito quod verum ſit antecedenter quod Deus habiturus ſit hanc intentionem, ſi homo præuideatur conſenſurus per auxilium A. v. g. Probatur hæc concluſio. Homo habens veram poteſtatem determinandi illam Scientiam Mediam, habet ſimiliter poteſtatem coniungendi Scientiam Mediam cum ea veritate: ex qua coniunctione infertur Deum habere illam voluntatem, ſiuè intentionem. Sed qui habet poteſtatem faciendi coniunctionem, ex qua neceſſario infertur aliquod extremum, habet in ſua manu, & poteſtate, illud extremum. Ergo, ſuppoſita ea

veritate conditionali, homo habens in ſua poteſtate coniungere Scientiam Mediam cum ea veritate, ex qua coniunctione infertur illa intentio, habet pariter in ſua manu, & poteſtate, eam intentionem: & conſequenter Prædeſtinationem.

54 Sit 3. concluſio. Homo habet in ſua poteſtate ne prædeſtinetur. Probatur facile iuxta Societatis doctrinam. Homo habet in ſua poteſtate reddere ineſſicax auxilium finale. Ergo habet in ſua poteſtate ne Deus conferat media, quibus certiſsimè liberetur. Præter quam quod, cum Prædeſtinatio connectatur cum bonis operibus, ſi Prædeſtinatio non eſſet à conſentiente impedibilis, eſſet neceſsitas ineuitabilis, & conſequenter tollens libertatem. Probatio huius concluſionis eſt tota huius tractatus doctrina.

55 Circa ſecundum dubium, videlicet, de Diſcretione Prædeſtinati à reprobo, prius explicare oportet quid ſub nomine Diſcretionis intelligatur ab authoribus. aliter enim in incertum progrediemur.

56 *Diſcretio* idem ſonat, ac ſeparatio, & ſeparatio, prout ad noſtrum attinet inſtitutum, idem eſt, ac diſtinctio. Vnde diſcerni prædeſtinatum à reprobo, non aliud erit, quam prædeſtinatum habere aliquid inferens ipſum finaliter conſenſurum, & ſaluandum eſſe: & in reprobo aliquid reperiri infallibiliter arguens ipſum auxilio finali diſſenſurum, & in æternum fore damnandum. Verum, cum inquirimus de diſcretione prædeſtinati, non ſolum in ſingulari inquirimus de diſcretione conſentientis à diſſentiente auxilio finali; ſed in genere inueſtigamus per quid conſentiens à diſſentiente diſcernatur.

57 Porrò Diſcretio dupliciter poteſt conſiderari; & in actu primo, & in actu ſecundo. Diſcretio in actu ſecundo eſt quòd actu vnus vocetur, & conſentiat; alter verò vocetur, & diſſentiat. Diſcretio in actu primo eſt quod intelligitur in ſigno antecedenti ad conſenſum inferens infallibiliter vnum conſenſurum, & alterum diſſenſurum.

58 Vlterius Diſcretio aliter duplex eſt; alia intrinſeca; alia extrinſeca. Intrinſeca eſt id, quod, cum intrinſecum ſit conſentienti & diſſentienti, infert vnum conſenſurum, & alterum diſſenſurum. Extrinſeca diſcretio erit id, quod, cum extrinſecè adueniat, conſenſum in vno, & diſſenſum in alio, eadem infert infallibilitate. His ſuppoſitis.

Digitized by Google

59 Sit 1. noſtra concluſio. Diſcretio intrinſeca conſentientis à diſſentiente conſiſtit formaliter in ipſa conſentiendi determinatione, ſeu in ipſomet *conſentire*. Probatur facile. Solum ipſum conſentire datur intrinſecè in homine conſentiente, quod non ſit indifferens ad conſenſum & diſſenſum. Ergo cum *Diſcretio* intrinſeca debeat eſſe intrinſecè in conſentiente, & non indifferens ad diſſenſum: ſolum ipſum conſentire erit intrinſeca *Diſcretio* conſentientis à diſſentiente. Antecedens eſt certum in Societatis doctrina quamlibet phyſicam prædeterminationem, quodlibetque homini intrinſecum præuium, & cum conſenſu connexum, pro viribus reiiciente. Ex quo infertur nullam eſſe Diſcretionem Intrinſecam diſtinctam ab ipſo *conſentire*.

60 Sit 2. concluſio. Deus omnino perfectè, & integrè diſcernit prædeſtinatum à reprobo, tam in actu primo, quam in actu ſecundo; non vero prædeſtinatus integré, & completé, diſcernit ſe ipſum. Hæc concluſio probatur. Diſcernere prædeſtinatum à reprobo omnino perfectè, & integré, eſt eſſe, cui debentur omnia, quæ in negotio Prædeſtinationis interveniunt. Sed Deo; non autem prædeſtinato, debentur omnia, quæ in Prædeſtinatione interveniunt. Ergo Deus; & non qui prædeſtinatur diſcernit omnino perfectè, & integré prædeſtinatum à reprobo. Maior eſt certa, & conſequentia bona. Minor probatur. Licet creatura ſit cauſa conſenſus conditionati; attamen præparatio omnipotentiæ, & auxilij collatio, ſolum Deo tribuendæ ſunt. Deinde ipſe conſenſus, ſiuè abſolutus, ſiuè conditionatus, Deo etiam tribui debet. Ergo ſoli Deo debentur omnia, quæ in Prædeſtinatione interveniunt. Quod non creaturæ; ſed Deo tribuantur omnipotentiæ applicatio, & collatio, certum eſt: cum hæc duo à ſolo Deo dependeant.

61 Cæterum quod conſenſus etiam conditionatus Deo debeat tribui, probatur: quia in caſu exiſtentiæ hypotheſis conditionatus conſenſus eſt conſenſus abſolutus. Sed conſenſus abſolutus tribui debet Deo; licet non vt determinanti; tamen, & vt ſimul concurrenti, & vt præparanti omnia prærequiſita, prout ſcit congruere ad conſenſum abſolutum. Ergo conſenſus conditionatus, perinde, ac abſolutus, Deo tribuendus eſt in caſu exiſtentiæ hypotheſis. Deinde quia conſenſus conditionatus ea ipſa ratione, qua eſt, dependet à Deo, media hypotheſi, ſub qua exiſteret. Ergo ſi propter dependentiam conditionatam à libero arbitrio tribuitur libero arbitrio, propter ſimilem dependentiam

Nullus ſaluari poteſt, niſi tranſmittatur à Deo in vitam æternam; tranſmiſsione, quæ ſit aliquod decretum ab æterno dandi gloriã: ſiuè hoc decretum ſit ante, ſiuè poſt abſolutam præuiſionem meritorum, concedo, niſi tranſmittatur tranſmiſsione, quæ ſit decretũ gloriæ conceptum ante abſolutam præuiſionem meritorum, ſiuè, quod ſit præparatio mediorum ex intentione infruſtrabili vitæ æternæ, nego minorem. Et nego conſequentiam.

17 Ob. 5. Idem Gonetus. Sic ſe habet Prædeſtinatio ad conſequutionem vitæ æternæ, ſicut prouidentia in alijs rebus ad finem, quem intendit. Sed nihil poteſt conſequi finem per prouidentiam intentum, niſi per diuinam prouidentiam. Ergo nec poteſt aliquis conſequi ſalutem æternam, qui non fuerit ad illam prædeſtinatus.

18 Reſpondeo triplicem in Deo diſtingui poſſe Prouidentiam: aliam efficacem intrinſecè, nempè, qua Deus ordinat media in finem voluntate infruſtrabili, & connexa cum fine. Hac ratione Deus prouidentiam exercet erga Prædeſtinatos: & hæc prouidentia circa eos, qui ſaluandi ſunt de facto, Prædeſtinatio eſt; quia præparat media, quibus certiſsimè liberentur. Alia eſt prouidentia: non intrinſecè efficax: ea videlicet, qua Deus adhibet media ex ſeria intentione finis, licet non efficaci: & hoc modo prouidet Deus auxilia ſufficientia reprobis: eis enim confert auxilia ex ſeria, & ſincera voluntate conſenſus, licet inefficaci. Alia denique eſt prouidentia permiſsiua, ſiuè negatiua: ea, videlicet, qua aliquid exequitur cum præſcientia infallibili euentus, quem neque poſitiuè intendit, neque efficaciter odio habet.

19 Cæterum nulla res poteſt exiſtere, quin Deus erga illam aliquam ex his prouidentijs exerceat; minimè vero requiritur determinatè prouidentia intrinſecè efficax, quæ circa eos, qui de facto ſaluantur, cum Prædeſtinatione conuertitur. Quam obrem, licet eodem modo ſe habeat Prædeſtinatio ad conſequutionem gloriæ, ac ſe habet prouidentia intrinſecè efficax; non tamen, ac ſe habet prouidentia vt ſic, quæ ad omnem effectum neceſſario requiritur.

20 Hinc ad argumentum in forma: diſtinguo maiorem: Eodem modo ſe habet Prædeſtinatio ad conſequutionem gloriæ, ac ſe habet prouidentia intrinſecè efficax, concedo: ac ſe habet prouidentia vt ſic: nego maiorem. Et diſtinguo minorem. Nihil poteſt conſequi finem intentum, niſi per prouidentiam hanc, vel illã, concedo: niſi per prouidentiam intrinſecè efficacem, nego minorem. Et nego conſequentiam.

21 Ob. 6. Gonetus. Si ad ſalutem conſequendam ſuffi- ceret prouidentia generalis, abſque voluntate abſoluta, & efficaci conſenſus ſalutaris, nulla eſſet differentia ex parte voluntatis diuinæ inter prædeſtinatum, & reprobum, & tota illorum diſcretio proueniret ex libero arbitrio: ſiquidem Deus æqualiter intenderet ſincere, licet inefficaciter, ex ſe, conſenſum ſalutarem. At implicat prædeſtinatum ſe diſcernere à reprobo. Ergo, & quod Deus conferat auxilium efficax ſola prouidentia generali.

22 Reſpondeo in prædicto caſu Deum non maiori affectu collaturum auxilium conſenſuro, quam diſſenſuro; nihilominus Deum diſcreturum conſenſurum à diſſenſuro: quia ad diſcretionem præciſè ſumptam non requiritur maior voluntas; ſed ſolum quod Deus ſit, qui, efficacia, & inefficacia præuiſſa plurium auxiliorum, prius natura vera prioritate, ante quam homo intelligatur vnus conſenſurus, & alter abſolutè diſſenſurus, ponat id, quod ſimul cum ea præuiſione inferat vnum potius, quam alterum conſenſurum. Verum de hac difficultate iterum redibit ſermo, cum diſcretionem prædeſtinati à reprobo magis ex profeſſo diſcutiamus.

SECT. II.

De certitudine Prædeſtinationis.

23 DVbium eſt, & ferè totum inter Dominicanorum, & Ieſuitarum Scholas diſſidium, vnde ſumenda ſit noſtræ Prædeſtinationis certitudo. Thomiſtæ omnes putãt ex medijs ipſis, ipſorumque intrinſeca efficacia, & efficientia, eam certitudinem ſumi debere. Nonnulli ex Scotiſtis exiſtimant non ab auxilijs, ſed à decreto diuino intrinſecè efficaci, & immediatè influxiuo, eam certitudinem hauriendam eſſe.

24 Authores omnes Societatis negant certitudinem Prædeſtinationis prouenire poſſe, vel ab auxiliorum intrinſeca efficacia, vel a decreti diuini efficacis immediata efficientia; ſed totam Prædeſtinationis certitudinem in Scientiam Mediam refundendam eſſe: ita vt auxilium, reduplicatiuè vt coniunctum cum Scientia Media eius efficaciæ, cum conſenſu connectatur; non autem acceptum ſecundum ſe. Vt hæc ſententia melius percipiatur.

25 Duplex certitudo in Deo prædeſtinante diſtinguenda eſt: alia adhæſionis, alia infallibilitatis, ſiue connexionis. Certitu-

titudo adhæſionis, ſeu ſecuritas, eſt ea firma ſuaſio, ſiuè firmus aſſenſus, quo, ſecluſa qualibet dubitatione, & formidine, firmiſsimè, & conſtantiſsimè iudicat obtenturum eſſe conſenſum per auxilium A. V.g. quod confert conſenſuro. Certitudo connexionis, ſeu infallibilitatis eſt connexio intrinſeca, & infallibilis, quam habet cum conſenſu tum decretum efficax conſenſus, tum auxilium A, reduplicatiuè vt coniunctum cum Scientia de eius efficacia.

26 Si igitur quæramus vnde proueniat Deo firma, & certa perſuaſio de conſenſu ſub auxilio A. reſpondeo prouenire illi formaliter ab ipſa Scientia; obiectiuè autem ab ipſo conſenſu conditionatè præuiſſo: quia hæc Scientia non innititur, aut decreto conditionato, aut connexioni auxilij, quia non datur ea connexio: ſolum ergo determinatur hæc Scientia Dei ab ipſo obiecto, quin vllum aliud medium exigat, vt cognoſcat conſenſum conditionatè futurum. Vnde obiectiuè ab ipſo conſenſu prouenit Scientiæ ſua firma, & ſecura certitudo.

27 Deinde: ſi quæramus de certitudine infallibilitatis, ſeu connexionis: nimirum, vnde proueniat prædeſtinationi infallibilis connexio, tum cum conſenſu ſalutari, tum cum beatitudinis conſequutione: reſpondetur duplicem in prædeſtinatione dari cõnexionem, ſeu duplex eſſe extremum connexum cum conſenſu, & beatitudine. Etenim coniunctum ex Scientia Media conſenſus, & beatitudinis, & ex auxilio, connectitur intrinſecè cum conſenſu, & beatitudine, ratione Scientiæ: quæ connexio nõ eſt antecedens; ſed potius immediatè conſequens: quia ex eo datur ea Scientia, quia conſenſus, & beatitudo, erunt ſub illa hypotheſi, tametſi ea Scientia ratione auxilij, ad cuius collationem dirigit, remotè præcedat ad conſenſum.

28 Deinde ipſum decretum collatiuum auxiliorum ex intentione infruſtrabili conſenſus, necnon electio ad gloriam, vt coronam meritorum, connectuntur eſſentialiter cum conſenſu, & beatitudine, connexione, non immediatè antecedenti, ſed potius conſequenti remotè: quatenus, nimirum, connectuntur prædicta decreta cum Scientia Media de conſenſu, & beatitudine, ſub hypotheſi auxiliorum. Ex quo fit primariam rationem huius certitudinis eſſe Scientiam; conſequenterque omnem prædeſtinationis certitudinem tandem in infallibilitatem Scientiæ reſolui debere.

29 Harum concluſionum probatio non alia eſt, quam ea ipſa, qua probatur Scientia Media, eiuſque ad collationem auxiliorũ neceſſaria directio, & phyſicæ prædeterminationis cuiuslibet

que

que ſuppoſitionis immediatè antecedentis,& connexæ,cum libertate repugnantia. Quam obrem vlteriori probationi ſuper ſedere decreui.

30 Argumenta,quæ nobis ab aduerſarijs obijciuntur, omnia ea ſunt, quibus contendunt probare Scientiam Mediam repugnantem,& phyſicam prædeterminationem neceſſariam penitus eſſe:aliterque non ſtare dominium diuinum in hominum corda,nec poſſe doctrinam Conciliorum,& Patrum aduerſus Maſſilienſes própugnari. Verum de his non parum in præcedentibus diximus,pluraque tract.de Scientia dicemus. Nunc vero vnum,vel alterum argumentum opponam,quibus,& aduerſarij magis fidunt, & frequentius vtuntur,dum ſub terminis expreſsis de prædeſtinationis certitudine diſputant.

31 Ob.1.In Prædeſtinatione non ſolum debet dari certitudo præſcientiæ,verum etiam cauſalitatis. Sed iuxta noſtram doctrinam non datur certitudo cauſalitatis. Ergo neque certitudo,quæ dari debet. Maior probatur ex D.Thoma quodlibet.12. art.3.vbi poſtquam quærit *vtrum prædeſtinatio ſit certa*: reſpondet. *Quod prædeſtinatio habet certitudinem ex parte Scientiæ Dei, quæ non poteſt falli,& ex parte voluntatis diuinæ,cui non poteſt aliquid reſiſtere,& ex parte prouidentiæ,quæ certiſsimo modo ducit ad finem.* Ex quibus verbis hoc conficitur argumentum. Iuxta D. Thomam non ſolum eſt certitudo ex parte præſcientiæ,& ex parte voluntatis;verum etiam ex parte prouidentiæ, ſeu ex parte modi perducendi ad finem. Ergo vltra certitudinem, quæ deſumitur ex Scientia,& voluntate,datur alia certitudo,ſiuè connexio, in modo perducendi ad finem. Sed modus per ducendi ad finem, prout diſtinguitur à Scientia,& voluntate,conſiſtit in cauſis immediatis ſiuè in auxilijs. Ergo iuxta D. Thomam datur connexio in ipſis medijs,ſiuè auxilijs. Idem repetit S. Doctor alijs in locis, præſertim in 1.quæſt.1.art.3.ad 2.& quæſt.6.de verit. art.3. vbi videtur expreſſe docere negare prædeſtinationi certitudinem cauſalitatis eſſe contra Scripturam,& Patres.

32 Reſpondeo duplicem eſſe diſtinguendam Scientiam euentus auxiliorum:aliam ſubſequentem omnino conſenſum, & nulla ratione antecedentem ipſum. Hæc eſt Scientia viſionis de cõſenſu libero,quæ ex ipſo haurítur conſenſu. Alia eſt Scientia conditionata dirigens ad poſitionem auxiliorum:quæ Scientia, licet non immediatè influat in conſenſum;mediatè tamen conducit ad illud,dirigendo Deum ad eligendum auxilium efficax, potius quã

im-

inefficax. Hæc Scientia ingreditur prouidentiam, & modum perducendi ad finem intentum. Hoc ſuppoſito.

33 Dico D. Thomam rectè diſtinxiſſe triplicem certitudinem, quin contra noſtram ſententiam aliquid inferatur. Nam in Deo prædeſtinante non ſolum eſt certitudo Scientiæ viſionis, quæ infallibiliter cognoſcit futurum eſſe euentum, nec ſolum eſt certitudo voluntatis diuinæ præparantis media ex intentione conſenſus, & gloriæ: verum etiam eſt certitudo prouidentiæ donantis auxilium ex directione Scientiæ conditionatæ de eius efficacia: quapropter in modo cauſandi auxilium ſecuriſsimè procedit, & nullatenus ſe exponendo fruſtrationi. Quam obrem datur certitudo ex parte cauſarum: non quidem ex parte cauſæ immediatæ ſecundum ſe conſideratæ, ſed ex parte cauſæ immediatæ reduplicatiuè prout de facto collatæ. Hoc ergo intendit D. Thomas, & nihil aliud.

34 Addo inſuper, quod, præſcindendo modo à Scientia viſionis, optimè potuit dicere D. Thomas dari in Deo certitudinem, non ſolum præſcientiæ, verum etiam prouidentiæ: quia præſcientia non ſolum habet repræſentare infallibiliter euentum, verum etiam dirigere ad illum: quapropter non ſolum datur certitudo in præſcientia, verum in ordine prouidentiæ: quia ordo, & modus prouidentiæ includit eam ſcientiam, diſtinguiturque inadæquatè ab illa quod ſufficit, vt verè dicatur: non ſolum in præſcientia, verum etiam in prouidentia datur certitudo conſenſus, & beatitudinis; licet vltima ratio, in qua reſoluitur certitudo, ſit præſcientia.

35 Ob. 2. Fr. Ioannes à Sanct. Thom. non eſſe cur recuſemus concedere in auxilio connexionem omnino antecedentem cum conſenſu libero abſoluto, cum eamdem connexionem omnino antecedentem concedamus intentioni efficaci conſenſus: quod ſic ſuadet. Intentio diuina efficax noſtri conſenſus abſoluti liberi connectitur eſſentialiter cum conſenſu libero abſoluto: & tamen non ſupponit conſenſum abſolutum, quia illud remotè cauſat, licet ſupponat conſenſum conditionatum. Ergo intentio efficax diuina noſtri conſenſus abſoluti habet connexionem omnino antecedentem cum conſenſu, quin eius opponatur libertati.

36 Confirmatur. Cauſa mediata non eſt efficacior reſpectu effectus, quam cauſa immediata, quæ deriuatur ex illa: & consequenter cauſa immediata deriuata non eſt minus efficax, quam cauſa mediata. Sed cauſa mediata noſtri conſenſus, videlicet in-

tentio

tentio diuina,eſt intrinſecè efficax efficacia connexionis. Ergo parem,& non minorem efficaciam intrinſecæ connexionis habebit auxilium,quod eſt cauſa immediata,quæ deriuatur ex illa mediata.

37 Reſpondeo ad argumentum: negando eius aſſumptum. Ad eius probationem: conceſſa prima parte antecedentis, nego ſecundam,videlicet intentionem diuinam conſenſus non ſupponere conſenſum abſolutum.Etenim,cum intentio efficax diuina conſenſus ſupponat Scientiam Mediam,à qua dirigitur, vt docuimus,dum de prædefinitionibus egimus:& Scientia Media conſenſus ſupponat conſenſum abſolutum pro caſu purificationis hypotheſis.hinc fit intentionem conſenſus pro caſu auxilij ſupponere etiam conſenſum abſolutum in genere obiectiuo: quod quidem non opponitur cum eo quod intentio practica ſit:quia quod in genere phyſico practicū eſt reſpectu alicuius operis,bene poteſt ſupponere ipſum opus in genere obiectiuo,quia mutua prioritas,quarum vna ſit in genere phyſico,& altera in genere obiectiuo,non dicit vllam repugnantiam.

38 Ad confirmationem reſpondeo diſtinguendo maiorem.Cauſa mediata non eſt efficacior immediatè cauſa immediata,nec cauſa mediata minus efficax,quam mediata, concedo:mediatè ſub diſtinguo:non eſt cauſa mediata magis efficax ob titulum præciſſum cauſæ mediatæ concedo: ob alium titulum, nimirum in noſtro caſu ratione ſupponendi eſſentialiter Scientiam Mediam:nego maiorem.Et deinde diſtinguo minorem.Cauſa mediata noſtri conſenſus,nempe intentio illius,eſt intrinſecè efficax:immediate:nego:mediatè,ſub diſtinguo,ob titulum præciſſum cauſæ mediatæ,nego:ob titulum ſupponendi Scientiam Mediam:concedo minorem,& nego conſequentiam.

39 Itaque cauſa mediata,licet ſolum influat media cauſa immediata; connectitur tamen cum influxu actuali cauſæ immediatæ ratione ſupponendi Scientiam Mediam, cum quo influxu actuali non connectitur auxilium,quod eſt cauſa immediata: & in hoc ſenſu magis efficax eſt cauſa mediata, quam immediata, quia magis connectitur cum influxu actuali.

40 Ob.3.alij. In hoc ſtatu abſoluto *conſentit Petrus cum auxilio* A. non ſolum datur infallibilitas deſumpta ex conſenſu abſoluto;ſed præſupponitur alia infallibilitas ex conſenſu vt præuiſſo per Scientiam Mediam.Ergo in hoc ſtatu conditionato *Conſentiret Petrus,ſi vocaretur auxilio A,* non ſolum datur infallibili-

libilitas deſumpta ex conſenſu conditionato; ſed præſupponitur alia deſumpta aliunde, & conſequenter non eſt primaria infallibilitas, ea, quæ deſumitur ex conſenſu conditionato.

41 Pro reſponſione noto duplici modo poſſe intelligi quod aliqua ratio ſit primaria: vel primaria in genere phyſico, vel primaria in genere obiectiuo. Eſſe rationem primariam in genere phyſico, eſt quod phyſicè non ſupponat aliam; ſed præſupponatur ad rationem, quæ dicitur ſecundaria præſuppoſitione phyſica. Eſſe rationem primariam in genere obiectiuo, eſt quod ea ratio non præſupponat aliam determinantem in genere obiecti; ſed potius obiectiuè præſupponatur ad eam, reſpectu cuius primaria eſt in genere obiectiuo.

42 Hac ratione ſe habent inter ſe conſenſus, & Scientia vt coniuncta cum auxilio. Nam Scientia eſt primaria ratio infallibilitatis in genere phyſico: ſiquidem in genere phyſico non ſupponit aliam rationem infallibilitatis, & in genere phyſico præcedit ad quamlibet aliam infallibilitatem, quatenus dirigit ad poſitionem auxilij cauſantis conſenſum. Deinde conſenſus abſolutus eſt primaria ratio in genere obiectiuo certitudinis, & infallibilitatis: nam præcedit obiectiuè ad omnem aliam infallibilitatem: & nulla alia infallibilitas præcedit obiectiuè ad conſenſum.

43 Deinde aduertendũ eſt quod ſicut ad conſenſũ abſolutum præcedit phyſicè abſolutè in genere directiuo Scientia Media, ita ad conſenſũ cõditionatũ præcedit conditionatè eadem Scientia Media: hoc eſt, quẽadmodũ conſenſus conditionatus eſt conſenſus, qui foret: ita hæc præcedentia conditionata, non eſt quod præcedat abſolutè alia Scientia Media reflexa; ſed quod ipſa Scientia Media directa præcederet caſu, quo purificaretur hypotheſis, ſub qua foret conſenſus. His ſuppoſitis.

44 Ad argumentum propoſitum reſpondeo in forma: diſtinguendo maiorem. In hoc ſtatu abſoluto: *Conſentit Petrus, ſub auxilio A* non ſolum datur infallibilitas deſumpta ex conſenſu abſoluto; ſed præſupponitur alia infallibilitas ex conſenſu, vt præuiſo per Scientiam Mediam: præſuppoſitione in genere obiectiuo nego: in genere phyſico directiuo, concedo antecedens. Deinde diſtinguo conſequens. Ergo in hoc ſtatu conditionato *Conſentiret Petrus, ſi vocaretur auxilio A*, non ſolum datur infallibilitas deſumpta ex conſenſu conditionato, ſed præſupponitur alia infallibilitas

litas deſumpta aliunde : præſupponitur abſolutè ; nego : conditionatè : ſub diſtinguo : præſuppoſitione obiectiua, nego: præſuppoſitione in genere phyſico directiuo, concedo conſequentiā, deindeque diſtinguo vltimam illationem. Ergo ea infallibilitas, quæ deſumitur ex conſenſu conditionato non eſt primaria in genere obiectiuo : nego : in genere phyſico directiuo, concedo conſequentiam.

45 Si vero in hac vltima conſequentia, non accipiatur conſenſus conditionatus ſecundum ſe ; ſed reduplicatiuè, vt præuiſus, reſpondendum eſt conſenſum conditionatum reduplicatiuè vt præuiſum eſſe primariam infallibilitatem in genere phyſico, & ſupponere in genere obiectiuo aliam infallibilitatem, nempè conſenſum conditionatum ſecundum ſe. Nam conſenſus conditionatus reduplicatiuè vt præuiſus eſt Scientia Media, quæ & præcedit phyſicè dirigendo, & ſubſequitur obiectiuè conſenſum præuiſum.

45 Obijc. 4. Vt detur infallibilitas de exiſtentia conſenſus abſoluti ex vocatione A. nihil aliud requiritur, quam purificare illam conditionem, ſub qua præuiſus eſt conſenſus futurus. Sed hæc conditio eſt ſolum auxilium, & non Scientia Media : alioqui non eſſet hypotheſis indifferens. Ergo, vt detur infallibilitas de exiſtentia conſenſus abſoluti, nihil aliud requiritur, quam ponere vocationem A. Ergo fruſtrà quæritur alia infallibilitas.

47 Reſpondeo negando maiorem, vel diſtinguendo maioris claritatis gratia. Vt detur Infallibilitas de exiſtentia conſenſus abſoluti ex vocatione A, nihil aliud requiritur, quam purificare illam conditionem, ſub qua præuiſum eſt conſenſum futurum, in ſenſu compoſito illius veritatis conditionalis, & illius præuiſionis : concedo : nihil aliud requiritur, quam purificare illam conditionem, præſcindendo à quocunque alio, nego maiorem. Et conceſſa minori, diſtinguo conſequens. Ergo, vt detur infallibilitas de exiſtentia conſenſus abſoluti, nihil aliud requiritur, quam ponere vocationem A coniunctim cum veritate conditionali, & Scientiâ Mediâ, concedo : ſecundum ſe, nego conſequentiam.

48 Duo hic obſeruanda ſunt. Primum, quod, licet verum ſit quod, ſi ponatur auxilium, nulla intellecta conditione, dabitur conſenſus, falſum tamen eſt: quod nihil aliud requiratur

ratur abſolutè: quia requiritur ipſe conſenſus.: aliud enim eſt nihil aliud requiri vt hypotheſim: aliud valde diuerſum, nihil aliud abſolute requiri. Secundum: (quod etiam obſeruant alij) hoc idem argumentum fieri eadem apparentia contra prædeterminantes. Etenim (iuxta Thomiſtas) ex vi decreti conditionati de conuerſione Tiriorum, ſi videant miracula Chriſti, nō ſolum eſt verum quod *ſi videant, & prædeterminentur, conuertentur*. Sed quod, *ſi videant conuertentur, quia prædeterminabuntur*: imo hac ratione & non alia, decernit Deus. Conficitur ergo idem argumentum eadem vi: Vt detur infallibilitas conuerſionis ex viſione miraculorū Chriſti, nihil aliud requiritur, quam quod purificetur conditio, ſub qua decretata eſt, & præuiſa conuerſio Tiriorum. Sed hæc conditio eſt ſola viſio, & non prædeterminatio ad conuerſionem: alioquin decerneret Deus veritatem neceſſariam, & non contingentem. Ergo, vt detur infallibilitas de abſoluta conuerſione Tiriorum nihil aliud requiritur, quam ponere viſionem miraculorum Chriſti. Ergo fruſtra quæritur alia infallibilitas, vel fundata in prædeterminatione, vel in decreto. Ecce argumentum nobis obiectum; Vtrique eadem ſolutio adhibenda eſt.

SECT. III.

De libertate, & contingentia Prædeſtinationis vbi de Diſcretione prædeſtinati á reprobo.

49 DVplex dubium hic decidendum occurrit. Primum: an prædeſtinatio ſit libera prædeſtinato, & qua ratione? Secundum: an ſit libera Deo, & qua ratione Deo ea libertas contingat: nimirum an Deo ratione ſupremi dominij inſit neceſſario poteſtas proxima, & expedita, quamlibet creaturam rationalem prædeſtinandi. Hæc ſecunda difficultas grauiſsima eſt, & eam non parum impeditam reddidere aliquorum Recentiorum prolixæ meditiones: idcirco integram ſequentem quæſtionem de hac difficultate inſtituemus.

50 Circa libertatem creaturæ reſpectiuè ad ſuam prædeſtinationem, duo poſſunt examinari. Primum: an prædeſtinatio ſecundum ſtrictum prædeſtinationis conceptum, libera ſit prædeſtinato: ita, vt in poteſtate Petri v.g. ſit prædeſtinari, & non prædeſtinari. Secundum: an prædeſtinatus, licet non poſsit adquire-

Digitized by Google

re ſuam Prædeſtinationem, ſaltem diſcernat ſe ipſum á non prædeſtinato?

51 Circa primum dubium, videlicet, vtrum Prædeſtinatio hominis arbitrio ſubijciatur, non difficilis eſt reſolutio, quam aliquibus concluſionibus tradémus.

52 Sit 1. concluſio. Homo, ſuppoſita ſolum indifferentia ad opus bonum, & meritorium, non habet in ſua libertate, neque ſuo ſubijcitur arbitrio, quod prædeſtinetur. Probatur hæc concluſio. Hominem prædeſtinari non dicit ſolum habere auxilia, quibus certiſsimè conſentiet ſalutariter; ſed requiritur vlterius, quod ea auxilia ſint collata ex intentione conſenſus cum prædicto conſenſu connexa. Sed homo ex vi libertatis ad conſenſum ſalutarem, & eius carentiam, non habet poteſtatem comparandi illam intentionem. ſiquidem ex eo, quod homo conſentiat, non infertur Deum eam intentionem habere: quia, vt ſupra probauimus, Deus poteſt conferre auxilium efficax, quin illud conferat ex intentione conſenſus. Ergo homo ex vi libertatis ad conſenſum ſalutarem, & eius carentiam, non habet in ſua libertate quod prædeſtinetur. Ex quo diſcurſu infertur non ſubijci hominis libertati Prædeſtinationem, prout eſt voluntas gloriæ, aut gratiæ habitualis; verum neque prout eſt voluntas intentiua bonæ operationis. Maior huius diſcurſus conſtat ex explicatione definitionis Prædeſtinationis. Minor autem ex dictis, tum quæſt. 5. ſect. 2. vbi probauimus Deum non teneri, dum confert auxilium efficax, illud conferre quia efficax: tum in hac ipſa quæſtione ſect. 1. vbi reiecimus neceſsitatem Prædeſtinationis ad conſequutionem beatitudinis.

53 Sit 2. concluſio. Ad hunc ſpecialem affectum, quo Deus confert auxilia efficacia ex fine boni operis, & conſequutionis beatitudinis, habet homo poteſtatem facta aliqua ſuppoſitione: nempè ſuppoſito quod verum ſit antecedenter quod Deus habiturus ſit hanc intentionem, ſi homo præuideatur conſenſurus per auxilium A. v. g. Probatur hæc concluſio. Homo habens veram poteſtatem determinandi illam Scientiam Mediam, habet ſimiliter poteſtatem coniungendi Scientiam Mediam cum ea veritate: ex qua coniunctione infertur Deum habere illam voluntatem, ſiuê intentionem. Sed qui habet poteſtatem faciendi coniunctionem, ex qua neceſſario infertur aliquod extremum, habet in ſua manu, & poteſtate, illud extremum. Ergo, ſuppoſita ea

59 Sit 1. noſtra concluſio. Diſcretio intrinſeca conſentientis à diſſentiente conſiſtit formaliter in ipſa conſentiendi determinatione, ſeu in ipſomet *conſentire*. Probatur facile. Solum ipſum conſentire datur intrinſecè in homine conſentiente, quod non ſit indifferens ad conſenſum & diſſenſum. Ergo cum *Diſcretio* intrinſeca debeat eſſe intrinſecè in conſentiente, & non indifferens ad diſſenſum: ſolum ipſum conſentire erit intrinſeca *Diſcretio* conſentientis à diſſentiente. Antecedens eſt certum in Societatis doctrina quamlibet phyſicam prædeterminationem, quodlibetque homini intrinſecum præuium, & cum conſenſu connexum, pro viribus reijciente. Ex quo infertur nullam eſſe Diſcretionem intrinſecam diſtinctam ab ipſo *conſentire*.

60 Sit 2. concluſio. Deus omnino perfectè, & integrè diſcernit prædeſtinatum à reprobo, tam in actu primo, quam in actu ſecundo; non vero prædeſtinatus integrè, & completè, diſcernit ſe ipſum. Hæc concluſio probatur. Diſcernere prædeſtinatum à reprobo omnino perfectè, & integrè, eſt eſſe, cui debentur omnia, quæ in negotio Prædeſtinationis interveniunt. Sed Deo; non autem prædeſtinato, debentur omnia, quæ in Prædeſtinatione interveniunt. Ergo Deus; & non qui prædeſtinatur diſcernit omnino perfectè, & integrè prædeſtinatum à reprobo. Maior eſt certa, & conſequentia bona. Minor probatur. Licet creatura ſit cauſa conſenſus conditionati; attamen præparatio omnipotentiæ, & auxilij collatio, ſolum Deo tribuendæ ſunt. Deinde ipſe conſenſus, ſiuè abſolutus, ſiuè conditionatus, Deo etiam tribui debet. Ergo ſoli Deo debentur omnia, quæ in Prædeſtinatione interveniunt. Quod non creaturæ; ſed Deo tribuantur omnipotentiæ applicatio, & collatio, certum eſt: cum hæc duo à ſolo Deo dependeant.

61 Cæterum quod conſenſus etiam conditionatus Deo debeat tribui, probatur: quia in caſu exiſtentiæ hypotheſis conditionatus conſenſus eſt conſenſus abſolutus. Sed conſenſus abſolutus tribui debet Deo; licet non vt determinanti; tamen, & vt ſimul concurrenti, & vt præparanti omnia prærequiſita, prout ſcit congruere ad conſenſum abſolutum. Ergo conſenſus conditionatus, perinde, ac abſolutus, Deo tribuendus eſt in caſu exiſtentiæ hypotheſis. Deinde quia conſenſus conditionatus ea ipſa ratione, qua eſt, dependet à Deo, media hypotheſi, ſub qua exiſteret. Ergo, ſi propter dependentiam conditionatam à libero arbitrio tribuitur libero arbitrio, propter ſimilem dependentiam

efficax, vel aggregatum ex auxilio, & Scientia Media eius efficaciæ. Sed tam illud decretum, quam hoc aggregatum in eſſe inferentis, ſimpliciter eſt à Deo, ſecundum quid à creatura. Ergo prima ratio inferens in vno homine conſenſum, & in altero diſſenſum, ſimpliciter eſt à Deo; & ſecundum quid à creatura. Probatur minor per partes, ad quam reuocatur difficultas.

65 Et in primis quod decretum conferendi auxilium, quia efficax, ſimpliciter ſit à Deo, & ſecundum quid à creatura, facile oſtenditur: quia decretum eſt à Deo vt liberè, & ſimpliciter illud determinante; à creatura vero ſolum eſt vt à non impediente: quod eſt eſſe à creatura ſecundum quid. Ergo eſt ſimpliciter à Deo, & ſecundum quid à creatura. Antecedens eſt certum: quia creatura ſolum poteſt per diſſenſum impedire Scientiam Mediam efficaciæ auxilij, ex qua Scientia dirigitur prædictum decretum; non tamen poteſt per conſenſum determinare Deum ad tale decretum, cum poſsit Deus, vt iam oſtendimus, conferre auxilium efficax, quin illud conferat ex fine conſenſus. Ergo illud decretum ſolum dependet à creatura tanquam à non impediente.

66 Deinde quod complexum ex Scientia Media, & auxilio, in eſſe inferentis conſenſum, ſit ſimpliciter à Deo, & ſecundum quid ſolum à creatura, probatur partes. Et in primis quod ſit ſimpliciter à Deo probatur. Ab eo eſt ſimpliciter complexum aliquod in eſſe inferētis aliud extremum, à quo, ſuppoſita vna parte indifferente ad inferendum, & non inferendum, ponitur alia determinans indifferentiam, quæ ſupponebatur. Sed exiſtente Scientia Media conſenſus, quæ ſe ſola non infert abſolutè conſenſum, Deus pro poſteriori ſimpliciter, & abſolutè ponit decretum, quo conſtituitur complexum in eſſe inferentis conſenſum. Ergo complexum ex Scientia Media efficaciæ, & ex auxilio, vt inferens conſenſum, eſt ſimpliciter à Deo.

67 Quod vero hoc ipſum complexum in eſſe inferentis, ſit aliqua ratione à creatura, probatur. Etſi Scientia Media præſupponatur ad decretum de auxilio in genere phyſico, quatenus Scientia Media conſtituit diuinam libertatem ad concipiendum decretum; hoc non tollit quod auxilium ſupponatur remote ad Scientiam Mediam, quatenus auxilium cauſat conſenſum, qui obiectiuè determinat Scientiam Mediam. Quapropter quē admodum, exiſtente Scientia Media conſenſus ex ſe indifferente ad cōſenſum abſolutum, Deus determinat eam indifferentiam ponendo verè, & realiter auxilium præuiſum efficax: ita exiſtente libertate

hominis, pro cuius libertatis ſigno præſcinditur à Scientia Media, homo libere per conſenſum determinat obiectiuè Scientiam Mediam, per quam determinatur indifferentia auxilij ad inferendum conſenſum, quatenus coniungitur cum auxilio Scientia Media, & conſtituitur complexum antecedens conſenſum abſolutum, & illũ inferens. Ergo aliqua ratione hoc complexum in eſſe inferentis conſenſum, eſt à creatura vt conſentiente.

68 Verum ex duplici titulo hoc complexum, vt inferens conſenſum, non eſt ſimpliciter; ſed ſolum ſecundum quid à creatura. Primo: quia ipſa Scientia Media non propriè eſt à conſenſu: quia ſolum eſt à conſenſu determinatiuè obiectiuè: & hic modus non eſt modus eſſendi ab alio ſimpliciter; ſed ſolum ſecũdum quid: quia quod determinat alterius exiſtentiã ſolũ obiectiuè, non determinat eam exiſtentiã ſimpliciter ſed ſolum ſecundũ quid. Secũdo (quod originem ducit ex eodem principio) quia Scientia Media verè præcedit ad auxilium, cum Deum dirigat ad illud conferendum; at vero auxilium non propriè præcedit ad Scientiam Mediam, quia licet præcedat ad conſenſum; conſenſus tamen non propriè; ſed ſolum impropriè, & ſecundum quid, præcedit ad Scientiam Mediam: hincque deducitur auxilium ſolum ſecundum quid præcedere remotè ad Scientiam. Ex quo infertur Scientiam Mediam non determinare aliquam indifferentiam verè præſuppoſitã; nec conſtituere illud complexum in ſigno verè ſupponente aliquid complexi indifferens: conſequenterque non determinare propriè, & ſimpliciter aliquam indifferentiam, quia nihil præſupponit vera & propria præſuppoſitione.

69 Vnum hic non omittam, videlicet, ipſam Scientiam Mediam eſſe etiam à Deo aliqua ratione: quia Scientia determinatur obiectiuè à conſenſu. Cum autem, tàm conſenſus abſolutus, quàm conditionatus, ſint à Deo, vt ſupra diximus: hinc deducitur ipſam Scientiam Mediam eſſe à Deo.

70 Ex quibus omnibus deducitur Deum diſcernere cõſentientem à diſſentiente in actu primo principalius, quam creaturã. Primò: quia Deus diſcernit integrè, & complete; ſecus creatura. Secundò: quia ſolum ſecundum quid aliqua pars complexi inferentis antecedenter cõſenſum, nempè Scientia Media, eſt à creatura. Tertio: quia Scientia Media, quæ determinatur à creatura, ſolum ſecundum quid præſupponit aliquam indifferentiam, quæ determinanda ſit per Scientiam Mediam.

SECT.

SECT. IV.

Soluuntur obiectiones.

71 OB. 1. D. Paul. 1. ad Corinth. 4. ait: *Quis enim te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Ergo creatura non ſe diſcernit. Reſpondeo in his verbis loqui D. Paulum de diſcretione in actu ſecundo: cumque non negare hominem ſe diſcernere aliqua ratione; ſed ſolum contendere abſolutè, & ſimpliciter, diſcerni à Deo; licet minus præcipuè diſcernat ſe ipſum: quia Deus diſcernit integre, & complete creaturam; ſecus creatura ſe ipſam.

72 Confirmatur hoc ex verbis prællegatis D. Aug. de ſpir. & litt. cap. 34. Nam ex eo ait Paulus hominem non debere gloriari in ſuis operibus, quia nihil habet, quod non acceperit. Sed, iuxta Auguſtinum in prædicto loco, *accipere autem, & habere vtique accipientis, & habentis eſt:* quia anima accipit dona conſentiendo. Ergo iuxta D. Paulum, & Auguſtinum, id ipſum, de quo homo debet non ſe gloriari, eſt hominis liberè conſentientis; licet magis præcipuè ſit Dei. Atqui ea ait D. Paulus Deum diſcernere hominem, hominemque non debere gloriari in ſuis operibus: quia ipſam diſcretionem, & quidquid habet homo, habet à Deo. Ergo ea ratione, qua hominem quidquid habet habere à Deo, non tollit quod hoc ipſum habeat aliqua ratione à ſe, tanquam à conſentiente; ſimiliter quod Deus diſcernat hominem, non tollit quod homo minus præcipuè diſcernat ſe per ſuum conſenſum. Hoc magis adhuc declarabitur ſolutione argumenti ſequentis.

73 Obijcitur 2. idem D. Paulus ad Rom. 9. vbi ait. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Ergo diſcretio prædeſtinati à reprobo non debet tribui homini, ſed Deo. His verbis Pauli etiam vtebatur Caluinus aduerſus humanam libertatẽ, vt notat Ripalda tom. 1. de Ente ſupern. diſp. 30. ſect. 22. Verum omiſſo, an æquiori titulo vtantur aduerſus nos eiſdem verbis præ determinantes.

74 Reſpondeo id aſſerere D. Paulum, quia, licet conſenſus noſter ſalutaris viribus gratiæ ſit; attamen omnia, quæ in Prædeſtinatione continentur, nempè collatio auxilij, & præ-

paratio concurſus, ſolius Dei ſunt: ac ſi diceret: quæ inueniuntur in *Diſcretione* prædeſtinati à reprobo ab initio vocandi vſque ad perfectionem conſentiendi, ſolius Dei totaliter ſunt. In quo ſenſu *Diſcretio* non eſt hominis volentis; ſed Dei miſerentis: quia licet hominis ſit conſentire; non autem vocari, nec habere concurſum omnipotentiæ præparatum.

75 Hæc ſolutio eſt D. Auguſt. in Enchirid. cap. 32. vbi negat diuidi, quæ in Prædeſtinatione interveniunt ita, vt *vocare* ſit Dei, & non hominis, & *conſentire* ſolius hominis, & non Dei; quia, ſi id verum eſſet, quemadmodum quia *vocare* eſt Dei, & non hominis, dicitur eſſe miſerentis Dei, & non hominis volentis; ita etiam quia *conſentire* eſſet hominis, & non Dei, pari iure dici poſſet eſſe hominis volentis, & non Dei miſerentis. Poſtquam igitur hoc argumento vſus eſt D. Auguſtinus, tradens genuinum ſenſum verborum Apoſtoli, hæc habet. *Reſtat vt propterea rectè dictum intelligatur: non volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Ecce quomodo Auguſtinus docet ſolius miſerentis Dei eſſe *Diſcretionem* quatenus ſoli Deo datur totum, quod in Prædeſtinatione reperitur.

76 Obijcitur 3. Auguſtinus lib. de Corrept. & Grat. cap. 7. inter principium, & medium, vbi loquens de Prædeſtinatis ait: *diſcernuntur autem, non meritis ſuis; ſed per gratiam mediatoris.* Ergo omnino negat prædeſtinatum ſe ipſum diſcernere.

77 Conceſſo antecedente: nego conſequentiam. Primo: quia ibi ſolum negat Auguſtinus hominem diſcerni per merita ita ſua, vt non ſint ſimul gratiæ Dei: quia in his, & alijs ſimilibus verbis Pelagianam doctrinam refellebat aſſerentem hominem ſe diſcernere per merita naturæ viribus elicita. Secundo: quia, licet homo per opera ſua, quæ meritoria ſunt, diſcernatur; at verò diſcerni aliquem ſuis meritis, non ſonat præciſè diſcerni per opera ſpecificatiuè meritoria; ſed mereri ſuam diſcretionem, eaque opera meritoria ſuam vim exercere erga diſcretionem. Cũ igitur homo non mereatur ſuam ipſam diſcretionem, ideo dicitur ab Auguſtino hominem non diſcerni ſuis meritis.

78 Tertio reſpondeo, quod licet Auguſtinus neget hominem diſcerni ſuis meritis, hoc non eſt quia homo nulla prorſus ratione ſe diſcernat, adhuc ſecundum quid; ſed quia Deus eſt qui magis præcipuè diſcernit: & hoc ſufficit, vt negetur homini ſe diſcernere; nam frequens eſt etiam in ſcriptura tribui ſoli Deo ali-

Digitized by Google

qua, quæ homines faciunt, ex eo quod ea faciunt ex gratia Dei, & Deus ſit præcipuus author illius operis. Ita 1. ad Timoth. 4. v. 16. tribuitur homini ſe ſaluum facere: ait enim Apoſtolus ad Timoth. *Hoc enim faciens, & te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt*. Et nihilominus Lucæ 18. cum diſcipuli perterriti illis verbis ſaluatoris: *Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum Dei*: interrogarent Dominum. *Et quis poteſt ſaluus fieri*? reſpondit Chriſtus: *quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum*. Et etiam 2. ad Timoth. 2. v. 21. tribuitur homini ſe emundare: *ſi quis ergo emundauerit ſe ab ipſis, erit vas in honorem, &c.* & tamen Iob. 14. v. 4. interrogatur. *Quis poteſt facere mundum de immundo*? Rectè ergo potuit negare hominem ſe diſcernere: quia ſolum ſe diſcernit minus præcipuè, & ex gratia Dei.

79 Ob. 4. Diſcernere conſentientem à diſſentiente eſt determinare illum, vt ſit conſentiens. Sed Deus non determinat conſentientem, vt ſit conſentiens: Ergo non diſcernit. Reſpondeo Deum non determinare formaliter conſentientem; determinare tamen illatiuè: quia licet decretum auxiliorum ſit indifferens; ex ſuppoſitione tamen Scientiæ Mediæ de conſenſu ſub auxilio A, ponendo per decretum indifferens auxilium A. determinat Deus coniunctum ex Scientia Media conſenſus ſub auxilio A, & ex ipſo auxilio A: quod coniunctum infert infallibiliter conſenſum.

80 Ob. 5. Deus per aliquod ſuum decretum diſcernit prædeſtinatum à reprobo. Non per aliud, quam per prædeterminans. Ergo per prædeterminans. Minor probatur. Quodlibet decretum diſtinctum à prædeterminante eſt indifferens. Sed non diſcernit conſentientem à diſſentiente per decretum indifferens ad conſentire, & diſſentire. Ergo diſcernit per decretum prædeterminans.

81 Reſpondeo 1. Negando minorem primi ſyllogiſmi. Et ad huius probationem: nego maiorem, videlicet omne decretum non prædeterminans eſſe indifferens: quia prædefinitio efficax conſenſus per auxilium, ſiuè collatio auxilij A ex fine efficaciæ efficaciter amato, dummodo dirigantur Scientia Media, connectuntur cum conſenſu, vt conſtat ex ſupra dictis: & tamen non ſunt decreta prædeterminantia.

82 Reſpondeo ſecundo: admittendo gratis decretum non prædeterminans debere eſſe indifferens; negando tamen Deũ non diſcernere per decretum indifferens. Etenim Deus per decre-

tum

tum indifferens, & diſcernit in actu ſecundo, & in actu primo. In actu ſecundo : quia totum, quod intervenit in diſcretione in actu ſecundo, eſt à Deo : ſiquidem ſufficit decretum indifferens, dum modo ſit cum intentione, ſaltem inefficaci conſenſus, vt conſenſus tribuatur Deo. Ex alia parte tota poteſtas prouenit à Deo. Ergo non requiritur decretum connexum, vt Deus diſcernat in actu ſecundo conſentientem à diſſentiente.

83 Deinde etiam determinat in actu primo: tum quia Deo tribuitur quidquid eſt in diſcretione in actu primo. Tũ: quia exiſtẽte Scientia Media, Deus per decretũ indifferens ponendo auxiliũ, cõplet cõplexum ex Scientia Media, & auxilio, quod cõplexũ, & præcedit ad cõſenſum, & cum illo intrinſecè connectitur. Et hoc, vt iam ſæpè diximus, ſufficit, vt Deus diſcernat in actu primo.

84 Tãdem aduerto duplicem poſſe, & ſolere diſtingui diſcretionem, & efficaciã in actu primo: aliã conſiſtentem in auxilio, & Scientia Media conſenſus, aliã in auxilio, & veritate conditionata, ſeu in futuritione conditionata conſenſus. Inter has hoc procedit diſcrimen. Complexum ex auxilio, & Scientia Media, verè, & propriè eſt diſcretio, & efficacia in actu primo phyſico, & influxiuo : quia reuera hoc complexum diſtinguitur a conſenſu, cum illo connectitur, & in illum influit : remotè quidem Scientia Media, proximè vero auxilium indifferens.

85 At vero complexum ex auxilio, & conſenſu conditionato, ſolum Logicè eſt diſcretio, & efficacia in actu 1. quia conſenſus conditionatus pro caſu auxilij eſt conſenſus abſolutus, quapropter verè, & realiter non conſtituit ſignum prius. Cæterum noſtro modo concipiendi apprehenditur futurũ cõditionatũ, adhuc in caſu hypotheſis, admodũ præcedentis, quod ſufficit ad prioritatem Logicam : & licet hoc coniunctum præcedat obiectiuè ad Scientiam Mediam, hoc non tollit quod Scientia Media ſit prior in genere phyſico, vt ſæpè diximus.

QVÆST. XVI.

Vtrum repugnet creatura, quæ omnibus auxilijs diſſenſura, vel quæ omnibus conſenſura præuideatur?

SEmel admiſſa creatura, quæ nulli auxilio indifferenti ſit conſenſura,

ſura, infertur non repugnare creaturam, quã Deus non poſsit proxime pro ſuo arbitrio prædeſtinare ad gloriam per merita omnino libera. Pari ratione, ſi creatura ſit, quæ nulli auxilio diſſenſura prævideatur, eam Deus proximè non poterit reprobare, aut deſerere; ita vt in peccatum prolabatur. Vtrumque putant abſurdum, non modò prædeterminantes; verumetiam aliqui ex noſtris. Id circo conſtanter defendunt eas creaturas penitus eſſe repugnantes: cum ea cum hac repugnantia componi doctrinam Societatis negantem determinationem diuinam penitus antecedentem noſtrũ liberum conſenſum. Alij Societatis authores eas creaturas arbitrantur poſsibiles: imò ex Societatis doctrina earum poſsibilitatem inferri: conſentaneeque negant aliquod, vel leue, abſurdum ex earum poſsibilitate deduci. Hoc ergo dubium hac quæſtione examinabimus.

SECT. I.

Status quæſtionis proponitur.

1 PLurium Authorum ſententia eſt ſufficere ad laudabilitatem, & meritum, libertatem ad actus ex obiecto honeſtos omnino æquales, ſiuè hi actus ſint omnino ſimiles, vt volunt antiquiores: ſiuè diſsimiles, vt ad laudabilitatem exigunt RR. Alij vero negantes meritum, & laudabilitatem reperiri cum libertate ſolum ad actus æquales omnino in honeſtate, & perfectione: meritum, & laudabilitatem concedunt actui honeſto elicito cum libertate ad actus inæquales; licet ſint infiniti perfectiores, & perfectiores: ita vt neque vllus ſit omnium perfectiſsimus, neque aliquis, infra quem non detur alius minus perfectus. Ex quo deducunt poſſe aliquem neceſsitari ad operandum laudabiliter; quia poteſt neceſsitari vage ad aliquem ex his actibus. Cum autem quilibet habeat infra ſe alium minus perfectũ: inde fiet ſemper laudabiliter operaturum, ſemper enim eliciat actum potens elicere alium minus perfectum. Et hac ratione tenent Chriſtum Dominum neceſsitatum fuiſſe ad merendum, Deumque eſſe neceſsitatum ad laudabiliter operandum.

2 Hæc doctrina mihi propter plures rationes, quas tractatu de volũtate expẽdo, vera non eſt. Modo vero ab ea præſcindimus. Quidquid ergo ſit de hoc genere meriti, & laudabilitatis; de alio cõmuniori præſens quæſtio inſtituitur; videlicet, de laudabilitate

con-

conſtituta per libertatem, quæ nullo modo ſit neceſsitas, adhuc vaga, bene operandi; ſed indifferentia plena, & abſoluta. Vtrum, nimirum, poſsibilis ſit creatura, quæ præuideatur diſſenſura omnibus auxilijs, quæ eam relinquant indifferentem ad bene, & non bene operandum. V. g. Vtrum poſsibilis ſit aliqua creatura, de qua præuideat Deus reddituram inefficax quodlibet auxilium, per quod vocetur ad pœnitentiam cum indifferentia ad pœnitendum, & non pœnitendum. Quo dato, verum erit Deum proxime non poſſe eam creaturam conuertere, nec vocare efficaciter ad pœnitentiam per vocationem, quæ eam creaturam ad pœnitendum, & non pœnitendum indifferentem relinquat.

3 Similiter, ſi poſsibilis ſit creatura, quæ nulli auxilio ſit diſſenſura; ſed cuilibet conſenſura præuideatur: verum erit non proxime poſſe Deum eam reprobare, aut deſerere; cum nullum ſit Deo auxilium, cui ea creatura, ſi ei conferatur, ſit diſſenſura. Poterit quidem Deus eam non vocare: non tamen poterit diſſentiendi peccatum ei permittere, cum nullum ſit auxilium, quod non ſit efficax reſpectu illius.

4 Præterea ſupponendum eſt auxilia indifferentia eſſe ſint cathegorematicè infinita: nam, ſi finita ſint, certum debet eſſe non repugnare creaturam omnibus auxilijs diſſenſuram; ſed potius neceſſario concedendam eſſe eius poſsibilitatem: alioqui tolleretur in aliquo caſu libertas diſſentiendi: nam ſuppoſito quod numerus auxiliorum finitus ſit: v. g. octo, & quod ſit impoſsibile ea octo auxilia fore inefficacia: rurſus rogo; vel poſſunt eſſe inefficacia ſeptem, vel ſolum ſex, & ſic de alijs numeris. Si, tametſi omnia octo inefficacia eſſe non poſint; poſint nihilominus ſeptem eſſe inefficacia: tunc igitur ſupponamus ſeptem auxilia diſtincta ab auxilio A efficacia eſſe, & in ſenſu compoſito inefficaciæ horum ſeptem auxiliorum, quæ ab A. diſtinguntur, conferri auxilium A. In hoc, inquam, caſu ea creatura non poterit diſſentire: quia neque poteſt diſſentire in ſenſu compoſito inefficaciæ aliorum ſeptem auxiliorum: hoc enim eſſet omnia octo eſſe inefficacia, quod chimericum, & repugnans eſſe ſupponimus; neque in ſenſu diuiſo: cum inefficacia auxiliorum, quæ non conferuntur, nequeat impediri per aliud auxilium illud reddendo inefficax. Ergo abſolute in illo caſu non poſſet ea voluntas auxilio A. diſſentire. Si vero non ſeptem ſed ſolum ſex poſint eſſe ſimul inefficacia. Ergo ex ſuppoſitione inefficaciæ aliorum auxiliorum, quæ diſtinguuntur ab A, & B. nequit conferri neque A, neque B, quin auferatur poteſtas diſſentiendi: alioqui;

qui; ſi diſſentiret voluntas auxilio A, vel B; iam non modò ſex, ſed ſeptem auxilia forent inefficacia, quod ſupponitur repugnans.

5 Dicendum ergo eſt, vt maneat quæſtioni locus, auxilia eſſe infinita: debereque (ſi repugnet creatura omnibus diſſenſura, aut omnibus conſenſura) eſſe infinita inefficacia, infinitaque efficacia. Quapropter nunquam poterit perveniri ad caſum, in quo omnia ſint inefficacia præter aliquod, vel præter aliqua finita: quia hoc eſt contra ipſam concluſionem de infinitate efficacium, & inefficacium.

6 Denique ſupponendum eſt ſenſum quæſtionis minime eſſe: an repugnet creatura omnibus auxilijs diſſenſura ſimul collatis: conferri enim ſimul omnia auxilia verius eſt repugnare, & admiſſa non repugnantia, forſam libertas auferretur: quia licet voluntas poſsit reſiſtere cuilibet ſeorſim non tamen collectioni omnium ſicuti vires, quæ ſufficiunt ad quamlibet vnicam libram, non ſufficit ad pondus collectionis mille librarum. Queſtio ergo noſtra non loquitur de ſimultate auxiliorum omnium exiſtentium in voluntate; ſed de ſimultate inefficaciæ omnis auxilij ſeorſim accepti, omniſque libertatis ſeorſim ſumptæ. Quemadmodum enim repugnat ſimul exiſtere Petrum, & eius carentiam, ſimul tamen datur poſsibilitas vtriuſque extremi, vt diuiſim ab alio extituri: ita in noſtro caſu dubitatur, quidquid ſit de coexiſtentia omnium auxiliorum: an poſsit eſſe ſimul verum auxilium A. collatum diuiſsim ab alio conſtituente aliam libertatem, fore inefficax, & auxilium B. collatum ſimiliter diuiſim ab alia libertate, fore inefficax, & ſic de omnibus libertatibus: ita vt detur ſimultas omnium veritatum conditionalium de diſſenſu ſub qualibet libertate ſeorſim acceptæ: adeo, vt in Deo nulla ſit Scientia Media efficaciæ alicuius auxilij indifferentis. Et idem, quod inquiritur de ſimultate inefficaciæ, quæritur ſimiliter de ſimultate efficaciæ.

7 Sententiam aſſerentem implicare creaturam omnibus auxilijs diſſenſuram (idemque videtur eſſe de creatura omnibus conſenſura) tenent P. Ruiz de Montoya tom. de prouidentia ſect. 4. num. 9. & alijs in locis. Pater Tannerus 1. 2. diſp. 6. q. 2. numer. 10. vbi pro hac ſententia refert Illuſtriſsimum Maſcarennas. P. Coninch diſp. 17. de Incarnat. num. 36. P. Antonius Perez 1. p. pag. 363. à num. 78. & alibi. Cardinalis Sforzia Palauicinus 1. 2. diſp. 6. quæſt. 2. art. 6. & lib. de actibus cap. 6. de Gratia à num. 109. P. Eſparza 1. p. quæſt. 34. art. 1. & 2. P. Bernal diſp. 16. num. 20. P. Requeſenius 1. 2. diſp. 12. num. 135. & obiter in tract. de

Incar-

Incarnatione. P. Puente, Hurtado diſp. 14. num. 7. & 9. quibus cõſentiunt plures ex RR. Adducitur etiam pro hac ſententia P. Suarez tom. 2. de Gratia lib. 5. cap. 14 à num. 9. verum ipſe Suarez lib. 1. de Prædeſt. cap. 7. à num. 15. oppoſitum perſpicue docet; quare cenſendum eſt tomo de Gratia non de impoſsibilitate metaphyſica; ſed ſolum de morali loquutum fuiſſe.

8 Contrariam ſententiam, nempe, non repugnare creaturam omnibus auxilijs diſſenſuram, nec creaturam omnibus conſenſuram, defendunt P. Albertinus ſæpe in ſuo quinto principio Philoſophico, maxime corollario 3. num. 16. F. Herice 1. p. tract. 3. diſp. 22. à num. 18. P. Arriaga diſp. 35. ſect. 1. num. 5. P. Amicus diſp. 12. de Scientia num. 221. P. Aldrete diſp. 70. de Incarnat. ſect. 3. num. 5. Quibus ex profeſſo ſubſcribit P. Antonius de Quiros 1. p. diſp. 6. de Prædeſtinatione per totam, aſſerens, in ſuper hanc inter ſocietatis Authores communiorem eſſe ſententiam.

SECT: II.

Eligitur, & probatur hæc ſecunda ſententia.

9 EA eſt non repugnare metaphyſicè dari aliquam craturam v.g. Petrum, qui præuideatur cuilibet auxilio diſſenſurus, ita, vt reſpectu illius nullum Deus auxilium efficax cognoſcat; ſed potius videat quodlibet auxilium, ſi ei conferatur, inefficax fore reddendũ: cõſequenterque repugnans metaphyſice non eſt Deum non habere in toto poſsibilium auxiliorum cumulo aliquod, quo proxime poſsit illum conuertere. Idem dicendum eſt de non repugnantia creaturæ cuilibet auxilio conſenſuræ.

10 Probatur hæc concluſio. Neceſsitas vaga efficaciæ alicuius auxilij conſtituentis proximam libertatem ad cõſenſum, & diſſenſum, pugnat cum natura libertatum, quæ per ea auxilia cõſtituuntur. Ergo prædicta neceſsitas vaga implicatoria eſt. Probatur antecedens. De ratione aliarum libertatum eſt quod qualibet ſit libertas proxima, & vera ad conſenſum, & diſſenſum; & etiam quod ſint diuerſæ realiter libertates, præſcindendo ab earum determinationibus. Sed neceſsitas vaga efficaciæ alicuius auxilij cõſtituentis proximam libertatem ad conſenſum, & diſſenſum, pugnat cum his prædicatis. Ergo prædicta neceſsitas vaga pugnat cũ natura libertatum, quæ per ea auxilia conſtituuntur. Conſequentia eſt bona, & maior certa: nam hic ſub nomine auxilij proximam libertatem integram intelligimus; eſt enim quæſtio vtrum repugnet, nec ne, voluntas, quæ præuideatur diſſenſura ſub qualibet

liber-

libertate: ita vt non ſit Deus proxime potens eam conſtituere liberam libertate coniungenda cum conſenſu: conſequenterque Deus non ſit liber proximè, & expeditè ad eam voluntatem liberè flectendam ad conſenſum.

11 Minor igitur, in qua conſiſtit difficultas, nempe, neceſſitatem vagam metaphyſicam conſenſus liberè conditionati futuri pugnare cum diuerſitate earum libertatum, probatur. Intelligi quamlibet libertatem indifferentem proximè ad diſſenſum, vel vt abſolutè, vel vt conditionatè futurum in ſenſu compoſito quarumlibet determinationum conditionalium, etiam collectiuè ſumptarum ſub alijs libertatibus, eſt intelligi poteſtatem coniungendi diſſenſum, vt conditionatè futurum ſub libertate A. cum diſſenſu vt conditionatè futuro ſub quolibet auxilio. Sed eo ipſo, quod intelligatur diuerſitas libertatum, intelligitur qualibet libertas proximè potens ad diſſenſum, vt conditionatè futurum in ſenſu compoſito quarumlibet determinationum conditionalium, etiam collectiuè ſumptarum ſub alijs libertatibus. Ergo intellecta diuerſitate libertatum intelligitur poteſtas coniungendi diſſenſum conditionatè futurum ſub libertate A. cum diſſenſu, vt conditionatè futuro ſub qualibet alia libertate. Conſequentia eſt legitima, & maior certa. Minor probatur. Intellecta diuerſitate earum libertatum, intelligitur exercitia conditionata aliarum libertatū diſtinctarum à libertate A. impertinenter ſe habere ad exercitium ſiuè abſolutum, ſiuè conditionatum libertatis A; ſed libertas A. coniungere poſſet ſuum exercitium cum eo, quod impertinenter ſe habet ad illud. Ergo intellecta diuerſitate earum libertatum, intelligitur libertas A (& idem intellige de qualibet alia libertate) potens coniungere quodlibet ſuum exercitium cum quibuslibet exercitijs conditionatis aliarum libertatum. Conſequentia eſt bona, & minor certa: nam id, cum quo non poteſt coniungi A, non ſe habet impertinenter; ſed repugnanter ad A.

12 Maiorem igitur probo. Exercitium conditionatū vnius libertatis proximæ, & immediatæ, non habet ordinem prioris, aut poſterioris, cum exercitio immediato alterius libertatis. Etenim, ſi libertas A. per ſuum exercitium, v.g. per liberū conſenſum, præcederet neceſſario ad exercitium immediatè liberū libertati A, vel ê conuerſo: tunc, vel præcederet determinando: quod eſt abſurdū: vel conſtituendo poteſtatē proximam ſe determinandi; &, ſi hac ratione præcederet, fieret quod per diſſenſum libertatis A tolleretur poteſtas immediata libertatis B. cōſequēterque liberta-

tem

libilitas deſumpta ex conſenſu conditionato; ſed præſupponitur alia deſumpta aliunde, & conſequenter non eſt primaria infallibilitas, ea, quæ deſumitur ex conſenſu conditionato.

41 Pro reſponſione noto duplici modo poſſe intelligi quod aliqua ratio ſit primaria: vel primaria in genere phyſico, vel primaria in genere obiectiuo. Eſſe rationem primariam in genere phyſico, eſt quod phyſicê non ſupponat aliam; ſed præſupponatur ad rationem, quæ dicitur ſecundaria præſuppoſitione phyſica. Eſſe rationem primariam in genere obiectiuo, eſt quod ea ratio non præſupponat aliam determinantem in genere obiecti; ſed potius obiectiuè præſupponatur ad eam, reſpectu cuius primaria eſt in genere obiectiuo.

42 Hac ratione ſe habent inter ſe conſenſus, & Scientia vt coniuncta cum auxilio. Nam Scientia eſt primaria ratio infallibilitatis in genere phyſico: ſiquidem in genere phyſico non ſupponit aliam rationem infallibilitatis, & in genere phyſico præcedit ad quamlibet aliam infallibilitatem, quatenus dirigit ad poſitionem auxilij cauſantis conſenſum. Deinde conſenſus abſolutus eſt primaria ratio in genere obiectiuo certitudinis, & infallibilitatis: nam præcedit obiectiuè ad omnem aliam infallibilitatem: & nulla alia infallibilitas præcedit obiectiuè ad conſenſum.

43 Deinde aduertendũ eſt quod ſicut ad conſenſum abſolutum præcedit phyſicè abſolutè in genere directiuo Scientia Media, ita ad conſenſum cõditionatũ præcedit conditionatè eadem Scientia Media: hoc eſt, quẽ admodũ conſenſus conditionatus eſt conſenſus, qui foret: ita hæc præcedentia conditionata, non eſt quod præcedat abſolutè alia Scientia Media reflexa; ſed quod ipſa Scientia Media directa præcederet caſu, quo purificaretur hypotheſis, ſub qua foret conſenſus. His ſuppoſitis.

44 Ad argumentum propoſitum reſpondeo in forma: diſtinguendo maiorem. In hoc ſtatu abſoluto: *Conſentit Petrus, ſub auxilio A* non ſolum datur infallibilitas deſumpta ex conſenſu abſoluto; ſed præſupponitur alia infallibilitas ex conſenſu, vt præuiſo per Scientiam Mediam: præſuppoſitione in genere obiectiuo nego: in genere phyſico directiuo, concedo antecedens. Deinde diſtinguo conſequens. Ergo in hoc ſtatu conditionato *Conſentiret Petrus, ſi vocaretur auxilio A*, non ſolum datur infallibilitas deſumpta ex conſenſu conditionato, ſed præſupponitur alia infallibilitas

litas deſumpta aliunde: præſupponitur abſolutè, nego: conditionatè: ſub diſtinguo: præſuppoſitione obiectiua, nego: præſuppoſitione in genere phyſico directiuo, concedo conſequentiā, deindeque diſtinguo vltimam illationem. Ergo ea infallibilitas, quæ deſumitur ex conſenſu conditionato non eſt primaria in genere obiectiuo: nego: in genere phyſico directiuo, concedo conſequentiam.

45 Si vero in hac vltima conſequentia, non accipiatur conſenſus conditionatus ſecundum ſe; ſed reduplicatiuè, vt præuiſus, reſpondendum eſt conſenſum conditionatum reduplicatiuè vt præuiſum eſſe primariam infallibilitatem in genere phyſico, & ſupponere in genere obiectiuo aliam infallibilitatem, nempè conſenſum conditionatum ſecundum ſe. Nam conſenſus conditionatus reduplicatiuè vt præuiſus eſt Scientia Media, quæ & præcedit phyſicè dirigendo, & ſubſequitur obiectiuè conſenſum præuiſum.

46 Obijc. 4. Vt detur infallibilitas de exiſtentia conſenſus abſoluti ex vocatione A. nihil aliud requiritur, quam purificare illam conditionem, ſub qua præuiſus eſt conſenſus futurus. Sed hæc conditio eſt ſolum auxilium, & non Scientia Media: alioqui non eſſet hypotheſis indifferens. Ergo, vt detur infallibilitas de exiſtentia conſenſus abſoluti, nihil aliud requiritur, quam ponere vocationem A. Ergo fruſtrà quæritur alia infallibilitas.

47 Reſpondeo negando maiorem, vel diſtinguendo maioris claritatis gratia. Vt detur infallibilitas de exiſtentia conſenſus abſoluti ex vocatione A, nihil aliud requiritur, quam purificare illam conditionem, ſub qua præuiſum eſt conſenſum futurum, in ſenſu compoſito illius veritatis conditionalis, & illius præuiſionis: concedo: nihil aliud requiritur, quam purificare illam conditionem, præſcindendo à quocunque alio, nego maiorem. Et conceſſa minori, diſtinguo conſequens. Ergo, vt detur infallibilitas de exiſtentia conſenſus abſoluti, nihil aliud requiritur, quam ponere vocationem A coniunctim cum veritate conditionali, & Scientiâ Mediâ, concedo: ſecundum ſe, nego conſequentiam.

48 Duo hic obſeruanda ſunt. Primum, quod, licet verum ſit quod, ſi ponatur auxilium, nulla intellecta conditione, dabitur conſenſus, falſum tamen eſt: quod nihil aliud requiratur

ratur abſolutè: quia requiritur ipſe conſenſus: aliud enim eſt nihil aliud requiri vt hypotheſim: aliud valde diuerſum, nihil aliud abſolute requiri. Secundum: (quod etiam obſeruant alij) hoc idem argumentum fieri eadem apparentia contra prædeterminantes. Etenim (iuxta Thomiſtas) ex vi decreti conditionati de conuerſione Tiriorum, ſi videant miracula Chriſti, nō ſolum eſt verum quod *ſi videant, & prædeterminentur, conuertentur*. Sed quod, *ſi videant conuertentur, quia prædeterminabuntur*: imo hac ratione & non alia, decernit Deus. Conficitur ergo idem argumentum eadem vi: Vt detur infallibilitas conuerſionis ex viſione miraculorū Chriſti, nihil aliud requiritur, quam quod purificetur conditio, ſub qua decretata eſt, & præuiſa conuerſio Tiriorum. Sed hæc conditio eſt ſola viſio, & non prædeterminatio ad conuerſionem: alioquin decerneret Deus veritatem neceſſariam, & non contingentem. Ergo, vt detur infallibilitas de abſoluta conuerſione Tiriorum nihil aliud requiritur, quam ponere viſionem miraculorum Chriſti. Ergo fruſtra quæritur alia infallibilitas, vel fundata in prædeterminatione, vel in decreto. Ecce argumentum nobis obiectum. Vtrique eadem ſolutio adhibenda eſt.

SECT. III.

De libertate, & contingentia Prædeſtinationis vbi de Diſcretione prædeſtinati á reprobo.

49 DVplex dubium hic decidendum occurrit. Primum: an prædeſtinatio ſit libera prædeſtinato, & qua ratione? Secundum: an ſit libera Deo, & qua ratione Deo ea libertas contingat: nimirum an Deo ratione ſupremi dominij inſit neceſſario poteſtas proxima, & expedita, quamlibet creaturam rationalem prædeſtinandi. Hæc ſecunda difficultas grauiſsima eſt, & eam non parum impeditam reddidere aliquorum Recentiorum prolixæ meditiones: idcirco integram ſequentem quæſtionem de hac difficultate inſtituemus.

50 Circa libertatem creaturæ reſpectiuè ad ſuam prædeſtinationem, duo poſſunt examinari. Primum: an prædeſtinatio ſecundum ſtrictum prædeſtinationis conceptum, libera ſit prædeſtinato: ita, vt in poteſtate Petri v.g. ſit prædeſtinari, & non prædeſtinari. Secundum: án prædeſtinatus, licet non poſsit adquire-

re ſuam Prædeſtinationem, ſaltem diſcernat ſe ipſum à non prædeſtinato?

51 Circa primum dubium, videlicet, vtrum Prædeſtinatio hominis arbitrio ſubijciatur, non difficilis eſt reſolutio, quam aliquibus concluſionibus trademus.

52 Sit 1. concluſio. Homo, ſuppoſita ſolum indifferentia ad opus bonum, & meritorium, non habet in ſua libertate, neque ſuo ſubijcitur arbitrio, quod prædeſtinetur. Probatur hæc concluſio. Hominem prædeſtinari non dicit ſolum habere auxilia, quibus certiſsimè conſentiet ſalutariter; ſed requiritur vlterius, quod ea auxilia ſint collata ex intentione conſenſus cum prædicto conſenſu connexa. Sed homo ex vi libertatis ad conſenſum ſalutarem, & eius carentiam, non habet poteſtatem comparandi illam intentionem. ſiquidem ex eo, quod homo conſentiat, non infertur Deum eam intentionem habere: quia, vt ſupra probauimus, Deus poteſt conferre auxilium efficax, quin illud conferat ex intentione conſenſus. Ergo homo ex vi libertatis ad conſenſum ſalutarem, & eius carentiam, non habet in ſua libertate quod prædeſtinetur. Ex quo diſcurſu infertur non ſubijci hominis libertati Prædeſtinationem, prout eſt voluntas gloriæ, aut gratiæ habitualis; verum neque prout eſt voluntas intentiua bonæ operationis. Maior huius diſcurſus conſtat ex explicatione definitionis Prædeſtinationis. Minor autem ex dictis, tum quæſt. 5. ſect. 2. vbi probauimus Deum non teneri, dum confert auxilium efficax, illud conferre quia efficax: tum in hac ipſa quæſtione ſect. 1. vbi reiecimus neceſsitatem Prædeſtinationis ad conſequutionem beatitudinis.

53 Sit 2. concluſio. Ad hunc ſpecialem affectum, quo Deus confert auxilia efficacia ex fine boni operis, & conſequutionis beatitudinis, habet homo poteſtatem facta aliqua ſuppoſitione: nempè ſuppoſito quod verum ſit antecedenter quod Deus habiturus ſit hanc intentionem, ſi homo præuideatur conſenſurus per auxilium A. v. g. Probatur hæc concluſio. Homo habens veram poteſtatem determinandi illam Scientiam Mediam, habet ſimiliter poteſtatem coniungendi Scientiam Mediam cum ea veritate: ex qua coniunctione infertur Deum habere illam voluntatem, ſiuè intentionem. Sed qui habet poteſtatem faciendi coniunctionem, ex qua neceſſario infertur aliquod extremum, habet in ſua manu, & poteſtate, illud extremum. Ergo, ſuppoſita ea

59 Sit 1. noſtra concluſio. Diſcretio intrinſeca conſentientis à diſſentiente conſiſtit formaliter in ipſa conſentiendi determinatione, ſeu in ipſomet *conſentire*. Probatur facile. Solum ipſum conſentire datur intrinſecè in homine conſentiente, quod non ſit indifferens ad conſenſum & diſſenſum. Ergo cum *Diſcretio* intrinſeca debeat eſſe intrinſecè in conſentiente, & non indifferens ad diſſenſum: ſolum ipſum conſentire erit intrinſeca *Diſcretio* conſentientis à diſſentiente. Antecedens eſt certum in Societatis doctrina quamlibet phyſicam prædeterminationem, quodlibetque homini intrinſecum præuium, & cum conſenſu connexum, pro viribus reiciente. Ex quo infertur nullam eſſe Diſcretionem intrinſecam diſtinctam ab ipſo *conſentire*.

60 Sit 2. concluſio. Deus omnino perfectè, & integrè diſcernit prædeſtinatum à reprobo, tam in actu primo, quam in actu ſecundo; non vero prædeſtinatus integré, & completé, diſcernit ſe ipſum. Hæc concluſio probatur. Diſcernere prædeſtinatum à reprobo omnino perfectè, & integré, eſt eſſe, cui debentur omnia, quæ in negotio Prædeſtinationis interveniunt. Sed Deo; non autem prædeſtinato, debentur omnia, quæ in Prædeſtinatione interveniunt. Ergo Deus; & non qui prædeſtinatur diſcernit omnino perfectè, & integré prædeſtinatum à reprobo. Maior eſt certa, & conſequentia bona. Minor probatur. Licet creatura ſit cauſa conſenſus conditionati; attamen præparatio omnipotentiæ, & auxilij collatio, ſolum Deo tribuendæ ſunt. Deinde ipſe conſenſus, ſiuè abſolutus, ſiuè conditionatus, Deo etiam tribui debet. Ergo ſoli Deo debentur omnia, quæ in Prædeſtinatione interveniunt. Quod non creaturæ; ſed Deo tribuantur omnipotentiæ applicatio, & collatio, certum eſt: cum hæc duo à ſolo Deo dependeant.

61 Cæterum quod conſenſus etiam conditionatus Deo debeat tribui, probatur: quia in caſu exiſtentiæ hypotheſis conditionatus conſenſus eſt conſenſus abſolutus. Sed conſenſus abſolutus tribui debet Deo; licet non vt determinanti; tamen, & vt ſimul concurrenti, & vt præparanti omnia prærequiſita, prout ſcit congruere ad conſenſum abſolutum. Ergo conſenſus conditionatus, perinde, ac abſolutus, Deo tribuendus eſt in caſu exiſtentiæ hypotheſis. Deinde quia conſenſus conditionatus ea ipſa ratione, qua eſt, dependet à Deo media hypotheſi, ſub qua exiſteret. Ergo ſi propter dependentiam conditionatam à libero arbitrio tribuitur libero arbitrio, propter ſimilem dependentiam

efficax, vel aggregatum ex auxilio, & Scientia Media eius efficaciæ. Sed tam illud decretum, quam hoc aggregatum in eſſe inferentis, ſimpliciter eſt à Deo, ſecundum quid à creatura. Ergo prima ratio inferens in vno homine conſenſum, & in altero diſſenſum, ſimpliciter eſt à Deo; & ſecundum quid à creatura. Probatur minor per partes, ad quam reuocatur difficultas.

65 Et in primis quod decretum conferendi auxilium, quia efficax, ſimpliciter ſit à Deo, & ſecundum quid à creatura, facile oſtenditur: quia decretum eſt à Deo vt liberè, & ſimpliciter illud determinante; à creatura vero ſolum eſt vt à non impediente: quod eſt eſſe à creatura ſecundum quid. Ergo eſt ſimpliciter à Deo, & ſecundum quid à creatura. Antecedens eſt certum; quia creatura ſolum poteſt per diſſenſum impedire Scientiam Mediam efficaciæ auxilij, ex qua Scientia dirigitur prædictum decretum; non tamen poteſt per conſenſum determinare Deum ad tale decretum, cum poſſit Deus, vt iam oſtendimus, conferre auxilium efficax, quin illud conferat ex fine conſenſus. Ergo illud decretum ſolum dependet à creatura tanquam à non impediente.

66 Deinde quod complexum ex Scientia Media, & auxilio, in eſſe inferentis conſenſum, ſit ſimpliciter à Deo, & ſecundum quid ſolum à creatura, probatur partes. Et in primis quod ſit ſimpliciter à Deo probatur. Ab eo eſt ſimpliciter complexum aliquod in eſſe inferētis aliud extremum, à quo, ſuppoſita vna parte indifferente ad inferendum, & non inferendum, ponitur alia determinans indifferentiam, quæ ſupponebatur. Sed exiſtente Scientia Media conſenſus, quæ ſe ſola non infert abſolutè conſenſum, Deus pro poſteriori ſimpliciter, & abſolutè ponit decretum, quo conſtituitur complexum in eſſe inferentis conſenſum. Ergo complexum ex Scientia Media efficaciæ, & ex auxilio, vt inferens conſenſum, eſt ſimpliciter à Deo.

67 Quod vero hoc ipſum complexum in eſſe inferentis, ſit aliqua ratione à creatura, probatur. Etſi Scientia Media præſupponatur ad decretum de auxilio in genere phyſico, quatenus Scientia Media conſtituit diuinam libertatem ad concipiendum decretum; hoc non tollit quód auxilium ſupponatur remote ad Scientiam Mediam, quatenus auxilium cauſat conſenſum, qui obiectiuè determinat Scientiam Mediam. Quapropter quē admodum, exiſtente Scientia Media conſenſus ex ſe indifferente ad cōſenſum abſolutum, Deus determinat eam indifferentiam ponendo verè, & realiter auxilium præuiſum efficax: ita exiſtente libertate

hominis, pro cuius libertatis ſigno præſcinditur à Scientia Media, homo libere per conſenſum determinat obiectiuè Scientiam Mediam, per quam determinatur indifferentia auxilij ad inferendum conſenſum, quatenus coniungitur cum auxilio Scientia Media, & conſtituitur complexum antecedens conſenſum abſolutum, & illũ inferens. Ergo aliqua ratione hoc complexum in eſſe inferentis conſenſum, eſt à creatura vt conſentiente.

68 Verum ex duplici titulo hoc complexum, vt inferens conſenſum, non eſt ſimpliciter; ſed ſolum ſecundum quid à creatura. Primo: quia ipſa Scientia Media non propriè eſt à conſenſu: quia ſolum eſt à conſenſu determinatiuè obiectiuè: & hic modus non eſt modus eſſendi ab alio ſimpliciter; ſed ſolum ſecũdum quid: quia quod determinat alterius exiſtentiã ſolũ obiectiuè, non determinat eam exiſtentiã ſimpliciter ſed ſolum ſecundũ quid. Secũdo (quod originem ducit ex eodem principio) quia Scientia Media verè præcedit ad auxilium, cum Deum dirigat ad illud conferendum; at vero auxilium non propriè præcedit ad Scientiam Mediam, quia licet præcedat ad conſenſum; conſenſus tamen non propriè; ſed ſolum impropriè, & ſecundum quid, præcedit ad Scientiam Mediam: hincque deducitur auxilium ſolum ſecundum quid præcedere remotè ad Scientiam. Ex quo infertur Scientiam Mediam non determinare aliquam indifferentiam verè præſuppoſitã; nec conſtituere illud complexum in ſigno verè ſupponente aliquid complexi indifferens: conſequenterque non determinare propriè, & ſimpliciter aliquam indifferentiam, quia nihil præſupponit vera & propria præſuppoſitione.

69 Vnum hic non omittam, videlicet, ipſam Scientiam Mediam eſſe etiam à Deo aliqua ratione: quia Scientia determinatur obiectiuè à conſenſu. Cum autem, tàm conſenſus abſolutus, quàm conditionatus, ſint à Deo, vt ſupra diximus: hinc deducitur ipſam Scientiam Mediam eſſe à Deo.

70 Ex quibus omnibus deducitur Deum diſcernere cõſentientem à diſſentiente in actu primo principalius, quam creaturã. Primò: quia Deus diſcernit integrè, & complete; ſecus creatura. Secundò: quia ſolum ſecundum quid aliqua pars complexi inferentis antecedenter cõſenſum, nempe Scientia Media, eſt à creatura. Tertio: quia Scientia Media, quæ determinatur à creatura, ſolum ſecundum quid præſupponit aliquam indifferentiam, quæ determinanda ſit per Scientiam Mediam.

SECT.

SECT. IV.

Soluuntur obiectiones.

71 OB. 1. D. Paul. 1. ad Corinth. 4. ait: *Quis enim te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Ergo creatura non ſe diſcernit. Reſpondeo in his verbis loqui D. Paulum de diſcretione in actu ſecundo: cumque non negare hominem ſe diſcernere aliqua ratione; ſed ſolum contendere abſolutè, & ſimpliciter, diſcerni à Deo; licet minus præcipuè diſcernat ſe ipſum: quia Deus diſcernit integre, & complete creaturam; ſecus creatura ſe ipſam.

72 Confirmatur hoc ex verbis præallegatis D. Aug. de ſpir. & litt. cap. 34. Nam ex eo ait Paulus hominem non debere gloriari in ſuis operibus, quia nihil habet, quod non acceperit. Sed, iuxta Auguſtinum in prædicto loco, *accipere autem, & habere utique accipientis, & habentis eſt*: quia anima accipit dona conſentiendo. Ergo iuxta D. Paulum, & Auguſtinum, id ipſum, de quo homo debet non ſe gloriari, eſt hominis liberè conſentientis; licet magis præcipuè ſit Dei. At qui eo ait D. Paulus Deum diſcernere hominem, hominemque non debere gloriari in ſuis operibus: quia ipſam diſcretionem, & quidquid habet homo, habet à Deo. Ergo ea ratione, qua hominem quidquid habet habere à Deo, non tollit quod hoc ipſum habeat aliqua ratione à ſe, tanquam à conſentiente; ſimiliter quod Deus diſcernat hominem, non tollit quod homo minus præcipuè diſcernat ſe per ſuum conſenſum. Hoc magis adhuc declarabitur ſolutione argumenti ſequentis.

73 Obijcitur 2. idem D. Paulus ad Rom. 9. vbi ait. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Ergo diſcretio prædeſtinati à reprobo non debet tribui homini, ſed Deo. His verbis Pauli etiam vtebatur Caluinus aduerſus humanam libertatē, vt notat Ripalda tom. 1. de Ente ſupern. diſp. 30. ſect. 22. Verum omiſſo, an æquiori titulo vtantur aduerſus nos eiſdem verbis prædeterminantes.

74 Reſpondeo id aſſerere D. Paulum, quia, licet conſenſus noſter ſalutaris viribus gratiæ ſit; attamen omnia, quæ in Prædeſtinatione continentur, nempè collatio auxilij, & præpara-

paratio concurſus, ſolius Dei ſunt: ac ſi diceret: quæ inueniuntur in *Diſcretione* prædeſtinati à reprobo ab initio vocandi vſque ad perfectionem conſentiendi, ſolius Dei totaliter ſunt. In quo ſenſu *Diſcretio* non eſt hominis volentis; ſed Dei miſerentis: quia licet hominis ſit conſentire; non autem vocari, nec habere concurſum omnipotentiæ præparatum.

75 Hæc ſolutio eſt D. Auguſt. in Enchirid. cap. 32. vbi negat diuidi, quæ in Prædeſtinatione interveniunt ita, vt *vocare* ſit Dei, & non hominis, & *conſentire* ſolius hominis, & non Dei; quia, ſi id verum eſſet, quemadmodum quia *vocare* eſt Dei, & non hominis, dicitur eſſe miſerentis Dei, & non hominis volentis; ita etiam quia *conſentire* eſſet hominis, & non Dei, pari iure dici poſſet eſſe hominis volentis, & non Dei miſerentis. Poſtquam igitur hoc argumento vſus eſt D. Auguſtinus, tradens genuinum ſenſum verborum Apoſtoli, hæc habet. *Reſtat vt propterea rectè dictum intelligatur: non volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Ecce quomodo Auguſtinus docet ſolius miſerentis Dei eſſe *Diſcretionem* quatenus ſoli Deo datur totum, quod in Prædeſtinatione reperitur.

76 Obijcitur 3. Auguſtinus lib. de Corrept. & Grat. cap. 7. inter principium, & medium, vbi loquens de Prædeſtinatis ait: *diſcernuntur autem, non meritis ſuis; ſed per gratiam mediatoris.* Ergo omnino negat prædeſtinatum ſe ipſum diſcernere.

77 Conceſſo antecedente: nego conſequentiam. Primo: quia ibi ſolum negat Auguſtinus hominem diſcerni per merita ita ſua, vt non ſint ſimul gratiæ Dei: quia in his, & alijs ſimilibus verbis Pelagianam doctrinam refellebat aſſerentem hominem ſe diſcernere per merita naturæ viribus elicita. Secundo: quia, licet homo per opera ſua, quæ meritoria ſunt, diſcernatur; at verô diſcerni aliquem ſuis meritis, non ſonat præciſè diſcerni per opera ſpecificatiuè meritoria; ſed mereri ſuam diſcretionem, eaque opera meritoria ſuam vim exercere erga diſcretionem. Cũ igitur homo non mereatur ſuam ipſam diſcretionem, ideo dicitur ab Auguſtino hominem non diſcerni ſuis meritis.

78 Tertio reſpondeo, quod licet Auguſtinus neget hominem diſcerni ſuis meritis, hoc non eſt quia homo nulla prorſus ratione ſe diſcernat, adhuc ſecundum quid; ſed quia Deus eſt qui magis præcipuè diſcernit: & hoc ſufficit, vt negetur homini ſe diſcernere; nam frequens eſt etiam in ſcriptura tribui ſoli Deo ali-

qua

qua, quæ homines faciunt, ex eo quod ea faciunt ex gratia Dei, & Deus ſit præcipuus author illius operis. Ita 1. ad Timoth. 4. v. 16. tribuitur homini ſe ſaluum facere: ait enim Apoſtolus ad Timoth. *Hoc enim faciens, & te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Et nihilominus Lucæ 18. cum diſcipuli perterriti illis verbis ſaluatoris: *Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum Dei*: interrogarent Dominum. *Et quis poteſt ſaluus fieri?* reſpondit Chriſtus: *quæ impoſsibilia ſunt apud homines, poſsibilia ſunt apud Deum.* Et etiam 2. ad Timoth. 2. v. 21. tribuitur homini ſe emundare: *ſi quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem, &c.* & tamen Iob. 14. v. 4. interrogatur. *Quis poteſt facere mundum de immundo?* Rectè ergo potuit negare hominem ſe diſcernere: quia ſolum ſe diſcernit minus præcipuè, & ex gratia Dei.

79 Ob. 4. Diſcernere conſentientem à diſſentiente eſt determinare illum, vt ſit conſentiens. Sed Deus non determinat conſentientem, vt ſit conſentiens: Ergo non diſcernit. Reſpondeo Deum non determinare formaliter conſentientem; determinare tamen illatiuè: quia licet decretum auxiliorum ſit indifferens; ex ſuppoſitione tamen Scientiæ Mediæ de conſenſu ſub auxilio A, ponendo per decretum indifferens auxilium A. determinat Deus coniunctum ex Scientia Media conſenſus ſub auxilio A, & ex ipſo auxilio A: quod coniunctum infert infallibiliter conſenſum.

80 Ob. 5. Deus per aliquod ſuum decretum diſcernit prædeſtinatum à reprobo. Non per aliud, quam per prædeterminans. Ergo per prædeterminans. Minor probatur. Quodlibet decretum diſtinctum à prædeterminante eſt indifferens. Sed non diſcernit conſentientem à diſſentiente per decretum indifferens ad conſentire, & diſſentire. Ergo diſcernit per decretum prædeterminans.

81 Reſpondeo 1. Negando minorem primi ſyllogiſmi. Et ad huius probationem: nego maiorem, videlicet omne decretum non prædeterminans eſſe indifferens: quia prædefinitio efficax conſenſus per auxilium, ſiuè collatio auxilij A ex fine efficaciæ efficaciter amato, dummodo dirigantur Scientia Media, connectuntur cum conſenſu, vt conſtat ex ſupra dictis: & tamen non ſunt decreta prædeterminantia.

82 Reſpondeo ſecundo admittendo gratis decretum non prædeterminans debere eſſe indifferens; negando tamen Deũ non diſcernere per decretum indifferens. Etenim Deus per decretum

tum indifferens, & diſcernit in actu ſecundo, & in actu primo. In actu ſecundo : quia totum, quod intervenit in diſcretione in actu ſecundo, eſt à Deo : ſiquidem ſufficit decretum indifferens, dum modo ſit cum intentione, ſaltem inefficaci conſenſus, vt conſenſus tribuatur Deo. Ex alia parte tota poteſtas prouenit à Deo. Ergo non requiritur decretum connexum, vt Deus diſcernat in actu ſecundo conſentientem à diſſentiente.

83 Deinde etiam determinat in actu primo: tum quia Deo tribuitur quidquid eſt in diſcretione in actu primo. Tũ quia exiſtẽte Scientia Media, Deus per decretũ indifferens ponendo auxiliũ, cõplet cõplexum ex Scientia Media, & auxilio, quod cõplexũ, & præcedit ad cõſenſum, & cum illo intrinſecè connectitur. Et hoc, vt iam ſæpè diximus, ſufficit, vt Deus diſcernat in actu primo.

84 Tãdem aduerto duplicem poſſe, & ſolere diſtingui diſcretionem, & efficaciã in actu primo: aliã conſiſtentem in auxilio, & Scientia Media conſenſus, aliã in auxilio, & veritate conditionata, ſeu in futuritione conditionata conſenſus. Inter has hoc procedit diſcrimen. Complexum ex auxilio, & Scientia Media, verè, & propriè eſt diſcretio, & efficacia in actu primo phyſico, & influxiuo : quia reuera hoc complexum diſtinguitur a conſenſu, cum illo connectitur, & in illum influit : remotè quidem Scientia Media, proximè vero auxilium indifferens.

85 At vero complexum ex auxilio, & conſenſu conditionato, ſolum Logicè eſt diſcretio, & efficacia in actu 1. quia conſenſus conditionatus pro caſu auxilij eſt conſenſus abſolutus, qua propter verè, & realiter non conſtituit ſignum prius. Cæterum noſtro modo concipiendi apprehenditur futurũ cõditionatũ, adhuc in caſu hypotheſis, admodũ præcedentis, quod ſufficit ad prioritatem Logicam : & licet hoc coniunctum præcedat obiectiuè ad Scientiam Mediam, hoc non tollit quod Scientia Media ſit prior in genere phyſico, vt ſæpè diximus.

QVÆST. XVI.

Vtrum repugnet creatura, quæ omnibus auxilijs diſſenſura, vel quæ omnibus conſenſura prauideatur.

SEmel admiſſa creatura, quæ nulli auxilio indifferenti ſit conſenſura;

ſura, infertur non repugnare creaturam, quã Deus non poſsit proxime pro ſuo arbitrio prædeſtinare ad gloriam per merita omnino libera. Pari ratione, ſi creatura ſit, quæ nulli auxilio diſſenſura prænideatur, eam Deus proximè non poterit reprobare, aut deſerere; ita vt in peccatum prolabatur. Vtrumque putant abſurdum, non modo prædeterminantes; verumetiam aliqui ex noſtris. Id circo conſtanter defendunt eas creaturas penitus eſſe repugnantes: cum ea cumque repugnantia componi doctrinam Societatis negantem determinationem diuinam penitus antecedentem noſtrũ liberum conſenſum. Alij Societatis authores eas creaturas arbitrantur poſsibiles: imò ex Societatis doctrina earum poſsibilitatem inferri: conſentaneeque negant aliquod, vel leue, abſurdum ex earum poſsibilitate deduci. Hoc ergo dubium hac quæſtione examinabimus.

SECT. I.

Status quæſtionis proponitur.

1 PLurium Authorum ſententia eſt ſufficere ad laudabilitatem, & meritum, libertatem ad actus ex obiecto honeſtos omnino æquales, ſiué hi actus ſint omnino ſimiles, vt volunt antiquiores: ſiué diſsimiles, vt ad laudabilitatem exigunt RR. Alij vero negantes meritum, & laudabilitatem reperiri cum libertate ſolum ad actus æquales omnino in honeſtate, & perfectione: meritum, & laudabilitatem concedunt actui honeſto elicito cum libertate ad actus inæquales; licet ſint infiniti perfectiores, & perfectiores: ita vt neque vllus ſit omnium perfectiſsimus, neque aliquis, infra quem non detur alius minus perfectus. Ex quo deducunt poſſe aliquem neceſsitari ad operandum laudabiliter; quia poteſt neceſsitari vage ad aliquem ex his actibus. Cum autem quilibet habeat infra ſe alium minus perfectũ: inde fiet ſemper laudabiliter operaturum, ſemper enim eliciat actum potens elicere alium minus perfectum. Et hac ratione tenent Chriſtum Dominum neceſsitatum fuiſſe ad merendum, Deumque eſſe neceſsitatum ad laudabiliter operandum.

2 Hæc doctrina mihi propter plures rationes, quas tractatu de volũtate expẽdo, vera non eſt. Modo vero ab ea præſcindimus. Quidquid ergo ſit de hoc genere meriti, & laudabilitatis; de alio cõmuniori præſens quæſtio inſtituitur: videlicet, de laudabilitate

con-

conſtituta per libertatem, quæ nullo modo ſit neceſsitas, adhuc vaga, bene operandi; ſed indifferentia plena, & abſoluta. Vtrum, nimirum, poſsibilis ſit creatura, quæ præuideatur diſſenſura omnibus auxilijs, quæ eam relinquant indifferentem ad bene, & non bene operandum. V.g. Vtrum poſsibilis ſit aliqua creatura, de qua præuideat Deus reddituram inefficax quodlibet auxilium, per quod vocetur ad pœnitentiam cum indifferentia ad pœnitendum, & non pœnitendum. Quo dato, verum erit Deum proxime non poſſe eam creaturam conuertere, nec vocare efficaciter ad pœnitentiam per vocationem, quæ eam creaturam ad pœnitendum, & non pœnitendum indifferentem relinquat.

3 Similiter, ſi poſsibilis ſit creatura, quæ nulli auxilio ſit diſſenſura; ſed cuilibet conſenſura præuideatur: verum erit non proxime poſſe Deum eam reprobare, aut deſerere: cum nullum ſit Deo auxilium, cui ea creatura, ſi ei conferatur, ſit diſſenſura. Poterit quidem Deus eam non vocare: non tamen poterit diſſentiendi peccatum ei permittere, cum nullum ſit auxilium, quod non ſit efficax reſpectu illius.

4 Præterea ſupponendum eſt auxilia indifferentia eſſe ſint cathegorematicè infinita: nam, ſi finita ſint, certum debet eſſe non repugnare creaturam omnibus auxilijs diſſenſuram; ſed potius neceſſario concedendam eſſe eius poſsibilitatem: alioqui tolleretur in aliquo caſu libertas diſſentiendi: nam ſuppoſito quod numerus auxiliorum finitus ſit: v.g. octo, & quod ſit impoſsibile ea octo auxilia fore inefficacia: rurſus rogo; vel poſſunt eſſe inefficacia ſeptem, vel ſolum ſex, & ſic de alijs numeris. Si, tametſi omnia octo inefficacia eſſe non poſint; poſint nihilominus ſeptem eſſe inefficacia: tunc igitur ſupponamus ſeptem auxilia diſtincta ab auxilio A efficacia eſſe, & in ſenſu compoſito inefficaciæ horum ſeptem auxiliorum, quæ ab A. diſtinguntur, conferri auxilium A. In hoc, inquam, caſu ea creatura non poterit diſſentire: quia neque poteſt diſſentire in ſenſu compoſito inefficaciæ aliorum ſeptem auxiliorum: hoc enim eſſet omnia octo eſſe inefficacia, quod chimericum, & repugnans eſſe ſupponimus; neque in ſenſu diuiſo: cum inefficacia auxiliorum, quæ non conferuntur, nequeat impediri per aliud auxilium illud reddendo inefficax. Ergo abſolute in illo caſu non poſſet ea voluntas auxilio A. diſſentire. Si vero non ſeptem ſed ſolum ſex poſint eſſe ſimul inefficacia. Ergo ex ſuppoſitione inefficaciæ aliorum auxiliorum, quæ diſtinguuntur ab A, & B, nequit conferri neque A, neque B, quin auferatur poteſtas diſſentiendi; alio-

qui;

Digitized by Google

qui; ſi diſſentiret voluntas auxilio A, vel B; iam non modò ſex, ſed ſeptem auxilia forent inefficacia, quod ſupponitur repugnans.

5 Dicendum ergo eſt, vt maneat quæſtioni locus, auxilia eſſe infinita: debereque (ſi repugnet creatura omnibus diſſenſura, aut omnibus conſenſura) eſſe infinita inefficacia, infinitaque efficacia. Qua propter nunquam poterit perveniri ad caſum, in quo omnia ſint inefficacia præter aliquod, vel præter aliqua finita: quia hoc eſt contra ipſam concluſionem de infinitate efficacium, & inefficacium.

6 Denique ſupponendum eſt ſenſum quæſtionis minime eſſe: an repugnet creatura omnibus auxilijs diſſenſura ſimul collatis: conſerri enim ſimul omnia auxilia verius eſt repugnare, & admiſſa non repugnantia, forſam libertas auferretur: quia licet voluntas poſsit reſiſtere cuilibet ſeorſim non tamen collectioni omnium ſicuti vires, quæ ſufficiunt ad quamlibet vnicam libram, non ſufficiunt ad pondus collectionis mille librarum. Quæſtio ergo noſtra non loquitur de ſimultate auxiliorum omnium exiſtentium in voluntate; ſed de ſimultate inefficaciæ omnis auxilij ſeorſim accepti, omniſque libertatis ſeorſim ſumptæ. Quemadmodum enim repugnat ſimul exiſtere Petrum, & eius carentiam, ſimul tamen datur poſsibilitas vtriuſque extremi, vt diuiſim ab alio exțituri: ita in noſtro caſu dubitatur, quidquid ſit de coexiſtentia omnium auxiliorum: an poſsit eſſe ſimul verum auxilium A. collatum diuiſsim ab alio conſtituente aliam libertatem, fore inefficax, & auxilium B. collatum ſimiliter diuiſim ab alia libertate, fore inefficax, & ſic de omnibus libertatibus: ita vt detur ſimultas omnium veritatum conditionalium de diſſenſu ſub qualibet libertate ſeorſim acceptæ: adeo, vt in Deo nulla ſit Scientia Media efficaciæ alicuius auxilij indifferentis. Et idem, quod inquiritur de ſimultate inefficaciæ, quæritur ſimiliter de ſimultate efficaciæ.

7 Sententiam aſſerentem implicare creaturam omnibus auxilijs diſſenſuram (idemque videtur eſſe de creatura omnibus conſenſura) tenent P. Ruiz de Montoya tom. de prouidentia ſect. 4. num. 9. & alijs in locis. Pater Tannerus 1. 2. diſp. 6. q. 2. numer. 10. vbi pro hac ſententia refert Illuſtriſsimum Maſcarennas. P. Coninch diſp. 17. de Incarnat. num. 36. P. Antonius Perez 1. p. pag. 363. à num. 78. & alibi. Cardinalis Sforzia Palauicinus 1. 2. diſp. 6. quæſt. 2. art. 6. & lib. de actibus cap. 6. de Gratia à num. 109. P. Eſparza 1. p. quæſt. 34. art. 1. & 2. P. Bernal diſp. 16. num. 20. P. Requeſenius 1. 2. diſp. 12. num. 135. & obiter in tract. de

Incar-

libertate: ita vt non ſit Deus proxime potens eam conſtituere liberam libertate coniungenda cum conſenſu: conſequenterque Deus non ſit liber proximè, & expeditè ad eam voluntatem liberè flectendam ad conſenſum.

11 Minor igitur, in qua conſiſtit difficultas, nempe, neceſsitatem vagam metaphyſicam conſenſus liberi conditionati futuri pugnare cum diuerſitate earum libertatum, probatur. Intelligi quamlibet libertatem indifferentem proxime ad diſſenſum, vel vt abſolutè, vel vt conditionatè futurum in ſenſu compoſito quarumlibet determinationum conditionalium, etiam collectiuè ſumptarum ſub alijs libertatibus, eſt intelligi poteſtatem coniungendi diſſenſum, vt conditionate futurum ſub libertate A. cum diſſenſu vt conditionate futuro ſub quolibet auxilio. Sed eo ipſo, quod intelligatur diuerſitas libertatum, intelligitur qualibet libertas proximè potens ad diſſenſum, vt conditionatè futurum in ſenſu compoſito quarumlibet determinationum conditionalium, etiam collectiuè ſumptarum ſub alijs libertatibus. Ergo intellecta diuerſitate libertatum intelligitur poteſtas coniungendi diſſenſum conditionate futurum ſub libertate A. cum diſſenſu, vt conditionate futuro ſub qualibet alia libertate. Conſequentia eſt legitima, & maior certa. Minor probatur. Intellecta diuerſitate earum libertatum, intelligitur exercitia conditionata aliarum libertatū diſtinctarum à libertate A. impertinenter ſe habere ad exercitium ſiuè abſolutum, ſiuè conditionatum libertatis A; ſed libertas A. coniungere poſſet ſuum exercitium cum eo, quod impertinenter ſe habet ad illud. Ergo intellecta diuerſitate earum libertatum, intelligitur libertas A (& idem intellige de qualibet alia libertate) potens coniungere quodlibet ſuum exercitium cum quibuslibet exercitijs conditionatis aliarum libertatum. Conſequentia eſt bona, & minor certa: nam id, cum quo non poteſt coniungi A, non ſe habet impertinenter; ſed repugnanter ad A.

12 Maiorem igitur probo. Exercitium conditionatū vnius libertatis proximæ, & immediatæ, non habet ordinem prioris, aut poſterioris, cum exercitio immediato alterius libertatis. Etenim, ſi libertas A. per ſuum exercitium, v.g. per liberū conſenſum, præcederet neceſſario ad exercitium immediatè liberū libertati A, vel ê conuerſo: tunc, vel præcederet determinando: quod eſt abſurdū: vel conſtituendo poteſtatē proximam ſe determinandi; &, ſi hac ratione præcederet, fieret quod per diſſenſum libertatis A tolleretur poteſtas immediata libertatis B. cōſequēterque libertatem

Digitized by Google

tem B. conſtitui per exercitium libertatis A: minimeque præſcinderet in ſuo conceptu ab exercitio alterius libertatis: non igitur exercitium conditionatum vnius libertatis proximę, & immediatæ habet ordinem prioris, aut poſterioris cum exercitio alterius: quando vna libertas adæquate diſtinguitur ab altera, & ab eius exercitio.

13 Deinde neque exercitium conditionatum vnius ſe habet comitanter ad exercitium alterius: ſi enim ſe haberent comitanter, vna libertas determinās ſe, determinaret aliam, & viciſsim: hoc autem non eſſet dari diuerſas libertates; ſed vnam conſtitutam per vtrumque auxilium, determinantem indiuiſibiliter vtrumque extremum. Ergo, intellectis diuerſis libertatibus immediatis diſtinctis inter ſe, & ab exercitijs alterius, exercitium vnius, neque antecedenter, neque conſequenter, neque comitanter ſe habet ad alterius exercitium. Ergo intellecta hac libertatum diuerſitate, intelligi quoque debet exercitia, vel abſoluta, vel conditionata, quarumlibet libertatum diſtinctarum à libertate A, impertinenter ſe habere reſpectu cuiuslibet exercitij libertatis A.

14 Confirmatur in numero finito libertatum v. g. quatuor. Ex eo diſſenſus futuri conditionatè ſub libertate A, & B. poſſunt coniungi cum diſſenſu futuro ſub alijs libertatibus, quia diſſenſus aliarum libertatum impertinenter ſe habent ad diſſenſum ſub libertatibus A, & B. & ex eo impertinenter ſe habent, quia diſſenſus, ſub alijs libertatibus futuri, neque antecedenter, neque conſequenter, neque comitanter ſe habent reſpectiue ad diſſenſum ſub libertatibus A, & B. Sed eo ipſo quod libertates præſcindendo ab exercitijs conditionatis intelligantur conſtitutæ, & diſtinctæ, ſiuê finitæ ſint; ſiuê infinitæ, diſſenſus ſub aliquibus libertatibus, neque antecedenter, neque conſequenter, neque comitanter, ſe habet ad conſenſum ſub alijs libertatibus. Ergo eo ipſo, quod libertates præſcindendo ab exercitijs conditionatis intelligantur conſtitutæ, & diſtinctæ, ſiuê finitæ ſint, ſiue infinitæ: earum exercitia conditionata impertenter ſe habent inter ſe; conſequenterque poterunt coniungi,

15 Probatur ſecundo noſtra concluſio aliter oſtendendo efficaciam præcedentis rationis. Neceſsitas vaga prout diſtincta à determinata inter plura extrema, redditur minus vaga per coniunctionem illius cum defectu alicuius extremi determinati, inter quæ vagatur ea neceſsitas. At neceſsitas efficaciæ alicuius auxilij vage accepti nequit reddi minus vaga per coniunctionem illius

Digitized by Google

lius cum inefficacia alicuius auxilij determinati permanente eadem voluntatis indifferentia. Ergo neceſsitas metaphyſica vaga de efficacia alicuius auxilij pugnat cum libertatis indifferentia. Conſequentia eſt bona, & maior certa: nam neceſsitas vaga vnius ex decem extremis v. g. licet ſecundum ſe conſiderata ſolum ſit neceſsitas vnius ex decem; attamen vt coniuncta cum defectu vnius ex illis decem v. g. cum defectu extremi A, eſt neceſsitas vaga inter nouem: & vt coniuncta cum defectu duorum, eſt neceſsitas vaga inter octo: ſiquidem ex neceſsitate exiſtentiæ vnius ex decem, & defectu duorum ex illis decem, infertur per legitimam conſequentiam exiſtentia vnius ex reliquis octo. Ergo neceſsitas omnino vaga inter plura extrema, redditur minus vaga per coniunctionem illius cum defectu alicuius extremi determinati ex ijs, inter quæ verſatur vaga neceſsitas.

16 Minor vero, ad quam reuocatur difficultas: videlicet hanc maiorem determinationem aduerſari voluntatis indifferentiæ, probatur. Ea eſt natura indifferentiæ voluntatis, vt nulla ei poſsit ſupervenire connexio quauis ratione cum conſenſu reſpectiuè ad hoc, vel illud auxilium, niſi, vel conſequenter ad eundem conſenſum (ſub qua conſequutione intelligitur etiam comitantia) reſpectiue ad eadem auxilia, vel antecedenter per modum cauſæ mouentis eam indifferentiam in eſſe talis. At neceſsitas minus vaga de efficacia alicuius auxilij proueniens ex inefficacia aliorum, non eſt neceſsitas conſequens conſenſum reſpectiue ad ea auxilia, quæ ſunt efficacia, cum ſolum fundetur in inefficacia aliorum. Ergo debet eſſe neceſsitas antecedens minuens indifferentiam voluntatis in ordine ad conſenſum reſpectiue ad auxilia, ex quibus aliquod debet eſſe efficax ex ſuppoſitione inefficaciæ aliorum. At de conceptu indifferentiæ voluntatis per hæc auxilia eſt non minui ex diſſenſu condicionato per alia. Ergo hæc neceſsitas vaga repugnat pleniſsimæ voluntatis indifferentiæ.

n. 17 Explicatur vlterius hoc argumentum. Certum eſt in auxiliorum poſsibilium cumulo infinities infinita contineri, cum in quolibet infinito numerali infinities infinita includantur. Separemus ergo ex auxiliorum poſsibilium infinitiſsimo cumulo aliquod infinitum, relinquendo alia infinita. Vel, ſi mauis, cum certum ſit Deũ mẽte diſcernere, quæ auxilia efficacia, quæ inefficacia forent, ſi conferrentur: loquamur de cumulo auxiliorum efficaciũ, quem cumulum appellemus cumulum A. ad diſtinctionem cumuli

auxiliorum, quæ Deus inefficacia præuidet, quem appellabimus cumulum B.

18 Præterea certum eſt in hac ſententia, quam impugnamus, non repugnare totum cumulum A, qui modo eſt cumulus auxiliorum efficacium, eſſe cumulum auxiliorum inefficacium: neceſsitati enim vagæ, quam habet Deus de infinitis auxilijs efficacibus, fieri poſſet ſatis, ſi efficacium, & inefficacium auxiliorum ordine inuerſo, cumulus B. vel totus eſſet auxiliorum efficacium, vel in illo aliquod infinitum auxiliorum efficacium includeretur. His ſuppoſitis, declaratur argumentum.

19 Neceſsitas vaga alicuius infiniti auxiliorum efficacium coniuncta cum inefficacia omnium auxiliorum totius cumuli A. eſſet neceſsitas de efficacia alicuius infiniti auxiliorum, quæ modo inefficacia ſunt, & pertinent ad cumulum B. Sed hæc neceſsitas de efficacia alicuius infiniti auxiliorum cumuli B. non oriretur ex conſenſu reſpectiue ad auxilia cumuli B; ſed ex diſſenſu reſpectiue ad auxilia cumuli A. Ergo hæc neceſsitas non conſequens; ſed antecedens eſſet conſenſum reſpectiue ad auxilia cumuli B. Ergo, facta ſuppoſitione inefficaciæ totius cumuli A, voluntas non eſſet æquè libera, & indifferens ad diſſenſum reſpectiuè ad auxilia cumuli B. cum pateretur neceſsitatem antecedentem ad conſenſum.

20 Hoc autem eſt implicatorium attenta natura humanæ voluntatis: quæ quidem nequit aliter neceſsitari ad conſenſum, niſi per ablationem alicuius adiuuantis ad diſſenſum, vt influentis in illum, vel per inductionem alicuius influentis in cõſenſum: minimè vero per aliquid impertinenter, & diſparato modo ſe habens ad conſenſum reſpectiuè ad aliquod auxilium. At voluntatem fore diſſenſuram toti cumulo A, nec inducit aliquid influens in conſenſum, vel ad illum alliciens, nec aufert aliquid alliciens ad diſſentiendum auxilijs cumuli B. cum *fore diſſenſum* cumulo A. ſolum auferat *fore conſenſum* cumulo A, & *fore conſenſum* auxilijs cumuli A. non alliciat, aut moueat ad diſſentiendum auxilijs cumuli B; ſed potius hæc duo omnino impertinenter, & diſparato modo ſe habeant inter ſe. Ergo implicat indifferentiam voluntatis ad diſſenſum reſpectiuè ad cumulum B. minui per diſſenſum reſpectiue ad auxilia omnia cumuli A.

21 Fateor clarius implicationem huius vagæ neceſ-

ſitatis

latis cognoſci in cumulo finito, verum hoc minimè eſt, quia ratio à priori non probet in vtroque; ſed quia in numero finito ea ratio expeditius, & dilucidius ad formam reducitur; in numero vero infinito non vſque adeo clarè, quia aduerſarij in ſinuoſis infiniti receſsibus latitantes, non tam difficultati ſincerè occurrunt, quam infinitatis caliginem, ne reperiantur, affectant. Cæterum eo, vel maximè aduerſariorum ſententia redditur magis ſuſpecta, quia, niſi inter infinitudinis obſcuriſsimas vmbras, ne apparenter quidem defendi valet.

22 Probatur tertio noſtra ſententia. Adhuc facta ſuppoſitione inefficaciæ totius cumuli A. auxiliorum, cumulus B. libertatum, habet indifferentiam ad inefficaciam reſpectiue ad totum cumulum. Sed non eſt indifferentia ad inefficaciam diuidendam ab inefficacia cumuli A. Ergo eſt indifferentia ad inefficaciam, vt componendum cum inefficacia totius cumuli A, ſeu in ſenſu compoſito inefficaciæ cumuli A, conſequenterque dabitur poteſtas ad inefficaciam reſpectiue ad cumulum omnium auxiliorum. Conſequentia eſt bona, & prima pars antecedentis videtur omnino certa: cum enim indifferentia cumuli B. ad inefficaciam, non conſtituatur per efficaciam cumuli A, vtpote quæ nullo modo præcedit ad indifferentiam cumuli B. plane deducitur indifferentiam antecedentem cumuli B. ad inefficaciam, non auferri per inefficaciam cumuli A.

23 Secunda ergo antecedentis pars, nempe indifferentiam cumuli B. non eſſe indifferentiam ad inefficaciam diuidendam ab inefficacia cumuli A. probatur. Eſſe indifferentem cumulum B. ad inefficaciam in ſenſu diuiſo inefficaciæ cumuli A, eſt cumulum B. poſſe per inefficaciam ſui impedire inefficaciam cumuli A. Sed cumulus B. non habet poteſtatem impediendi per inefficaciam ſui inefficaciam cumuli A, Ergo indifferentia cumuli B. non eſt indifferentia ad ſui inefficaciam diuidendam ab inefficacia cumuli A. Minorem Probo. Impedire inefficaciam cumuli A. eſt determinare efficaciam alicuius auxilij cumuli A: imò, vt ſtet aduerſariorum ſententia, opus eſt, quod determinetur efficacia alicuius infiniti auxiliorum contenti in cumulo A. At cumulus B. non habet poteſtatem determinandi efficaciam alicuius auxilij contenti in cumulo A. Ergo neque habet poteſtatem impediendi inefficaciam cumuli A. Conſequentia eſt bona, & maior certa: nam impedire vnam veritatem, eſt determinare veritatem contradictoriam. Impedire ergo veri-

Digitized by Google

tatem de eo, quod nullum auxilium cumuli A. ſit efficax, erit determinare veritatem de eo, quod aliquod auxilium cumuli A, ſit efficax.

24 Probo iam minorem: nempè, cumulum B. non habere poteſtatem determinandi per ſui inefficaciam veritatem de efficacia alicuius auxilij cumuli A. Cumulus B. non determinat eam veritatem formaliter, & immediatè. Non mediatè. Ergo nullo modo. In primis non determinat immediatè: nam ſi determinaret immediatè formaliter: conſentire auxilio cumuli A, adeo eſſet exercitium alterius auxilij, ac eſſet ipſius auxilij, cui diſſentiretur, quod ex terminis implicat. Præterea libertas cumuli A, & libertas cumuli B. æquè immediatè determinarent *diſſentire* libertati cumuli A: cum hoc diſcrimine, quod libertas cumuli A, determinaret *conſentire* per *conſentire*, libertas vero cumuli B. determinaret prædictum *conſentire* per proprium *diſſentire*: quo nihil abſurdius poteſt excogitari. Præter quam quod idem in terminis eſt vnam libertatem non eſſe alteram, ac exercitium immediatum, & formale vnius libertatis, non eſſe formale, & immediatum exercitium alterius libertatis.

25 Denique cumulus B. per ſui inefficaciam non determinat mediatè efficaciam libertatis alicuius cumuli A. Etenim determinare mediatè aliquod extremum eſt ponere connexionem antecedentem cum eo extremo. Sed inefficacia cumuli B. non eſt aliqua connexio antecedens cum efficacia auxiliorum cumuli A. Ergo cumulus B per ſui inefficaciam non determinat mediatè efficaciam alicuius libertatis cumuli A. Minor facile videtur probari. Nam diſſenſus conditionatus vnius libertatis nulla ratione influit in conſenſum conditionatum alterius libertatis, cum neque ſe habeat per modum, aut principij, aut allicientiæ, aut applicationis omnipotentiæ, cum omnia hæc adæquatè diſtinguantur à diſſenſu conditionatè futuro. Ergo inefficacia cumuli B. non eſt aliqua connexio antecedens cum efficacia auxiliorum cumuli A.

SECT. III.

Soluuntur argumenta ab authoritate D. Auguſtini deſumpta.

26 OB. 1. plura Scripturæ loca, in quibus videtur indicari pertinere ad conceptum omnipotentiæ Deum poſſe quemlibet hominem conuertere, & indurare. Prouerb. 12. *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit inclinabit illum.* Ergo pari modo cor regis eſt in manu Dei ad illud inclinandum quo voluerit, ac ſunt aquæ ad earum diuiſiones. Cum ergo eſſentialiter, & independenter à qualibet ſuppoſitione contingente habeat Deus in ſua pleniſſima poteſtate aquas diuidere; habebit ſimiliter corda hominum inclinare, & mouere. Eſther. 13. *Domine Rex omnipotẽs in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, nec eſt qui reſiſtere poſſit voluntati tuæ, ſi decreueris ſaluare Iſrael.* Ergo ad omnipotentiam reuocari debet poſſe Deum ſaluare Iſrael, pariterque ſaluare quem voluerit. Paulus ad Rom 9. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Itẽ ad Epheſ. 3. *Potens eſt omnia facere ſuperabundanter quam petimus, aut intelligimus.* non potentia ipſi defectibili, & contingenti; ſed indefectibili, & neceſſaria, vt opus eſt, ne orationes noſtræ inutiles, & vanæ ſint. Denique ipſe Chriſtus Dominus Matth. 3. aſſerit *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*: hoc eſt potens eſt Deus quælibet corda, quantumuis dura, & lapidea, ad pœnitentiam, & obedientiam flectere, & mouere. Ergo de conceptu diuinæ omnipotentiæ eſt pleniſſima poteſtas ad quamlibet hominem conuertendum.

27 Hi textus parum vrgent. In vniuerſum dico: in his verbis ſolum contineri de facto Deum poſſe quamlibet voluntatẽ conuertere, & indurare. At vero hanc poteſtatem proximam Deo conuenire neceſſariò neceſſitate metaphyſica antecedenter ad quamlibet ſuppoſitionem contingentem, etiam cõditionatam, ex prædictis verbis non colligitur.

Deinde ad textus ſigillatim reſpondeo. Ad 1. dicendum eſt per comparationem factam inter motionem cordis, & diuiſiones aquarum, ſolum intendi, quod ſicut aquæ poſſunt diuidi, & dirigi ad libitum diſtribuentis, ſuppoſita aqua, ita, ſuppoſita efficacia,

velit efficacia auxiliorum, poteſt Deus pro ſuo libito impertiri, & diſtribuere auxilia, prout ſcit congruere ad cor regis inclinandum.

28 Verba Eſther ad rem non ſunt: Tum quia ibi non agitur de ſaluatione, aut ſalute æterna; ſed de liberatione Iſrael à vi, & armis Regis Aſsiriorum, & ab obſidione, qua Holophernes Bethuliam premebat, vt Regis Babilonij ſubijceret Imperio. Tum etiam quia in ipſis verbis dicitur cuncta in ditione Dei eſſe poſita, quatenus nemo eſt, qui poſſit reſiſtere diuinæ voluntati, ſi ſaluare decreuerit. Hoc autem ſolum probat voluntatem diuinam efficacem irreſiſtibilem eſſe, quod plane fatemur. Ad textum D. Pauli ex Epiſtola ad Rom. reſpondeo veriſsimum eſſe Deum cuius vult miſereri, & quem vult indurare. At Deum neceſſario neceſsitate metaphyſica, & penitus antecedente, cuiuslibet miſereri, & quem libet indurare poſſe, non docet Paulus. Ad verba ex Epiſtola ad Epheſ. reſpondetur veriſsimum eſſe Deum præſtare poſſe quod nõ inepte petimus. Solum autem prudenter petere valemus quod penes Deum eſt. Vnde non petimus quod, & præuideat auxilium efficax, & conferat; nec independenter à qualibet ſuppoſitione tacita, vel expreſſa, petimus auxilium efficax; ſed ſolum quod conferat auxilium, quod efficax præuidet, cum certum moraliter ſit aliqua auxilia efficacia præuideri.

29 At vero, ſi homini conſtaret omnibus auxilijs fore diſſenſurum, non poſſet petere auxilium efficax; ſed prudenter poſſet rogare, ne ei libertas conferretur. Denique ad verba Chriſti Domini: *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis, &c.* Reſpondeo Chriſtum Dominum loquutum fuiſſe de lapidibus materialibus: ita vt ſenſus fuerit. Potens eſt Deus, ſicut de limo terræ Adamum creauit, ita pariter lapides iſtos in homines conuertere, qui per circuncisſionem, & fidem, Abrahæ filij nuncuparentur: ſemper tamen ſupponendam eſſe efficaciam aliquorum auxiliorum, vt Deus poſſit proxime eos ad fidem circumciſsionis efficaciter mouere.

30 Ob. 2. D. Auguſt. cap. 14. de corrept. & Gratia vbi ait. *Deo volenti ſaluum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium: ſic enim velle, & nolle, in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Ergo iuxta Auguſtinum humanum arbitrium non ſolum non poteſt reſiſtere voluntati diuinæ, verum neque impedire quo minus decernat efficaciter pro ſuo libito aliquem ſal-

uare. At, ſi eſſet poſsibilis creatura omnibus auxilijs diſſenſura, ea creatura per ſuum nolle impedire valeret Deum, quo minus vellet efficaciter eam ſaluare, vt euidens eſt. Ergo nequit dari talis creatura. Confirmatur ex eodem Auguſtino in eodem cap. 14. vbi hæc habet. *Non eſt dubitandum voluntati Dei humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe quod vult, quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult quando vult facit: niſi forte quando Deus voluit Sauli dare regnum, ſic erat in poteſtate Iſraelitarum ſubdere ſe memorato viro, vel non ſubdere, quod vtique in eorum erat poſitum voluntate, vt etiam Deo valerent reſiſtere: qui tamen hoc non fecit, niſi per ipſorum hominum voluntates, ſine dubio habens humanorum cordium, quo voluerit inclinandorum omnipotentiſsimam poteſtatem.* Ex quibus verbis videtur colligi, tum voluntates humanas non poſſe obſtare, quo minus Deus exequatur, quod vult quando vult: tum etiam poteſtatem diuinam ad inclinandum hominum corda non dependere ab aliqua ſuppoſitione contingente: alioqui non erit omnipotentiſsima poteſtas; ſed valde limitata.

31 Reſpondeo D. Auguſt. in prædictis verbis ſolum intendere non poſſe hominum voluntates reſiſtere voluntati diuinæ: minimè vero aſſerere Deum ex ſe ipſo antecedenter ad omnem ſuppoſitionem contingentem, etiam conditionatam, proximè poſſe quamlibet mouere voluntatem. Etenim Auguſt. non loquitur de humana voluntate ſumpta in ſtatu conditionato; ſed de ipſa, vt iam in ſtatu abſoluto conſtituta, vt patet ex exemplo Iſraelitici populi ſubdentis ſe Saulis imperio. Aſſerit ergo Auguſt. non poſſe voluntatem humanam in ſtatu abſoluto conſtitutam, quantumuis liberam, reſiſtere voluntati efficaci diuinæ, quia Deus non aliter vult efficaciter, niſi attemperando ſe humanæ libertati (conferendo vtique auxilia, quæ efficacia præuidentur) quod iuxta Auguſtinum eſt Deum id facere per ipſorum hominum voluntates. Nos vero non dicimus humanam voluntatem efficaci voluntati diuinæ reſiſtere valere; ſed poſsibilem eſſe caſum, quo Deus proximè non poſſit humanam voluntatem mouere: non quia voluntas humana Deo reſiſtere abſolute valeat; ſed quia Deus voluntatem efficacem conſenſus concipere non valebit.

32 Porrò dum Auguſtinus docet humanam voluntatem diuinam non impedire, non loquitur de impeditione quoad

exiſtentiam; ſed de impeditione, ne ſortiatur effectum. Nec aliter poteſt intelligi D. Auguſtinus (iuxta Societatis principia) in prædictis verbis. Cum enim Sanctus Doctor loquatur de voluntate humana, vt in ſtatu abſoluto conſtituta: & vt ita conſtituta certum ſit in noſtra Schola poſſe impedimentum præſtare, quo minus Deum eam conſentire efficaciter velit, & decernat: ly *impedire* voluntatem diuinam, non de impedimento exiſtentiæ decreti: ſed de impedimento effectus neceſſario intelligi debet: quod conſonat communi loquendi modo, iuxta quem impedire voluntatem, & conatum alicuius, idem eſt, ac eſſe in cauſa, ne ea voluntas obtineat, quod conatur, & intendit.

33 Fatemur denique cum Auguſtino poteſtatem diuinam omnipotentiſsimam eſſe. Cæterum, vt omnipotentiſsima ſit, non requiritur poſſe proxime hominem conuertere; ſed poſſe, ex ſuppoſitione efficaciæ alicuius auxilij. Sicut in ſententia aduerſariorum non eſt contra omnipotentiſsimam Dei poteſtatem non poſſe conuertere hominem per quodlibet auxilium. Et ſicut in ſententia negante Deo connexionem cum poſsibilitate creaturarum, non eſt contra omnipotentiam diuinam conſtitui in eſſe proximè potentis per aliquam ſuppoſitionem Deo contingentem, ipſique quatenus eſt ex ſe defectibilem: ita non erit contra omnipotétiſsimam poteſtatem conuertendi homines, non intelligi Deum proximè potentem, niſi facta aliqua ſuppoſitione conditionata contingenti. Et denique quia, vt ſupra probauimus, ad rationem libertatis humanæ veræ, & non chimericæ, ſpectat excluſio neceſſitatis vagæ efficaciæ alicuius auxilij.

34 Secundo nobis obijciuntur alia verba Auguſtini, in quibus docet Deum poſſe conuertere hominum corda; eaque poſſe inclinare, & mouere, quo voluerit, quando voluerit, & quomodo voluerit: oppoſitumque aſſerere eſſe impie diſipere. Audiatur in Enchiridio cap. 97. vbi hæc habet. *Quis tam impiè deſipiat, & dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit in bonam non poſſe conuertere.* Idem docet lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 20 per hæc verba. *Scriptura oſtendit non ſolum bonas hominum voluntates; ſed etiam illas, quæ conſeruant ſæculi creaturam, ita eſſe in poteſtate Dei, vt eas, quo voluerit, quando voluerit faciat inclinari. id eſt quaslibet, & quantumuis obſtinatas voluntates.*

35 His textibus reſponderi poteſt: hic tantum docere Auguſtinum quod, ſi Deus velit aliquem conuertere, poterit eum

con-

conuertere quando voluerit,& vbi voluerit:qhia voluntas efficax diuina nequit fruſtrari:quam obrem,qui oppoſitum doceret,impie deſiperet,ſiquidem impie negatur Deo poteſtas ad exequendum,quod decreuiſſe ſupponitur.

36 Verum cum in alijs locis abſolute doceat Auguſtinus poſſe Deum conuertere quemlibet hominem,eſſeque in poteſtate Dei ne homo,quicumque ille ſit,tentationi ſuccumbat:aliter etiam prædicto teſtimonio, & alijs ſimilibus, reſpondendum eſt. Igitur Auguſtinus alijs in locis id diſerte docet:lib.14.de Trinit. cap.27. *Quis audeat credere, aut dicere, vt neque homo caderet, in Dei poteſtate nonfuiſſe* lib.de Gratia Chriſti cap. 14. *Intelligant poſſe Deum mirabili, & ineffabili poteſtate, operari in cordibus omnium non ſolum veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Epiſtol.107.poſt medium loquẽs de perverſis viris *contradicentibus fidei, & eius doctrinam impia voluntate perſequentibus*, ait eos *ad ſe ipſum omnipotentiſsima facilitate conuertit, ac volentes ex nolentibus facit*, & lib.11.de Geneſi ad litteram cap.10. *Sed poſſet ipſorum voluntatem in bonum conuertere, quoniam omnipotens eſt. Poſſet plane. Cur ergo non fecit?*

37 Reſpondeo D.Aug.his verbis docere Deum defacto quemlibet poſſe conuertere,& obdurare;quod quidem in noſtra ſententia veriſsimum eſt:nam defacto nulla eſt voluntas, quæ vel omnibus auxilijs diſſenſura,vel omnibus cõſenſura prævideatur.Item fatemur inſipientiam impiam eſſe oppoſitum aſſerere: tum quia aduerſatur pluribus ſcripturæ teſtimonijs,quibus id aſſeritur,tum etiam,quia,cum certum moraliter ſit plura eſſe auxilia efficacia,pluraque inefficacia eſſe,qui negaret Deum aliquem hominem conuertere poſſe,non auxiliorum defectui; ſed poteſtatis imbecillitati tribuere videretur.Cæterum poteſtatem conuertendi quemlibet hominem Deo conuenire antecedenter ad omnem ſuppoſitionem contingentem,etiam conditionatam,ex prædictis verbis minime colligitur:licet enim dicat Auguſtinus poſſe Deum voluntates in bonum conuertere, *quoniam omnipotens eſt.* Hoc tamen non probat ſufficere omnipotentiam; circunſcripto quolibet alio,vt proxime poſsit quemlibet conuertere: ſed ſolum probat omnipotentiam requiri,vt quemlibet hominem conuertere valeat: ſicuti in communiſsima ſententia negante Deo connexionem cum creaturam poſsibilitate,veriſsime dicitur Deum abſolute poſſe creare alios mundos,quia omnipotens eſt,tametſi ſupponenda ſit eorum non repugnantia contingenter ſe habens reſpectu Dei,quatenus eſt ex ſe.

38 Ter-

te vocare, & ita vocare, vt faciat hominem volentem, & obedientem; iſtaque Dei poteſtas eſt ita *plena, neceſſaria, & ab homine independens*, vt implicet per iſtius reſiſtentiam impediri quo minus Deus habeat in ſua manu miſereri illius, donando ipſe quod velit, obediat, & conuertatur. *Sic* (ait Auguſtinus) *& verum eſt non volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui ſequuti ſunt vocationem, & non ſimiliter verum eſt non miſerentis, ſed volentis eſt hominis; quia non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, & vt fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit; quia ſi vellet, etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, vt mouerentur.* Ex quibus verbis, totoque contextu, videtur colligi Auguſtinum agnoſcere vt Deo neceſſariam, & per nullius arbitrium impedibilem poteſtatem quemlibet conuertendi.

41 Hoc confirmatur hoc ſyllogiſmo. Implicat caſus, in quo *ſicut non eſt volentis, ſed miſerentis* ita è contra *non ſit Dei miſerentis, ſed hominis volentis*. Sed talis eſſet, iuxta Auguſtinum, caſus, in quo homo præuideretur reſtiturus omni auxilio: ſiquidem tunc, quamvis Deus vellet miſereri eius hominis, non poſſet eum vocare apte, vt moueretur, & fruſtra miſereretur, ſi homo nollet. Ergo iuxta Aug. implicat caſus reſiſtentiæ conditionatæ omnibus auxilijs.

42 Reſpondeo non ideo dixiſſe Auguſtinum falſum eſſe in caſu diſſenſus *non eſt Dei miſerentis, ſed hominis volentis*: quia Deus habet in ſua poteſtate vocare efficaciter; ſed quia quando vocat inefficaciter, non miſeretur in ſenſu Apoſtoli: ſi enim vellet miſereri, iam tunc poſſet ita vocare quomodo illis aptum eſſet, vt mouerentur; quod quidem non eſt fundare falſitatem illius propoſitionis *non miſerentis eſt Dei* in poteſtate abſoluta vocandi efficaciter; ſed, vel ſolum aſſerere quod, dato caſu, quod Deus vellet miſereri, poſſet efficaciter vocare: vel ſemel reddita ratione falſitatis illius propoſitionis (ex eo quod Deus in caſu auxilij inefficacis nõ miſereatur, quando quidem non eſt in poteſtate hominis, quod fruſtra Deus miſereatur) adducere argumentum efficax ad probãdum Deum tunc non miſereri in hunc modum. De facto non deficit auxilium efficax, quo poſſet Deus obtinere conſenſum. Quando ergo vocat inefficaciter, non dicendum eſt fruſtrari eius miſericordiam, ſed potius aſſerẽdum eſt tunc nolle miſereri: quia, ſi vellet miſereri, non vocaret inefficaciter; ſed efficaciter, cum haberet ad manum auxilia, de quibus illi conſtat eſſe efficacia.

43 Non ergo conſiſtit falſitas illius propoſitionis *non miſerentis eſt Dei* in poteſtate vocandi efficaciter; ſed in eo, quod quando inefficaciter vocat, non miſereatur. At vero Deû tunc nô miſereri, probat Auguſtinus, tum præcipue, quia non eſt in poteſtate hominis fruſtrari miſericordiam diuinam; tum ex eo, quòd de facto poſsit Deus vocare efficaciter. Sin vero eſſet caſus, in quo Deus efficaciter vocare non poſſet, deficeret hoc argumentum ad probandum defectum miſerationis diuinæ in caſu diſſenſus; non tamen verificaretur tunc Deum miſereri; & conſequenter falſum eſſet in illo caſu *Non miſerentis eſt Dei*; quia in illo caſu non fruſtaretur miſericordia diuina: quando quidem Deus in prædicto caſu nollet miſereri. Explicatur ſolutio ex contextu Verborum D. Auguſtini.

44 Immediatè ante verba nobis obiecta dixerat Auguſtinus. *Ad alios autem vocatio quidem peruenit* (loquutus fuerat prius de electis) *ſed quia talis fuit, qua moueri non poſſent* (intellige conſequenter) *vt eam capere apti eſſent, vocati quidem dici potuerunt; ſed non electi*. Horum igitur propoſito diſſenſu, continuo ſubdit: *& non tam ſimiliter verum eſt. Igitur non miſerentis Dei; ſed volentis, atque currentis eſt hominis*. In quibus verbis negat male inferri ex eorum diſſenſu, quod conſentire non ſit penes Deum, dum miſeretur, & ſit penes hominem, dum conſentit; quaſi Deus in caſu prædict: diſſenſus miſereretur horum, & tamen non obtineret effectum ſuæ miſericordiæ, nec eſſet in ſuâ manu illum obtinere.

45 Progreditur Auguſtinus, vt reddat rationem falſitatis illius illationis: *quoniam non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, vt fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit*. Quaſi dicat Auguſtinus: falſum eſt dicere homine diſſentiente irritam reddi miſericordiam diuinam per hominis diſſenſum, eſſeque conſenſum extra eius efficaciam, virtutem, & poteſtatem; quia falſum eſt eſſe in hominis poteſtate, vt fruſtra Deus miſereatur, ſi homo diſſentiat. Non ergo in prædicto caſu miſeretur Deus fruſtra; ſed potius miſereri non vult: *quia ſi vellet etiam eorum* (qui de facto diſſentiunt) *miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, vt & mouerentur, & intelligerent, & ſequerentur*.

46 Non ergo, vt conſtat ex hoc toto contextu, intendit Auguſtinus probare ſemper eſſe in poteſtate Dei efficaciter vocare, nec verba Pauli *eſt Dei miſerentis* indicat ſignificare ſemper eſſe in manu Dei obtinere conſenſum; ſed ſolum contendit Sanctus

Doctor,

Doctor, quod quando homo conſentit ipſo volente, & Deo miſerante, aliqua ratione *hominem reſpondere vocationi* prouenit à Deo miſerante, qua non prouenit ab homine conſentiente; quando vero homo non conſentit, negat Auguſtinus poſſe vere dici *non eſt Dei miſerentis*: ideſt miſeretur Deus, & tamen nequit obtinere ab homine bonam voluntatem: quia hoc eſſet fruſtra miſereri, quod Deo repugnat: potius dicendum eſt: eorum, quos inefficaciter vocat, Deus non miſeretur in ſenſu Apoſtoli.

47 Hac ratione ſe explicat diſſertiſsime Sanctus Doctor per hæc verba, quæ textum nobis obiectum poſt quatuor lineas ſequuntur: *Item verum eſt, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; quia etiam ſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocare aptum eſt, vt ſequantur.* Et vt conſtet in caſu diſſenſus eatenus falſum eſſe; *non eſt Dei miſerentis*, quia per hanc propoſitionem, vt oppoſitam verbis Apoſtoli, ſignificatur Deum, & miſereri, & fruſtra miſereri: immediate ſubdit. *Falſum eſt autem ſi quis dicit igitur non miſerentis Dei, ſed volentis atque currentis eſt hominis: quia nullis Deus fruſtra miſeretur. Cuius autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.* Ergo per verba Apoſtoli *miſerentis eſt Dei* non ſignificatur poteſtas plena, & immediata in Deo ad obtinendum conſenſum; ſed quod, quando de facto miſeretur Deus vocando efficaciter, donat, & facultatem, & actum.

48 Hinc iam facilis apparet ſolutio ad confirmationem num.41. quæ in illo ſyllogiſmo continetur. Concedo enim maiorem, & nego minorem: nam caſus, in quo *non eſſet miſerentis Dei* in ſenſu Apoſtoli, & D. Auguſtini, non eſt caſus, in quo nõ eſſet Deus plene potens conuertere hominem, & obtinere eius bonam voluntatem; ſed caſus, in quo Deus miſereretur, & in ſenſu compoſito miſerendi, non obtineret rectam hominis voluntatem: quod quidem implicat: quia in ſenſu Apoſtoli Deum miſereri eſt Deum eligere; & implicat miſericordiam, & electionem diuinam fruſtrari.

49 Obijcitur nobis quinto idem Auguſtinus eodem lib.1. ad Simplicianum eadem quæſt.2. colum.8. vbi, cum quæſiuiſſet. *Cur Eſau non eſt ſic vocatus, vt vellet obedire videmus enim alios aliter eiſdem rebus demonſtratis ad credendum moueri*; quod Sanctus Doctor plurimis exemplis ex ſcriptura depromptis confirmat: ita concludit. *Cum autem alius ſic alius autem ſic moueatur ad fidem, &c. Quis audeat dicere defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret,*

g[illegible], in qua Iacob iuſtificatus eſt? Vt autem oſtendat Auguſtinus hanc audaciam eſſe aduerſus diuinam omnipotentiam, Paulo inferius loquens de voluntate adeo obſtinata, vt *contra omnes modos vocationis obdureſcat mentis auerſio*, dicit eam duritiem non eſſe quia Deus non poſsit eam voluntatem mouere; ſed in pœnam accidere: & ſubdit. *Cum enim Deus deſerit non ſic vocando, quomodo ad fidem moueri poteſt* (id eſt mouendus foret) *quis etiam dicat modum, quo ei perſuaderetur, vt crederet, omnipotenti defuiſſe?* Ergo ex audacia negandi modum, quo efficaciter moueretur voluntas, omnipotentiæ Dei aduerſatur.

50 Reſpondeo nimiam audaciam eſſe negare defacto aliquod fore auxilium efficax ad mouendam voluntatem: tũ quia nimis audax eſt, qui id negat, quod omnes fatentur: tum quia, cum Deus ob ſuam omnipotentiam poſsit omne, quod implicationem non inuoluit, & voluntatis libertati non aduerſatur, magis negat, qui negat Deo omnipotenti medium ad obtinendum conſenſum, quam qui negaret Deo non omnipotenti; quia vt negetur Deo omnipotenti, opus eſt aſſere. e nullũ omnino eſſe mediũ: quod quidẽ nõ eſſet opus negare, ſi Deus omnipotẽs ne foret: tunc enim poſſet dici eſſe abſolute medium, non tamen eſſe in manu Dei, quia nõ eſſet omnipotens. Vnde falſum eſt defectum auxilij efficacis opponi omnipotentiæ diuinæ; licet verum ſit ex conceptu omnipotentiæ magis audere qui negat Deo eſſe medium ad conuertendum, quam auſurum, ſi Deus non crederetur omnipotens.

51 Ob. vltimo Aug. cap. 14. de Corrept. & Gratia, vbi hæc habet *Deus magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quas ipſi ſuas.* Sed homo habet poteſtatem proximam ſe conuertendi. Ergo & Deus neceſſario habet etiam poteſtatem proximã illum conuertendi. Reſpondeo explicando authoritatem Auguſtini per diſtinctionem. Deus defacto, & prout nunc ſunt res, concedo. Deus acceptus ſecundum ſe ſub diſtinguo: facta comparatione cum homine ſecundum ſe, concedo: cum homine, vt ex libertate Dei conſtituto in eſſe liberi: nego: non enim in hoc ſenſu loquutus eſt Auguſtinus; ſed, vt verius exiſtimo, prout defacto ſunt res; ſiue quia homo non habet ex ſe adhuc facultatem volendi, Deus vero, & tribuit facultatem, & quatenus eſt ex ſe donat conſenſum; licet ex vitio ſuo homo non conſentiat.

SECT.

SECT. IV.

Argumentis à ratione petitis adhibetur ſolutio.

52 OB. 1. Illa poteſtas debet neceſſario tribui Deo, quæ magis commendet eius dominium, ſi non conuincatur repugnans. Sed poſſe Deum quemlibet hominem, quamlibetque voluntatem creatam mouere efficaciter, & mouere inefficaciter, magis commendat dominium diuinum: & aliunde non conuincitur repugnans. Ergo debet tribui Deo. Reſpondeo tranſmiſſa maiore: negando minorem quoad ſecundam partem: nam hæc neceſſitas vaga deſtruit conceptum libertatis, vt conſtat ex probatione noſtræ concluſionis.

53 Ob. 2. Longè plus eſt poſſe verificari ſimul, quod voluntas reſiſteret huic, & illi, & ſimiliter reliquis auxilijs, ſi cōferrentur, quam poſſe verificari, quod reſiſteret huic, & illi: non tamen reliquis. Ergo optime poteſt intelligi hæc ſecunda potentia ſine illa prima. Ergo ex illa prima non infertur hæc ſecunda. Ergo non implicat poſſe voluntatem reſiſtere, cuilibet libertati ſeorſim; & tamen non poſſe verificari, quod reſtitura foret cuilibet auxilio.

54 Nego maiorem realiter loquendo: quidquid ſit: an noſtro modo concipiendi appareat vna poteſtas maior altera. Etenim à parte rei idem eſt poſſe voluntatem reſiſtere cuilibet auxilio ſeorſim ſumpto, ac poſſe verificari ſimul reſtituram fore cuilibet auxilio, ſi conferetur. Nam cum reſiſtentia conditionata vnius diſparato modo ſe habeat reſpectu alterius reſiſtentiæ conditionatæ, ità vt indifferentia ad vnam, ſiue ad plures, non ſit indifferentia ad illas diuidendas ab alijs: idem eſt dari indifferentiam ad quamlibet reſiſtentiam conditionatam ſeorſim, ac dari ad omnes reſiſtentias ſimul in eſſe conditionato: etenim, ſi futuritio obiecti A. neque præcedat ad non futuritionem obiecti B. neque illam ſequatur; neque indifferentia ad futuritionem obiecti A, ſit indifferentia ad ponendam eam impediendo futuritionem obiecti B: idem erit poſſe eſſe futurum obiectum A, & obiectum B. ac poſſe coniungi futuritiones vtriuſque.

55 Ob.

55 Ob. Tertio varias paritates ad oſtendendum poſſe dari poteſtatem ad efficaciam cuiuslibet auxilij ſeorſim ſumpti, quia detur indifferentia ad ſimultatem efficaciæ omnium auxiliorum. Prima paritas deſumitur ex volitione, & nolitione diuina circa mundum v.g. quia, licet vterque actus ſeorſim ſumptus poſsit deficere, nequit tamen vterque ſimul deficere. Ergo etiam in noſtro caſu, licet efficacia cuiuslibet auxilij ſumpta ſeorſim poſsit deficere, perperam inde deducitur poſſe efficaciam omnium auxiliorum ſimul deficere.

56 Negatur conſequentia. Ratio diſparitatis aperte colligitur ex probatione noſtræ concluſionis, etenim idem eſt exiſtere volitionem, ac deficere nolitionem, & viciſsim: quapropter per eamdem libertatem, per quam ponitur vna, altera excluditur: ideo poteſtas ad vnam, eſt poteſtas ad impediendam alteram, ſeu ad ponendam primam diuidendam à ſecunda. At vero determinatio conditionata ad conſenſum reſpectiue ad auxilium A. v.g. non eſt determinatio ad diſſenſum reſpectiue ad auxilium B. nec indifferentia, & poteſtas ad vnum, eſt indifferentia, aut poteſtas ad aliud; quare, data inefficacia auxilij A, poteſtas ad inefficaciam auxilij B. debet eſſe poteſtas ad inefficaciam ſui in ſenſu compoſito inefficaciæ cuiuslibet alterius auxilij: at vero deficiente nolitione, poteſtas ad defectum volitionis ſolum eſt poteſtas ad nolitionis defectum in ſenſu diuiſo defectus volitionis.

57 Secunda paritas deſumitur ex durationibus infinitis in hunc modum Supponatur cum communi ſententia repugnare infinitum in actu durationum ſucceſsiuarum à parte ante: in tali caſu neceſſe erit vt detur aliqua prima duratio, antequam præceſſerint infinitæ carentiæ durationum anteriorum. Tunc ſic. Quælibet ex his carentijs determinate ſumpta, eſt contingens, & poteſt deficere, & tamen eſt vagè neceſſarium, quod exiſtant innumeræ ipſarum, & in Deo datur connexio cum eo, quod non ſimul deficiant omnes. Ergo ſimiliter in dicto cumulo auxiliorum indifferentium cohærere poteſt quod poſsit deficere efficacia cuiuslibet ſumpta ſeorſim, quin poſsit dari ſimultas defectus efficaciæ omniũ auxiliorum.

58 Tranſmiſſo antecedente: nego conſequentiam. Ratio diſparitatis etiam ſumitur ex ratione à priori noſtræ concluſionis. Etenim cum quælibet duratio ſeorſim ſumpta connectatur intrinſecè, & eſſentialiter cum defectu infinitarum durationum anteriorum, non aliter eſt poſsibilis, & determinabilis à Deo, niſi in

ſenſu

ſenſu diuiſo infinitarum durationum præcedentium; quare eadem libertate, & poteſtate, qua Deus quamlibet durationem determinat, determinat ſimiliter defectum aliarum infinitarum durationum antecedentium. At vero in caſu noſtro auxiliorum libertas, aut indifferentia ad efficaciam vnius, vel ad efficaciam auxiliorum vnius cumuli infiniti, non eſt libertas, aut indifferentia ad efficaciam, vel inefficaciam auxiliorum alterius cumuli: quare omnes hæ efficaciæ, vel inefficaciæ, poterunt coniungi; ſecus omnes illæ durationes: durationes enim ab eadem libertate dependent; efficaciæ vero, & inefficaciæ auxiliorum, à libertatibus inter ſe diſparatis. Et hac eadem ratione reſpondetur ad aliam paritatem deſumptam a poſsibilitate præteritionis cuiuslibet durationis ſeorſim, & impoſsibilitate ſimultatis præteritionum omnium durationum ſucceſsiuarum.

59 Vltima paritas, & quæ magis videtur vrgere, ſumitur ex neceſsitate morali. Nam communiter conceditur neceſsitas moralis vaga de eo, quod ex mille hominibus omnino indifferentibus ad loquendum, & non loquendum otioſe, aliquis loquatur otioſe. In quo caſu ex ſuppoſitione, quod omnes diſtincti à Petro otioſe non loquantur, Petrus eſt neceſsitatus moraliter vt loquatur otioſe: ex ſuppoſitione vero, quod à verbo otioſo abſtineant, Petrus talem moralem neceſsitatem non patietur: & tamen indifferentia aliorum adæquatè diſtinguitur ab indifferentia, & poteſtate Petri. In hoc ergo caſu defectus cuiuslibet verbi otioſi ſeorſim, eſt poſsibilis moraliter; & tamen non eſt poſsibilis defectus ſimultaneus omnis verbi otioſi illorum mille hominum. Cur ergo in noſtro caſu, licet indifferentia conſtituta per vnum auxilium ad efficaciam conditionatam ſit adæquatè diſtincta ab indifferentia; & libertate conſtituta per aliud auxilium, non ſtabit cum poteſtate ad inefficaciam cuiuslibet ſeorſim impoſsibilitas ſimultatis inefficaciæ omnium auxiliorum.

60 Fateor paritatem vrgentiſsimam eſſe aduerſus eos, qui cenſent neceſsitatem moralem vagam reddi determinatã per defectum aliorum extremorum. Cæterum nequit vim habere ea paritas aduerſus eos, qui has vagas neceſsitates morales diſtinctas à neceſsitate morali determinata alicuius extremi determinati ex parte rerũ conſtanter negant, vt Aldrete, Quiros, & nõnulli RR. Neque efficax poteſt eſſe ea paritas contra me, qui, licet cõcedã moralẽ neceſsitatem vagam ex parte rerum identificatam cum vnius indifferentia cuiuslibet extremi, nego tamen vnquã per de-

fectum aliorum extremorũ præter vnũ, reſpectiuè ad illud vnum reddi determinatã; ſed potius dicendum eſſe per partes ſuperari.

61 Itaque, vt explico late tract. de voluntate, neceſsitas moralis alicuius verbi otioſi inter mille homines æquè indifferentes ad verbum otioſum, & eius defectum, nihil aliud eſt, quam eſſe vnicum tantum modum deficiendi omne verbum otioſum, & eſſe admodum plurimos modos verificandi eſſe aliquod verbum otioſum, quorum quilibet eſt adeo contingens, ac contingens eſt defectus cuiuslibet verbi otioſi. Etenim, vt verificetur nullum loqui otioſe, requiritur determinatè ſimultaneus defectus omnis verbi otioſi, vt autem aliquis otioſe loquatur, ſufficit quilibet modus ſe gerendi illorum hominum, in quo detur verbum otioſum alicuius. Cum autem plurimi modi ſint, quibus poteſt verificari aliquẽ loqui otioſe: v.g. Si loquatur Petrus, & reliqui taceant, vel ſi loquantur Petrus, & Ioannes reliquis ſilentibus, vel ſi loquatur Ioãnes ſolus: ideo vſque adeo magis contingens eſt aliquem otioſe loqui, vt moraliter impoſsibile ſit quod detur ſimultaneus defectus omnis verbis otioſi.

62 Verũ cũ hæc neceſsitas moralis aliquẽ loquendi otioſè coaleſcat ex contingentia verbi otioſi Petri, & cõtingentia verbi otioſi Ioannis, & ſic in reliquis: hinc fit quod, ſi omnes diſtincti à Petro loquantur otioſe, prædicta neceſsitas ſuperetur per partes; non vero reddatur determinata neceſsitas verbi otioſi Petri: quia hæc neceſsitas eſt per purã aggregationẽ illarũ cõtingẽtiarũ; ita, vt quælibet diſparato modo ſe habeat reſpectu alterius. Quãobrẽ in caſu prædicto adeo cõtingẽs eſt Petrũ nõ loqui otioſe, ac eſt cõtingẽs otioſe loqui, vt late probo, tũ In met. tũ tract. de volũt. Dei

63 Hinc ad paritatẽ propoſitã: nego dari neceſsitatẽ moralẽ vagã, quæ reddi poſsit determinata, aut minus vaga per defectũ aliquorũ extremorum: quia per defectum taliũ extremorum nõ determinatur, aut coarctatur, ſed potius ſuperatur, & vincitur. Si vero inſtes. Ergo pariter poterit dari neceſsitas metaphyſica vaga efficaciæ alicuius infiniti auxiliorum, licet non ſit neceſsitas, quæ poſsit reddi determinata, aut magis coarctata: negãda eſt cõſequẽtia: quia catenus poteſt dari ea neceſsitas moralis, quæ nequeat coarctari: quia de conceptu prædictæ neceſsitatis moralis eſt, tũ poſſe per partes ſuperari, tum etiã eſſe neceſsitatẽ moralẽ per purã aggregationẽ contingentiarũ extremi oppoſiti. At vero neceſsitas metaphyſica ex conceptu ſuo habet ſuperari non poſſe: & ſimiliter non poſſe conſtitui per aggregationem multiplicis con-

tingentiæ, adhuc infinitæ, extremi oppoſiti; quia, quãtumvis multiplicetur contingentia extremi oppoſiti, non ſufficit, vt a ratione metaphyſicæ contingentiæ extrahatur, nec ad hoc, vt extremũ oppoſitum reddatur metaphyſicè impoſsibile. Non ergo à neceſſitate morali vaga, prout à nobis conceditur, ad neceſsitatem metaphyſicam vagam congrua paritas poteſt allegari.

64 Ob.3. Ex terminis videtur abſurdũ quod ſit maior poteſtas creaturæ ad indurandũ cor ſuũ, quã poteſtas Dei ad ipſum emolliẽdũ. Sed creatura, quæ ſimul præuideretur omnibus auxilijs diſſenſura; præuideretur potentior ad indurãdũ cor ſuũ, quã Deus ad emolliendũ: ſiquidẽ Deus non haberet in ſua poteſtate mediũ vllũ eã emolliendi. Ergo nequit creatura præuideri omnibus auxilijs diſſenſura. Cõfirmatur 1. Nã poteſtas reſiſtendi finita, qualis eſt creaturæ, nequit reſiſtere potentiæ infinitæ emolliendi ipsã, qualis eſt potentia diuina. Confirmatur 2. Nã ſupra quodlibet auxiliũ cõferibile creaturæ dãtur infinita alia maiora, & maiora, quibus poſſit Deus ipſam vocare. Sed ex potentia reſiſtendi auxilio, ſupra quod dantur in infinitum alia maiora, nequit inferri poteſtas reſiſtendi omnibus, cum hæc poteſtas ſit infinite maior, quam illa. Ergo cum potentia creaturæ ad reſiſtendum cuilibet, debet componi poteſtas eam vincendi per collationem aliorum.

65 Nego maiorem primi ſyllogiſmo in ſenſu aduerſariorum. Etenim certum eſt per auxilium de facto efficax poſſe proximè voluntatem indurare cor ſuum; & tamen non habet Deus poteſtatem proximam emolliendi eam voluntatem per illud auxilium; imò per quodlibet auxilium eſt potens proximè voluntas ſe conuertere, & ſe indurare: Deus vero non habet eam proximam poteſtatem. Ergo ab omnibus negandum eſt antecedens in ſenſu aduerſariorum.

65 Deinde reſpondeo, quod, vel comparatio fit inter Deum ſecundum ſe, & creaturam ſecundum ſe, præſcindendo ab auxilijs, vel inter Deum, vt inſtructum Scientia Media efficaciæ, vel inefficaciæ, & voluntatem conſtitutam in eſſe proximè indifferentis per libertatem. Si comparatio fiat primo modo, maior eſt poteſtas Dei in ordine ad conuerſionem, quam poteſtas creaturæ: quia Deus, licet non habeat poteſtatem proximã conuertendi, habet tamen poteſtatẽ reddendi creaturã proximè potentẽ ſe conuertere. Creatura vero ſecundum ſe cõſiderata, nec poteſtatem quidem habet adquirendi facultatem ſe conuertendi. Quapropter, iuxta hanc conſiderationem, maiorem poteſtatem habet Deus,

quā creatura in ordine ad conſenſum. Si vero fiat cōparatio inter Deum conſideratum cum neceſsitate vaga huius, vel illius Scientiæ Mediæ, & creaturam in eiſe immediate liberæ conſtitutam cō ſequenter ad diuinam voluntatem eam vocandi: plane concedo maiorē eſſe poteſtatē creaturæ ex beneficio diuino ad ſe conuertē dum, quā poteſtatē proximā diuinā conuertendi creaturā: hoc autē nihil aliud eſt, quā Deū relinquere creaturā in manu cōſilij ſui.

67 Ad 1. confirmationem: reſpondeo potentiam Dei ad conuertenda hominum corda eſſe infinitam ex parte propriæ perfectionis, eſſe etiam infinitam extenſiuê ex parte mediorū, quæ poteſt adhibere; non tamen eſſe infinitam ex parte efficaciæ mediorum, quæ poteſt adhibere. Potentiæ ergo, quæ ſolum eſt infinita duobus modis prioribus; non vero tertio, optime poteſt finita potentia reſiſtere.

68 Ad 2. confirmationem: diſtinguo maiorem: ſupra quodlibet auxilium conferibile creaturæ dantur infinita alia maiora, & maiora, ita vt quodlibet ſit indifferens concedo: connexū: nego maiorem. Et deinde diſtinguo minorem. Ex poteſtate reſiſtē di auxilio, ſupra quod dantur alia maiora, nequit inferri poteſtas reſiſtendi omnibus: ſi quodlibet ex illis maioribus ſit indifferens, & conſtituens diuerſam libertatem: nego: aliter concedo minorem, & ſimiliter nego ſuppoſitū illud, nēpe poteſtatē reſiſtendi omnibus eſſe maiorem poteſtate reſiſtendi cuilibet conſtituenti diuerſam libertatē, propter rationē traditā in noſtræ cōcluſionis probatione

69 Ob. 4. Non minus debet ab intrinſeco in eſſe Deo dominium donandi Angelo, & homini abſtinentiam liberam à peccato, ac ineſt illis dominium ſe abſtinendi. Sed hoc dominium ita ab intrinſeco conuenit Angelo, & homini, vt nequeant illo connaturaliter priuari ſub hac, vel alia libertate. Ergo ita ab intrinſeco cōpetit Deo, vt nequeat ipſo connaturaliter priuari per ordinem ad collationem huius, vel alterius ex infinitis libertatibus. Si autem id competit Deo ab intrinſeco connaturaliter, eo ipſo conuenit eſſentialiter, vt patet. Confirmatur: quia obſeruatio libera præceptorum, & tentationum victoria, eſt effectus æſtimabilior pleriſque alijs effectibus phyſicis. Sed Deus non poteſt carere potentia libera erga illos. Ergo neque erga iſtum.

70 Imprimis poteſt negari maior ſyllogiſmi propoſitis: cum enim dominium proximum Dei ad conuertendum hominem liberè, nō pertineat ad perfectionē diuinā: ſiquidē neceſsitas illius ipſi libertati opponitur, & nequeat ad perfectionē Dei ſpectare, quod

quòd Deo nequit neceſſario conuenire: præſertim cum indepen-denter à ſui libera voluntate illi deficere poſsit: non eſt cur Deo aliqua debeat ineſſe neceſsitas illius dominij. At vero creatura habet exigentiam naturalem alicuius libertatis: ideoque in creatura poteſt eſſe aliqua connexio cum hoc dominio; ſecus in Deo. Ad confirmationem reſpondeo obſervationem liberam præceptorum ex conceptu ſuo habere eſſe æſtimabiliorem entitatiuè alijs effectibus phyſicis; verum hoc habere cum prædicato repugnantiæ ſubijciendi ſe alteri dominio diſtincto à creaturæ libertate. Et manifeſte inſtatur argumentum in obſervatione præcepti ex vi auxilij præuiſi inefficacis: quæ obſervatio perfectior eſt alijs effectibus phyſicis, & tamen non ſubditur diuino dominio, cum alij effectus phyſici ſubijciantur.

71 Reſponderi poteſt ſecundo concedendo maiorem, quatenus aſſerat æquè ſtrictum eſſe debitum, vt Deus habeat plenum dominium actus liberi Petri, ac eſt debitum in Petro, vt habeat libertatem ad prædictum actum. Nam, licet Petro ſit connaturale tale dominium; ſecus Deo; nihilominus; cum tota hæc connaturalitas vltimo reuocetur in neceſsitatem moralem, quam habet Deus annuendi naturalibus exigentijs, non præſtat maiorem, aut ſtrictiorem connexionem cum hac libertate, ſeu dominio, quam connexionem moralem. Cum vero, licet metaphyſicè loquendo poſsit verificari hominem omnibus auxilijs fore diſſenſurum; moraliter tamen hoc impoſsibile ſit impoſsibilitate morali omnium maxima fundata in prædicatis eſſentialibus libertatis, cum quibus Deus (iuxta meam, & etiam arguentium ſententiam) connectitur eſſentialiter: inde fit adeo ſtrictè connecti Deum cum efficacia aliquorum auxiliorum, & conſequenter cum pleno dominio obtinendi à Petro liberum conſenſum, ac connectitur creatura cum libertate, ſeu dominio proximo per hoc, vel illud auxiliũ conſtituto.

72 Ob.5. RR. ex noſtra ſententia inferri poſsibile metaphyſicè eſſe omnem creaturam liberam, ſiuè Angelum, ſiuè hominem diſſenſuram fore omnibus auxilijs: ex quo fieret Deum eſſe potentem ſolum ad indurandam, non vero ad faciendam, vel vnicam ex ijs creaturis præceptis diuinis libere obedientem: ſequeretur inſuper eſſe poſsibilem caſum, in quo nullus Angelorum, aut hominum poſſet cordate Deum orare pro mandatorum obſervantia, aut tentationum victoria: aliæque conſequentiæ, quas quiſque facile poteſt excogitare. Quæ quidem ex terminorum ap-

prehenſione non ſolum abſurdæ ; verum , & horribiles videntur.

73 Reſpondeo has illationes, quæ quidem legitimæ ſunt, minime abſurdas, ſed naturæ libertatis conſentaneas eſſe : ſicut enim metaphyſice non repugnat omnes creaturas, ſiue Angelicas, ſiuè humanas, eſſe de facto in obedientes: ita vt ne vna quidem, vel in re omnium minima, Deo obſequatur; ſed potius omnes de facto in Deum blaſphement, & rebellent : ideoque hoc non eſt indecens Deo, quia eſt penes earum creaturarum indifferentiam: ita pariter non repugnat quod prænideantur diſſenſuræ omnibus auxilijs, nullumque, vel minimum præceptum obſeruaturæ. Etenim, ſi Deus vult quod voluntas creata minime ab ipſo determinetur , ſed proprio , ſpontaneo , liberoque plene procedat arbitrio : & etiam vult quod arbitrium ſit ad faciendum quod ipſi voluntati placuerit: quid mirum quod ipſa voluntas poſſit omnibus reſiſtere auxilijs, cum hæc poteſtas ad plenitudinem arbitrij ſibi à Deo collati ſit conſentanea.

74 Declaratur vlterius. Eo ipſo, quod conſenſus liberè ſit exercendus , non pertinet ad diuinum dominium illum poſſe determinare. Quod autem ad diuinam non ſpectat determinationem, minime implicat quod Deus nequeat facere quod exiſtat: cùm enim eatenus ſit in poteſtate Dei , quatenus iam antecedenter ſupponitur futuritio conditionata contingens, à libertate diuina , vt abſoluté exercita, independens; non erit contra dominium diuinum , niſi quatenus ipſi dominio aduerſetur , quod deficiat futuritio conditionata. Cæterum defectus futuritionis conditionatæ dominio diuino præiudicium non affert : deficere enim , quod contingens eſt , & à libertate diuina independens, libertate diuinæ officere non valet : quippe ſolum ſpectat ad dominium, & ius diuinum , quod ipſi ſubijcitur dominio, non autem quod extra eius collocatur ditionem, & à diuina , iure ſuo, eximitur libertate.

75 Declaratur vlterius in auxilio A effitaci reſpectu conſenſus. Adeo poſsibile eſt ex prædicatis intrinſecis *conſentire auxilio A*, ac eſt *Petrum conſentire alicui auxilio* , & adeo perfectum , & vndequaque eſt integrum dominium diuinum circa hoc *conſentire auxilio A*, ac eſt circa *conſentire alicui auxilio*. Quia tamen determinatio conſentiendi auxilio A. eſt penes creaturam, ſaluatur totum dominium diuinum circa hoc *conſentire auxilio A*, quamvis poſſit deficere Deo plena , & immedia-

di poteſtas: & quamvis non poſsimus in omni caſu rogare Deum, vt conuertat Petrum per auxilium A; ſed ſolam facta hypotheſi de præuiſione eius efficaciæ. Ergo etiam ſaluabitur dominium diuinum circa conuerſionem Petri per hoc, vel per illud auxilium, licet detur caſus, in quo nulli ſit conſenſurus, nec poſsimus rogare, vt illum conuertat libere per aliquod: quia Deus non eſt minus Deus reſpectu huius. *Conſentire auxilio A*, ac eſt reſpectu huius *conſentire alicui auxilio*.

QVÆST. XVII.

De Impiorum Reprobatione.

Plura ſub præfixo titulo continentur, quæ, vel in præcedentibus definita ſunt, vel ex iam dictis facilè definiri poſſunt; ideo longè minus proferetur hæc quæſtio, quam titulus ex ſe poſcere videbatur.

SECT. I.

Quid ſit Reprobatio, & quotuplex.

1 Nomine *Reprobationis* nihil aliud intellexit D. Thomas hac quæſt. 23. artic. 5. in corp. quam permiſsionem diuinam, qua Deus permittit aliquos à fine beatitudinis deficere, & in æternum damnari: ait enim prædicto loco *cum per diuinam prouidentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad diuinam prouidentiam, vt permittat aliquos ab hoc fine deficere: & hoc dicitur reprobare.* Vnde, iuxta hanc acceptionem, adeo certum eſt dari aliquorum reprobationem, ac certum eſt aliquos non conſequi vitam æternam; ſed potius æternam damnationem ſubire.

2 *Reprobatio* diuiditur in poſitiuam, & negatiuam. *Reprobatio* poſitiua dicitur decretum excludendi aliquem à gloria, & eum in æternum damnandi. *Reprobatio* autem negatiua

appellatur negatio beneficiorum Dei, hoc eſt, auxiliorum, quibus conſequetur homo vitam æternam.

3 Hæc diuiſio ita intelligenda eſt, vt nomine *Reprobationis* poſitiuæ intelligatur, non id, quod infert Deum excludere aliquem à beatitudine; ſed potius id, quo Deus aliquem à beatitudine excludit poſitiuè affectiuè tendendo in excluſionem: v. g. actus tendens hac ratione. *Nolo Petrum conſequi beatitudinem.* Nomine *Reprobationis* negatiuæ intelligitur, non actus, quo Deus nolit Iudæ beatitudinem; ſed illa collatio auxilij, quæ infert Deũ hominem illum v. g. Iudam excludere à beatitudine: ſiuè hæc collatio inferens eam excluſionem, ſit aliquod decretum intrinſece connexum cum æterna damnatione huius hominis, ſiuè, prout inferens damnationem, involuat aliquid aliud.

4 Explicatur hoc. Deus præuidens auxilium A. finale fore inefficax reſpectu Iudæ, conſequenterque coniungendum cum diſſenſu, & cum damnatione Iudæ, decernit auxilium A. decreto tendente hac ratione. *Decerno auxilium A, quamuis præuideo inefficax, coniungendumque cum æterna damnatione Iudæ.* Hoc decretum dicitur *Reprobatio* negatiua: non quia negatiuè duntaxat opponatur ſaluationi Iudæ: nam poſitiuè opponitur, cum intrinſecè, & ex ſuis prædicatis connectatur cum damnatione Iudæ; ſed quia non poſitiuè affectiuè; ſed tantum illatiuè, intelligitur Deus per tale decretum excludens Iudam ab æterna beatitudine. Quare *Reprobatio* negatiua tantum eſt collatio auxilij ſufficientis, & negatio efficacis, praſcindendo ab eo, quod hoc fiat decreto connexo, ſiuè indifferente, dummodo non fiat decreto poſitiuè decernente excluſionem à regno.

SECT. II.

Vtrùm Deus ſerio, & ſinceré intendat ſalutem Reproborum? Pro cuius reſolutione præmittuntur aliqua.

5 DIſtinguunt Theologi, dum de voluntate diuina tractant, voluntatem ſigni, & voluntatem beneplaciti: in qua diuiſione ſequuntur D. Thomam in 1. p. q. 19. art. 11. Voluntas ſigni appellatur ea, quæ propriè voluntas illius obiecti non eſt; ſed ſe gerit Deus circa illud obiectum in ordine ad aliquos effectus per inde, ac ſe gerunt homines, cum verè, & proprio affi-

ciun-

Digitized by Google

tiuntur erga tale obiectum. Hac ratione ſolet tribui Deo triſtitia, & dolor: non quia vere, & propriè ſint in Deo; ſed quia ſe gerit Deus in ordine ad aliquos effectus perinde, ac ſolent homines, cum his paſsionibus corripiuntur. Ideo in Deo eſt triſtitia ſigni, ſiue per modum ſigni: quia eſt in Deo id, quod communiter ſignificat triſtitiam in hominibus. Hac etiam ratione permiſsio peccati, quod Deus facile poteſt euitare, dicitur voluntas ſigni circa peccatum: quia permiſsio illius, quod facillimè poteſt euitare, communiter arguit in hominibus aliquam veram voluntatem illius, quod permittitur. Voluntas beneplaciti eſt vera, & propria voluntas, quia Deus, non metaphoricè, aut arguitiuè; ſed verè, propriè, & formaliter, afficitur erga aliquod obiectum. Hac ratione vult Deus ea omnia, quæ poſitiuè decernit. Quæſtio igitur eſt: vtrum Deus, non metaphoricè, hoc eſt voluntate ſigni; ſed etiam verè, & propriè, & voluntate beneplaciti, velit ſalutem reproborum?

6 Gonetus tom. de voluntate concedit in Deo voluntatem beneplaciti circa ſalutem reproborum; verum in explicanda hac voluntate aliqua tradit mihi maximoperè difficilia. Aſſerit enim dicto tomo de volunt. diſp. 4. art. 3. §. 2. voluntatem Dei generalem ſaluandi omnes homines terminari ad gloriam, & ſalutem reproborum, non vt purè poſsibilem; ſed vt futuram: non quidem futuritione perfecta; ſed imperfecta, & inchoata, quatenus nimirum ex vi talis voluntatis Deus afficitur aliqua ratione erga ſalutem hominum: non ita, vt ex vi illius teneatur Deus concedere reprobis auxilium proximè ſufficiens: nam hoc, iuxta Gonetum, nô conceditur plurimis paruulis decedentibus in vtero matris abſque baptiſmo, quin potuerit vlla humana induſtria illis miniſtrari: imô nec conceditur pluribus gentilibus adultis; ſed quia Deus quatenus eſt ex parte ſua, illud offert; tametſi plures auxilium ſufficiens non recipiant.

7 Docet ſecundo hanc voluntatem non velle ſalutem reproborum vt conſideratam abſolutè, & cum omnibus circunſtantijs, ſeu in quantum eſt impedimentum manifeſtationis diuinæ iuſtitiæ; ſed ſolum velle ſalutem reprobo conſideratam ſecundum ſe, & vt præciſſam à circunſtantijs: modo quo iudex plectens capite reum, vult vitam illius hominis ſecundum ſe, & vt homo eſt; non tamen prout opponitur obligationi iuſtitiæ.

8 Tertio artic. 4. docet voluntatem antecedentem ſaluandi homines non eſſe abſolutam; ſed conditionatam: non tamen dici conditionatam ex eo, quod pendeat à conſenſu voluntatis hu

manæ,

cum omnibus circumſtantijs, ad quod explicandum vtitur, exemplo iudicis, indiget explicatione, ne confundatur obiectũ materia le cum formali. Etenim iudex, vt eodem vtamur exemplo, volunta te efficaci vult mortem illius hominis ſecundum quod mors homi nis eſt, tenente ſe illa reduplicatione ex parte obiecti materialis: hoc eſt, iudex non ſolum vult mortem hominis ſecundum vnũ præ dicatum, ſeu non ſolum vult quod moriatur vnum prædicatum, ſed vult mortem totius hominis. Cum hoc componitur quod non velit hominem mori, vt homo eſt, tenente ſe illa reduplicatione ex parte obiecti formalis: hoc eſt, non ex eo vult mortem illius hominis, quia eſt homo; ſed quia flagitijs ſuis mortem meretur.

13 Quod vero ſimul cum hac voluntate efficaci de eius morte habeat iudex aliam voluntatem inefficacem de non impligenda pœna, vel quia homo eſt, vel ob alias rationes; probat quidem circa idem omnino obiectum materiale poſſe eſſe voluntates oppoſitas, quorum vna efficax, altera inefficax ſit: nõ vero arguit diuerſum materiale obiectum reſpicere eas voluntates: imò poſſent aliquando coniungi duę voluntates oppoſitæ circa idem obiectum materiale, & etiam idem formale identitate reali, & ſolum quoad modum concipiendi diſcreta: v.g. quando amatur pœnitentia vt honeſta honeſtate pœnitentiæ ſimul cum diſplicentia illius vt doloriferæ: cum tamen eſſe doloriferam non diſtinguatur realiter ab eius honeſtate in eſſe pœnitentiæ. Sic igitur in noſtro caſu Deus vult ſalutem omnium hominum, quia eſt bona hominibus Chriſti ſanguine redemptis; non vero quia opponitur oſtenſio ni diuinæ iuſtitiæ ly *quia* ſolum denotante diuerſum modum tendendi in affectu: ad quod neque requiritur quod voluntas ſit conditionata, neque quod à parte rei verſetur diſtinctio realis inter vnam, & alteram rationem obiectiuam, ſed ſolum diſtinctio ex parte modi tendendi voluntatis.

14 Longê magis diſplicit modus, quo explicat Gonetus Deum ex vi huius generalis voluntatis procurare ſalutem omnibus hominibus. Docet igitur, tum hic, tum tomo de Prædeſt. quæſt.5. art.5. Deum ita dici deſiderare, & procurare ſalutem omnibus hominibus, vt pluribus ex illis ne ſufficientiam quidem ad ſalutem largiatur v.g. pluribus infantibus decedentibus ſine baptiſmo, plurimiſque infidelibus, ad quorum aures prædicatio euangelica non peruenit. Cæterum, vt Deus dicatur ſalutem omnium procurare, & remedium ſufficiens omnibus præparare, & offerre, inquit ſufficere Deum inſtituiſſe baptiſmum, quod cuilibet pro-

deſſ...

deſſet, ſi ei applicaretur, licet neque ei applicetur, nec vlla prorſus humana induſtria applicabile ſit; ſed pro ſola determinatione diuina, independenter omnino à cuiuslibet alterius libera voluntate, baptiſmus non applicetur: idemque eſt de prædicatione Euangelica indiſpenſabiliter requiſita ad fidem neceſſariam ad ſalutem. Igitur aduerſus hunc rigidum ſentiendi modum noſtram ſententiam in duas concluſiones diuiſam proponemus.

SECTIO IIII.

Deus habet veram voluntatem beneplaciti de ſalute omnium hominum, etiam reproborum.

15 HÆc concluſio eſt communis inter AA. Societatis, eamque defendunt plures ex Thomiſtis, & ex alijs ſcholis, aduerſus aliquos, qui oppoſitam tuentur. Vtriuſque ſententiæ authores citatos reperies apud Ribadeneira de Prædeſtinat. diſp. 6. cap. 1.

16 Probatur hæc concluſio hoc ſyllogiſmo. Scriptura ſignificat Deum habere voluntatem ſalutis omnium hominum, etiam reproborum. Sed id non debet intelligi de voluntate ſigni; ſed de voluntate beneplaciti. Ergo Deus vult voluntate beneplaciti ſalutem omnium hominum, etiam reproborum. Conſequentia eſt legitima, & maior facilè probatur ex ſcripturæ locis. Ezechiel. 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impij dicit Dominus, & non vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat.* Et cap. 3. *Nolo mortem impij; ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat.* 2. Petri 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquem perire; ſed omnes ad pœnitentiam reuerti* Paulus 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

17 Iam verò quod hæc, & ſimilia verba, de vera, & propria voluntate, quæ eſt voluntas beneplaciti; & non de voluntate impropria, & metaphorica, quæ eſt voluntas ſigni, intelligi debeant, quæ propoſitio erat minor ſuperioris ſyllogiſmi, tot probationes habet, quot ſunt PP. qui præfata loca de propria voluntate exponunt, qui videri poſſunt apud Ruiz de Montoya de volunt. diſp. 19.

18 Secundo probatur ex regula D. Auguſtini aſſerentis verba ſcripturæ debere in ſenſu proprio, & non metaphorico explicari, vbi manifeſtum inconueniens non exigat oppoſitum.

19 Ter-

19 Tertio;quia,vt videre eſt apud P. Ruiz de Montoya vbi ſupra, PP.ſtatuunt pro omnibus orandum eſſe tàm iuſtis, quàm impijs,quia Deus omnibus vult ſalutem,& Chriſtus Dominus pro omnibus mortem ſubijt, & nos voluntati diuinæ debemus conformari. At, ſi Deus tantum habuiſſet voluntatem ſigni; hæc ratio non probaret nos debere orare pro ſalute vera, & reali omnium,quia Deus per voluntatem ſigni non vult verè, & propriè,ſaluationem.Ergo Deus non voluntate ſigni; ſed voluntate beneplaciti, vult ſalutem omnium hominum.

20 Quarto;quia,ſi Deus ſolum haberet voluntatem ſigni circa ſalutem reproborum, admodum violentè explicarentur tum Scripturæ,tum Sanctorum Patrum verba,quibus adeo extollitur deſiderium diuinum vehemens, & ardens, de ſalute totius mundi. Videantur Scripturæ Interpretes ad illa verba Ioan.3. *Sic Deus dilexit mundum,vt filium ſuum vnigenitum daret*. Ad Rom. 8: *Qui proprio filij ſuo non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Ergo Deus non ſolum vult,& deſiderat, quod ſalus hominum non deficiat ex parte Dei;ſed etiam quod abſolutè non deficiat.

21 Obijcitur 1.aduerſus hanc concluſionem D. Aug.qui cũ ſibi obijciſſet verba Pauli prȩallegata *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, conatur ita ea explicare,vt nũquam verificetur Dei voluntatem non impleri,quin vnquam reſpondeat eam voluntatem,vtpote non omnino efficacem,poſſe fruſtrari. Ergo iuxta Auguſtinum non affirmatur his verbis vera voluntas beneplaciti erga ſaluationem impiorum.Conſequentia videtur certa: quia voluntas beneplaciti,quam nos adſtruimus, vere reſpectu reproborum non impletur.Sed Auguſtinus in interpretationibus huius loci non admittit voluntatem in Deo,quæ non impleatur. Ergo neque eſt iuxta mentem Auguſtini voluntas diuina beneplaciti erga ſaluationem reproborum.

22 Fundamentum huius diſcurſus, nempe Auguſtinum non intelligere verba Pauli in ſenſu,quo poſſint fruſtrari conſtat: quia lib.4.contra Iulianum cap.8. & de Prædeſtinatione Sanct. cap.8 explicat prædicta verba quatenus ſolum affirment neminem ſaluari,quem ſaluari non velit Deus. Vlterius ſerm.22. de diuerſ.cap.5.& lib.de Corrept.& Gratia cap.13. & in Enchirid. cap.105.aliter explicat prædicta verba,nempe non pro ſingulis generum;ſed pro generibus ſingulorum,ideſt,pro omni genere hominum,quatenus Deus vult nullam conditionem, aut ſtatum à reg

no

Digitized by Google

no cœlorum excludi. Saluantur enim ex Iudæis, ex Gentilibus, ex Principibus, ex ſeruis, &c. Deinde lib. de Corrept. & Gratia cap. 15. & lib. 22. de Ciuit. cap. 1. explicat hæc verba in ſenſu cauſali hoc eſt, Deus vult ſaluationem omnium, id eſt Deus cauſat in nobis deſiderium, & voluntatem ſaluationis omnium. Ergo non eſt iuxta mentem Auguſtini admittere in Deo voluntatem ſaluationis eorum, qui non ſaluantur.

23 Nec videtur ſatisfacere Ribadeneira huic obiectioni, dum dicit hoc tract. diſp. 6. cap. 4. D. Auguſtinum, quamuis nõ adhibeat ſolutionem ex eo, quod voluntas de ſaluatione reprobi non ſit efficax, & ideo poſsit non impleri; non ideo tamen eam excludere, ideoque non eſſe contra mentem Auguſtini. Hoc, inquam non ſatisfacit: quia expreſſe D. Auguſtinus in Enchirid. cap. 103. exponens prædicta verba, concludit: *& quocumque alio modo, dũ tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factumque non eſſe.* Ergo iuxta Auguſtinum hic ſermo habetur ab Apoſtolo de voluntate infruſtrabili.

24 Deinde licet dicamus cum D. Thom. in 1. diſt. 46. q. 1. art. 1. ad 1. ibi Apoſtolum intelligi à D. Aug. de voluntate conſequente, & efficaci, & à D. Damaſceno de voluntate antecedenti, & inefficaci: quapropter, prout intelligitur à Damaſceno nobis fauere Apoſtolum, & prout ab Auguſtino intelligitur, nobis nõ opponi: nihilominus hæc non videtur plena ſolutio; ſed potius, vel noſtram probationem imbecillam reddere, vel tandem debere nos in hac parte ab Auguſtino diſcedere. Si enim loquitur Paulus de voluntate efficaci, & conſequenti, vt interpretatur Auguſtinus, hæc verba non prob[illegible] voluntatem omnino generalem, quam conamus ſtatuer[illegible]. Si a[illegible]m loquatur Paulus de voluntate antecedente inefficaci, & [illegible] li. Ergo Auguſtinus interpretatur hæc verba de voluntate, de qua non loquitur Apoſtolus.

25 Ideo cenſeo cum Suarez lib. 4. de Prædeſtinatione cap. 3. n. 5. quod Auguſtinus cum audiret aliquos catholicos illis interpretationibus offenſos (quam offenſionem D. Hilarius retulit D. Auguſtino in epiſtola præuia ad librum de Prædeſtinatione Sanctorum) eam ſententiam mutaſſe, quod videtur conſtare ex Proſpero: qui ad cap. 8. Gallorum, in quo notabatur Auguſtinus quod tantum tribueret voluntatem erga ſalutem prædeſtinatorum, hæc habet ex mente D. Auguſtini. *Qui dicit quod non omnes homines vult Deus ſaluos fieri; ſed certum numerum prædeſtinatorum, durius loquitur, quam loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ* Dei,

Dei. Quod autem Auguſtinus admittat voluntatẽ Dei, cuius obiectum non ponatur, ſicuti vult Deus, conſtat ex lib. 3. de libero arbitrio capite 19. vbi hæc ait: *peccatorem contemnere Deum volentem eum ſanare* & ex lib. de Spiritu, & litt. cap. 33. vbi inquit *infideles facere contra voluntatem Dei non credentes euangelio*.

26 Si tamen tibi durum videatur Auguſtinum ſententiam mutaſſe, explicatione D. Thomæ poteris vti hac ratione, vt Auguſtinus voluerit per illa verba *vult omnes homines, &c.* Apoſtolum loqui de omnibus hominibus quoad voluntatem inefficacem, & ſolum quoad prædeſtinatos quoad efficacem; ſemper tamẽ dicendum eſt Auguſtinum non intellexiſſe illa verba ſolum de voluntate efficaci; ſed de voluntate vt cumque circa omnes: de voluntate vero efficaci ſolum circa prædeſtinatos.

27 Ne tamen nimis formides aſſerere D. Auguſtinum in hac parte mutaſſe ſententiam, conſequenterque ſuperiores explicationes, quas adhibuit Auguſtinus verbis D. Pauli, non eſſe admittendas: eas non probarunt Vazquez diſp. 83. num. 13. Molina quæſt. 19. art. 6. diſp. 2. quos Thom[illegible] iſtæ carpunt, quia in materia de prædeſtinatione Augu[illegible] ſerunt. Verum (vt optimè ait Arriaga) potuiſſent aducere [illegible]tus à Dominico Soto inter Thomiſtas celeberrimo in cap. 9. [illegible]om. Aug. explicationis reiectas.

28 Ob. 2. D. Paulus non ſolum dixit Deum velle omnes homines ſaluos fieri, verum etiam addit, *& ad agnitionem veritatis venire*. At hoc ſecundum nequit intelligi in ſenſu omnino vniuerſali. Ergo neque illud primum. Minor probatur in paruulis, qui cum incapaces ſint agnitionis veritatis, non vult Deus eos in agnitionem veritatis venire.

29 Reſpondeo 1. cum Suarez lib. 4. de Præd. cap. 4. hæc verba Pauli intelligi iuxta capacitatẽ ſubiectorum: quapropter vult Deus omnes homines ſaluos eſſe, cũ omnes capaces ſint ſalutis æternæ: & vult etiã omnes, qui capaces ſint agnitionis veritatis, in eã agnitionẽ venire. Secundo poteſt cognitio veritatis accipi pro viſione beatifica, iuxta acceptionẽ Aug. lib. 4. contra Iulianũ, quã viſionem beatificã Deus vult omnibus hominibus. Tertio poteſt etiã per cognitionem veritatis intelligi fides habitualis propria, ſiuè actualis Eccleſiæ, ad quam dicuntur paruuli per baptiſmum venire. Quarto denique poſſunt prædicta verba in ſenſu magis litterali intelligi, quatenus Deus velit inefficaciter omnes ad cognitionem veritatis venire, prout neceſſarium fuerit ad æternam ſalutem. Quod verò Deus etiam paruulis decedentibus in

vtero matris prouideat remedium ſufficiens, probabimus ſecunda concluſione.

30 Ob. 3. Indecorum videtur voluntatem Dei irritam, & caſſam reddi pro arbitrio creato: videtur enim arguere impotentiam, & debilitatem. Sed voluntas ſalutis reproborum eſt vera voluntas, & iuxta nos, ſerium deſiderium, ſinceraque procuratio ſui obiecti; & nihilominus fruſtratur. Ergo prædicta voluntas non decet Deum. Præterea videtur etiam voluntas otioſa, & ſuperflua, quia ad nihil deſeruit: quando quidem neque dum adeſt voluntas efficax eſt neceſſaria. Ergo hæc voluntas inefficax ſuperflua eſt.

Reſpondeo non eſſe indecorum Deo voluntatem inefficacem non impleri: neque eſſe ſignum imbecillitatis habere voluntatem fruſtrabilem, cum hæc voluntas ex natura ſua non intrinſecè efficax liberè eligatur ab eo, qui eam concipit: etenim habere voluntatem ſolum inefficacem ex proprio arbitrio, non impotentiã arguit; ſed dominium commendat.

31 Reſpondent etiam alij voluntatem inefficacem abſolutam ſalutis reproborum eſſe ſimul conditionatam efficacem de pœna ipſorum, ſi non conuertantur: haneque voluntatem conditionatam infruſtrabilem eſſe, proindeque voluntatem diuinam non omnino carere effectu: imò potius ſufficere quod ex hac parte infruſtrabilis ſit, vt abſolutè infruſtrabilis denominetur: quia dum aliquis ita vult aliquid, vt ſimul imponat pœnam, non dicitur fruſtrari eius voluntas, niſi quando ſimul, & non fit quod vult, & præcipit, & non infligitur pœna, quam comminatus eſt.

32 Hæc ſolutio, & doctrina, videtur D. Auguſtini lib. de ſpiritu, & littera cap. 33. vbi ait. *Voluntas Dei* (de ſalute reproborum) *ſemper inuicta eſt: vinceretur autem, ſi non inueniret quid de cõtemptoribus faceret: aut vllo modo poſſent euadere quod de talibus ille conſtituit. Qui enim dicit v.g volo vt hi omnes ſerui mei operentur in vinea, & poſt laborem requieſcentes epulentur: ita, vt quiſquis eorum hæc noluerit in piſtrino ſemper molat: videtur quidem quicumque contempſerit, contra voluntatem Domini ſui facere: ſed tunc eam vincet, ſi, & piſtrinum contemnens effugerit: quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei poteſtate.*

33 Ob. 4. cum Baſilio Legionenſi, & alijs. Voluntas diuina contingens debet compleri per aliquid extrinſecum. At nihil eſt extrinſecum potens complere voluntatem Dei inefficacem de ſalute reproborum. Ergo non datur huiuſmodi voluntas inefficax. Minor probatur. Illud extrinſecum neque eſt exiſtens

ſi

ſalutis reproborum, cum non detur: neque libertas ad illam, cum hæc ſit indifferens vt decernatur propter alia motiua. Deinde nihil reſtat. Ergo nihil extrinſecum poteſt complere eam voluntatem.

34 Reſpondeo 1. negando maiorem, videlicet, decreta compleri per aliquid extrinſecum: oppoſitum enim ex profeſſo docui tract. de voluntate. Quod autem non reperiatur aliquid extrinſecum ad complendam voluntatem inefficacem, non probat voluntatem inefficacem repugnare; ſed conuincit actus contingentes non compleri per aliquid extrinſecum.

35 Reſpondeo 2. hoc extrinſecum poſſe eſſe aliquã actionẽ ſpecialem, qua producatur auxilium: poteſt enim dici tot poſſibiles eſſe actiones diuerſas circa libertatẽ, quot poſſunt eſſe actus voluntatis diuinæ, quibus ponatur huiuſmodi libertas.

36 Ob. 5. Voluntas, qua Deus vult ſalutem reproborum non tendit in illam vt poſsibilem: non enim optat Deus quod ſalus reproborum poſsibilis ſit, neque ad hoc confert libertatem, cum eſſe poſsibilem eam ſalutem neceſſarium ſit. Deinde ea voluntas diuina non fertur in ſalutem reproborum vt exiſtentem. Ergo nullo modo fertur ea voluntas inefficax in ſalutem reproborum. Secunda pars antecedentis probatur. Voluntas diuina non poteſt ferri in obiectum vt exiſtens, ſi reuera obiectum exiſtens non eſt. Ergo, cum ſalus reproborum extitura non ſit, nequit Deus ferri in illam vt exiſtentem. Probatur hoc vltimum antecedens. Nequit Deus ferri per voluntatem in rem vt exiſtentem, niſi ea res proponatur per intellectum vt exiſtens. Sed quod non exiſtit non poteſt proponi per intellectum diuinum vt exiſtens ne decipiatur. Ergo voluntas diuina non poteſt ferri in obiectum vt exiſtens, ſi reuera obiectum exiſtens non ſit. Omiſsis ſolutionibus Thomiſtarum.

37 Reſpondeo Deum per eam voluntatem amare veram, & realem exiſtentiam ſalutis reproborum, ac proinde amare ſalutem illorum vt exiſtentem ex parte obiecti: non amore gaudij de exiſtentia, quæ ſit; ſed affectu deſiderij, quo optat Deus quod exiſtat: ſicut ægrotus a nans ſalutem, amat veram, & realem exiſtentiam ſalutis: non affectu gaudij, quo complaceat quia eſt; ſed affectu deſiderij, quo vehementer optat quod ſit. Et ad hunc affectum non requiritur quod obiectum amatum exiſtat, neque quod proponatur per affirmationem de eo quod ſit; ſed ſolum, quod proponatur per cognitionem repræſentantem, quod ſi exiſtat, exiſtet ſine contradictione aliquid bonum.

38 Vnde ad argumentum in forma: conceſſa prima parte antecedentis: diſtinguo ſecundam. Voluntas diuina non fertur in ſalutem reproborũ vt exiſtentẽ: non fertur affectu gaudij de eo, quod iam eſt: concedo: affectu deſiderij intendendo quod ſit: nego antecedens. Ad eius probationẽ: diſtinguo antecedens: voluntas diuina nõ poteſt ferri affectu gaudij in obiectũ vt exiſtens, ſi obiectũ exiſtens non ſit: concedo: affectu deſiderij nego antecedens. Ad huius antecedentis probationem: diſtinguo maiorem: Nequit Deus ferri per voluntatem affectu gaudij in rem vt exiſtentem, niſi intellectus eam proponat vt exiſtentem: concedo: non poteſt ferri affectu deſiderij: ſub diſtinguo: niſi proponatur vt exiſtens: tenente ſe reduplicatione ex parte obiecti: hoc eſt debet cognoſci eius exiſtentia: concedo: tenente ſe reduplicatione ex parte actus ſignificante debere cognoſci exiſtentiam per affirmationem abſolutam illius: nego maiorem. Et diſtinguo minorem. Quod nõ eſt exiſtẽs, non poteſt proponi vt exiſtens per actum diuinum: tenente ſe reduplicatione ex parte obiecti: ideſt non poteſt repræſentari exiſtentia illius, quod non exiſtit: nego: tenente ſe reduplicatione ex parte actus ſignificante non poſſe attingi per affirmationem abſolutam exiſtentiæ: concedo minorem. Et nego conſequentiam.

SECT. IV.

Deus ita vult ſalutem omnium hominum, vt omnibus, etiam reprobis, conferat veram ſufficientiam ad ſalutem.

39 HÆc concluſio, quæ eſt contra Gonetum, & alios Recentiores Thomiſtas, explicatur. Aſſerimus ergo Deum ita velle ſalutem æternam, etiam reproborum, vt nullus ſit reprobus, qui in aliqua differentia temporis non habeat veram ſufficientiam ad conſequendam vitam æternam: ita vt adulti, qui propria gaudent libertate, verè in ſua poteſtate habeant ſaluari: paruuli vero, qui non propria; ſed parentum, vel aliorum libertatem habent, in parentum poteſtate habeant conſequi vitam æternam: & ideo non ſolum dicatur Deus præparare ſufficientiã, quatenus inſtituit baptiſmum, & pœnitentiam, quibus, ſi adhibeãtur, annexa ſit infallibiliter iuſtificatio; verumetiam, quatenus omnes, & ſinguli homines, habent donatam à Deo ſufficientiã ad vitæ æternæ cõſequutionem. Hæc concluſio longiorem expoſcebat diſ-

cluſionem: quam alibi, Deo fauente, ex profeſsò dabimus. Nunc autem breuiter.

40 Probatur concluſio. Primò ex Scriptura. Nã Ioan. 1. dicitur: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: quę verba, teſte ipſo Goneto, Chriſoſtomus homil. 7. in Ioan. Cirillus Alexand. lib. in Ioan. cap. 11. D. Thom. ibi lect. 5. in medio intelligunt de illuminatione per gratiam. Ergo omnibus hominibus confertur gratia, prout diſtinguitur à lumine naturali. Sed hæc gratia debet eſſe aliquod auxilium, ſaltem ſufficiens ad opera meritoria. Ergo auxilium ſufficiens omnibus confertur. Quod autem dicat D. Thomas hoc intelligendum eſſe de voluntate antecedente, & generali, qua Deus vult omnes ſaluari: non nego; ſed aſſero voluntatem ſeriam ſaluandi omnes homines quatenus eſt ex parte Dei neceſſario inferre Deum ex ſe nulli negare ſufficientiam.

41 Confirmatur ex vocationibus ad regnum cœlorum; quæ etiã in Euangelio continentur. Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis*. Matth. 22. *Quoſcunque inueneritis vocate ad nuptias*. Ergo Chriſtus omnes vocat ad regnum cœlorum. Sed, ſi Deus negaret auxilium ſufficiens ad regnum cœlorum, clauderet oſtiũ regni cœlorum his ipſis, quos vocaret: quod indignum Deo eſt; quodque eius vocationem irriſoriam redderet. Ergo Deus nemini negat auxilium ſufficiens ad regnum cœlorum.

42 Probatur ſecundò ex Concilijs Senonenſi, & Colonienſi. Senonenſe decreto. 15. fidei ait agens de neceſsitate gratiæ. *Neque tamen tanta gratiæ neceſsitas libero præiudicat arbitrio, cũ illa ſemper ſit in prõptu & ne momentũ quidẽ prætereat, in quo Deus nõ ſtet ad oſtiũ & pulſet*. Quæ verba cũ de omnibus momentis moraliter acceptis intelligi debeãt, ſaltẽ euincunt nullũ hominẽ per totã vitã auxilio ſufficiente deſtitui. Concil. Colon. in Enchir. de Sacr. pœnit. cap. 16. *Deus adeo vult omnes homines ſaluos fieri, vt nemini, quãtumuis ſcelerato, gratiã ſuã penitus ſubtrahat*. Ergo nullus homo, quantũuis ſceleratus, caret gratia ſufficienti vt conuertatur.

43 Probatur tertio ex Patribus D. Auguſtinus, qui Enchiridio cap. 103. limitauerat ea verba Ioannis: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, inquiens *non quia nullus eſt hominum, qui non illuminetur; ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur*. In tota ſua vniuerſalitate intellexit libr. 1. de Geneſ. contra Manichæos cap. 3. fine dicens: *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit; ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporalium,*

ſe ad eius præcepta ſeruanda conuertunt. Quod omnes poſſunt, ſi velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum. Hoc autem recognoſcens in retract. lib. 1. cap. 10. ſub initio, ait. *Verum eſt omnino omnes homines poſſe ſi velint; ſed præparatur voluntas a Domino, & tantum augetur munere charitatis, vt poſſint.* Perpende generalitatem ad *omnes omnino homines* nullo excepto. Deinde cum hæc poteſtas tribuatur per gratiam præuenientem, quæ eſt præparatio voluntatis, & munus charitatis inchoatæ: collige omnibus hominibus, abſque exceptione vlla, præberi, ſaltem initia iſtius præparationis, & muneris, quibus poſsint vlteriora munera conſequi. Idem lib. 2. de ſermone Domini in mõte cap. 7. ad finem tom. 4. ait *Deus ſemper paratus eſt dare ſuam lucem nobis, non viſibilem ſed intelligibilem, & ſpiritualem; ſed nos nõ ſemper parati ſumus accipere, cum inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur. Fit ergo in oratione conuerſio cordis ad eum, qui ſemper paratus eſt, ſi nos capiamus quod dederit.* Sed quis non rideat dici Deum paratum ad dandum id ipſum, cuius acceptionem Deus nobis antecedenter impoſsibilem reddit.

45 S. Proſper, vel author libri de vocatione gentium, qui habetur inter opera D. Ambroſij tom. 4. ita ſcribit cap. 10. *Elaboratum eſt quantum Dominus adiuuit, vt non ſolum in nouiſſimis diebus; ſed etiam in cunctis retro ſæculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe: prouidentia quidem pari, & bonitate generali; ſed multimodo opere, & diuerſa menſura.* Vide, ſi placet, plurimos alios textus Auguſt. Chriſoſt. Dioniſij. Hilarij. Hieronymi. Ambroſij, & fere omnium Eccleſiæ Patrum, apud eruditiſsimum P. Ruiz de Montoya de Præd. diſp. 39. fere per totã.

46 Denique hæc ſententia diſertiſsimê traditur à D. Thoma: cuius innumeri textus poſſent allegari. Vnum, vel alterum ſeligam, indicans poſtea loca, vnde alij poſſent proferri. In cõmentario in Ioan. cap. 6. lect. 5. ad illa verba Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me traxerit illum* in quæſt. 3. art. *Cor humanum ex ſe ad inferiora tendens non poteſt ſurſum eleuari, niſi tractum. Si vero non eleuatur, non eſt defectus ex parte trahentis, qui quantum in ſe eſt nulli deficit.* Et paulo infra. *Ex quo ergo Deus paratus eſt dare omnibus gratiam, & ad ſe trahere, non imputatur ei, ſi aliquis non accipiat.* 1. p. q. 49. art. 2. ad 2. *Deus non deficit ab agendo quod eſt neceſſarium ad ſalutem.* Videatur idem Angelicus Præceptor in 10. ad Rom. lect. 2. inter principium, & mediũ ad illa verba. *Non enim eſt diſtinctio Iudæi*

&

Google

& *Græci*, & in cap. 1. Ioan. lect. 5. in medio, & 1. p. q. 23. art. 3. ad 3. & 1. 2. q. 93. fine & q. 109. art. 4. & art. 6. ad 2. & art. 8. ad 1. & 3. p. quæſt. 52. art. 6. fine, & quæſt. 86. art. 1. corp. & 3. contra gentes c. 159. & 1. ſent. diſt. 40. quæſt. 4. art. 2. & in ſolut. ad 4. & diſt. 45. quæſt. vnica toto art. 1. & diſt. 48. q. vnica art. 3. ad 1. & lib. 2. ſent. diſt. 34. q. 1. art 3. fine corporis, & in 3. diſt. 25. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 1. Ex omnibus his authoritatibus.

47 Quarto probatur hæc vnica ratione Theologica. Iuxta PP. & præſertim iuxta D. Thomam, ita Deus per gratiam omnibus adeſt, vt non deficiat ex parte Dei quod neceſſarium eſt ad ſalutem, adeo, vt homines non trahi non imputetur Deo, ſed ipſis hominibus. Sed, ſi homo ex voluntate diuina non haberet in ſe ſufficientiam ad opus bonum, deficeret ex parte Dei quod neceſſarium eſt ad ſalutem & imputaretur Deo; non homini, non trahi ad Deum. Ergo nullus homo ex voluntate diuina caret ſufficientia ad ſalutem. Conſequentia eſt legitima, & maior ipſa Patrum doctrina. Minor vero facilè probatur. Defectus operis non imputatur ei, qui ſufficientiam, & veram poteſtatem non habet; ſed ei, qui poteſtatem non confert, cum poſſit. Sed aliqui reprobi (iuxta Gonetum, & alios) carent vera poteſtate, quam Deus non illis confert, cum poſſit. Ergo defectus operis, & *non trahi*, & *non recipere* actu gratiam, non imputatur illis reprobis, nec per ipſos ſtat, ſed imputatur Deo, & ſtat per ipſum.

48 Omnibus his Gonetus mirabili, qua aſſolet, facilitate, & leuitate, intrepidè audet reſpondere hæc, & ſimilia teſtimonia inutiliter congeri, & accumulari, & ne leuiter quidem contra ſuam ſententiam militare; quoniam in his locis PP. & D. Thomas ſolum intendunt declarare Deum per voluntatem antecedentem omnibus hominibus offerre, ſeu præparare auxilia, ſeu remedia ad ſalutem ſufficientia; nam pro omnibus inſtituit Sacramenta in Eccleſia, & pro omnibus Chriſtum miſit, & illius merita decreuit, quæ ſunt ex ſe ſufficientia ad ſalutem; non tamen contendunt PP. illa media, & auxilia, per voluntatem illam generalem omnibus eſſe applicata.

49 Verum hæc ſolutio non excipit vim argumenti. Sic igitur eam vlterius declaro. PP. non ſolum aſſerunt Deum præparare media ſufficientia ad omnium ſalutem; verumetiam ita omnibus præparare, vt non ſiet per ipſum, nec ipſi imputetur quod ea homines non recipiant; ſed ſtet per eum, qui ea non recipit. At ad hoc requiritur habere hominem veram poteſtatem ea remedia re-

cipiendi, alioqui non ſtabit per ipſum; ſed per Deum, qui eam poteſtatem negat. Ergo ex modo loquendi PP. infertur omnes homines habere veram poteſtatem liberam accipiendi ea remedia.

50 Confirmatur ex modo loquendi D. Thomæ: qui quidem non dicit ſolùm Deum præparaſſe media, quæ ex ſe ſufficientia ſint; ſed Deum eſſe ex ſe paratum omnibus dare gratiam, & illam cuilibet offerre. Tunc ſic. Et vt vtar exemplo ipſius Goneti. Medicus, qui haberet apothecam omne remediorum genus pro vniuerſis in firmitatibus continentem: ſi ita eam aperiret, vt ſolum vnius familiæ, aut ciuitatis hominibus ea remedia largiretur; alijs vero in exorabili animo ſemper denegaret, adeo, vt nulla humana vi alijs hominibus, quantumvis ægrotantibus, remedium aliquod ab eo poſſet extorqueri: diceretur ne hic Medicus paratus eſſe quantum eſt in ſe omnibus ægrotis adhibere remedia, eaque omnibus omnino offerre? Minimè ſane. Si pauper fame tabeſceret, & diues optimo pane, & conditiſsimis vbis abundaret; ea tamen miſero indigenti nô erogaret; ſed ſuis ſeruis, & alijs hominibus diſtribueret, diceretur ab vllo ſanæ mentis hic diues paratus eſſe quantum eſt in ſe illi famelico ſubvenire, eique offerre panem, & dapes, ad famē depellendam? Et rurſus: ſi pauper ille fame periret imputaretur ipſi? Cenſeo ne ipſum quidem Gonetum id affirmare auſurum. Si igitur Deus, tametſi ſacramenta inſtituerit ex ſe omnibus ſufficientia, ſui omnipotentiſsimi efficacis decreti irreſiſtibili vi auxilia ſufficientia deneget alicui reprobo: quo pacto, qua ve ratione dicetur paratus eſſe omnibus adhibere remedium, & illud offerre? Vtetur ſanè ſuo ſupremo in mortales dominio, cui nemo poteſt iure dicere. *Cur ita facis*. Non tamen paratus erit reprobum illum ad ſe trahere, nec per reprobum ſtabit gratiam non accipere; ſed per ipſum Deū: qui iuſto quidē; nobis tamen oculto iudicio, illum miſerum penitus deſerit, & cœlorum ianuam alijs patentem illi mortalium infeliciſsimo occludit.

51 Confirmatur ſecundo. Ita Deus paratus eſt omnibus peccatoribus adhibere remedium, vt nullus ſit peccator, qui, dum eſt in hac vita, de ſuis peccatis pœnitere non poſsit: intellige dum peccator libertatem non amittit, ſicut amittunt amentes, & qui ante mortem ſenſibus, & ratione deſtituuntur. Sed qui pœnitere poteſt, habet de facto abſolutam ſufficientiam ad pœnitendum. Ergo nullus eſt peccator, qui dum libertatem non amiſit, careat ſufficientia ad pœnitendum, & ad delendum ſuum peccatum. Conſequentia eſt bona, & minor videtur certa. Nam poſſe, & habere ſufficien-

ſicientiam, idem ſunt. Maior vero conſtat ex D. Thoma 3. p. q. 86 art. 1. vbi ait. *Dicere quod aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit, erroneum eſt.*

52 Reſpondet Gonetus ex Bañez: ideo dici peccatorem, quantumvis reſpectum à Deo, poſſe pœnitere, quia habet ſufficientiam extrinſecam, quatenus, & habet libertatem, & Deus de potentia ordinaria poteſt ei conferre auxilium ad pœnitendum, & Chriſtus Dominus ſuæ paſsionis merita pro ipſo applicuit quoad ſufficientiã: & denique quia ſacramenta ex ſe ſufficientia ſunt reſpectu illius hominis: & ideo dici eum hominem eſſe in ſtatu ſalutis, & poſſe ſaluari; ſecus verò dæmones, & homines iam damnatos: quia neque liberi ſunt, nec pro eis Chriſtus mortuus eſt, nec ſacramenta inſtituit: nec, niſi de potentia abſoluta, poteſt eis cõferri auxilium ad pœnitendum.

53 Verum non ſatisfacit Gonetus: quia omnia ea, videlicet Chriſti merita pro omnibus in hac vita de gentibus applicata quoad ſufficientiam, inſtitutio Sacramentorum, libertas illius peccatoris, & quod Deus de potentia ordinaria poſsit ei conferre auxilium ad pœnitendum: omnia, inquam, hæc non conſtituunt veram poteſtatem in illo peccatore, vt pœniteat: quia non eſt in ſua manu, aut proximè, aut remotè, pœnitere. Quod vero Deus poſsit de potentia ordinaria conferre auxilium huic homini peccatori, & ſolum de potentia abſoluta dæmonibus, & damnatis, nec facit quod hic homo habeat in ſua manu pœnitere, nec tollit quod Deus habeat in ſua poteſtate antecedente conuerſionem dæmonis: quã obrem, ſi loquamur de poteſtate ad conuerſionem tenente ſe ex parte Dei, non poteſt abſolutè dici dæmonem non poſſe conuerti. Si vero loquamur de poteſtate pœnitendi, tenente ſe ex parte peccatoris, non poteſt abſolutè dici peccatorem deſtitutum auxilio ſufficiente pœnitere poſſe. Ergo, abſolutè, & ſimpliciter loquẽdo, facta comparatione inter dæmonem, & illum peccatorem deſtitutum auxilio ſufficienti, vel vterque, vel neuter pœnitere valet.

54 Denique probo concluſionem ex caſu propoſito à D. Thoma in 3. diſt. 5. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 1. Puer in ſyluis nutritus habet veram poteſtatem antecedentem, dum ad annos diſcretionis peruenerit, conuertendi ſe ad Deum vt authorem, ſiuè naturalem, ſiuè ſupernaturalem: & conſequenter habet poteſtatem continendi ſe à peccatis. Ergo habet poteſtatem faciendi quod in ſe eſt. Rurſus ex ipſo D. Thoma in reſponſ. ad 2. *Si taliter faceret quod in ſe eſt, quærendo ſalutem, Deus illi aliquo dictorum modorum*

(ſcilicet per prædicationem, vel per reuelationem) *prouideret de ſalute ſua*. Hoc autem nequit eſſe verum, niſi dicatur vnum è duobus: vel quod poſita conuerſione naturali, Deus ex lege ſua conferat gratiam ad conuerſionem ſupernaturalem: quod non admittunt Thomiſtæ, ne videantur concedere dari diſpoſitionem naturalem ad gratiam. Vel, quod ex decreto Dei verum ſit hominem conuertentem ſe naturaliter ad Deum fore ſimul conuertendum ſupernaturaliter. Et hac ratione, iam extrinſece erit applicata omnipotentia ad conferendam ſufficientiam ſupernaturalem. Quamobrem ex vi illius decreti antecedentis ſimultaneè illas conuerſiones, erit in manu illius pueri ad vſum rationis peruenientis ſe conuertere ad Deum ſupernaturaliter, & obtinere ſalutem æternam. Ergo ſemper concedendum eſt omnes homines habere in ſua poteſtate ita operari, vt conſequantur vitam æternam.

55 Ob. 1. D. Auguſt. lib. de Corrept. & Grat. cap. 11. vbi loquens de adiutorio, ſine quo non imputatur ad culpam defectus operis: *nunc (ait) autem quibus deeſt tale adiutorium, iam pœna peccati eſt*. Ergo aliquibus deeſt adiutorium, quod eſt gratia ſufficiens.

56 Reſpondeo modo (omiſſo prolixiori examine circa hũc, & alia loca D. Auguſtini) permittendo Auguſtinum loqui hoc loco de gratia ſufficienti. Dico igitur ſolum aſſerere Auguſtinum ſubſtractionem huius gratiæ eſſe pœnam peccati: quia non omnibus momentis adeſt ſufficiens auxilium; ſed aliquibus intervallis abeſt. Dixit ergo Auguſtinus quod aliquibus hominibus deſit aliquibus intervallis, eſſe pœnam originalis peccati: ſine quo in ſtatu innocentiæ ſemper, & in quolibet inſtanti auxilii ſufficiens preſtò foret. Vel, ſi mauis, dicito aliquos in pœnam plurium peccatorum perdere per amentiam, aut phrænesim, poſsibilitatem obtinendi ſalutem ita tamen, vt verum ſit pro aliquo ſaltem tempore habuiſſe veram ſufficientiam obtinendi ſalutem æternam, & in hoc ſenſu intelligendus eſt D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. vbi repetit hanc ipſam D. Auguſtini ſententiam.

57 Ob. 2. Idem Aug. epiſt. 107. ad Vitalem vbi ait. *Scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari*. Reſpondeo cum P. Ruiz de Montoya de Præd. ſt. diſp. 45. ſect. 7. num. 15. Auguſtinũ exponi debere de auxilio congruo, & efficaci, vel de auxilio ſufficiente, quod præbeat potentiam proximam ad omnes actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis & aliarum virtutum, quod nõ datur omnibus adultis, eo, quod remotè diſtant ab huiuſmodi actibus.

bus, & oportet eos prius cooperari auxilijs præſtantibus potentiam remotam.

58 Ob.3. idem Aug. ſerm. 11. de verbis Apoſtoli: vbi dicit *communis eſt omnibus natura, non gratia*: quod idem docet S. Thomas de verit. quæſt. 24. art. 15. his verbis. *In nullo inueniuntur omnes homines conuenire, niſi in aliquo naturali.* Reſpondeo hoc veriſſimum eſſe; ſed non in ſenſu ab aduerſarijs intento; ſed quia, cum non pro omnibus momentis ſit auxilium ſufficiens: & in amentibus & deſtitutis ſenſibus, & ratione, tunc non detur, nec in pueris ante vſum rationis, & baptiſmum: ideo, licet omnes pro aliqua temporis differentia habeant ſufficientiam ad ſalutem, ſiuè proximam, ſiuè remotam, ſiuè in propria, ſiue in parentum voluntate: in tanta difformitate ſufficientiæ, nihil propriè loquendo eſt commune omnibus: præſertim in ſenſu hæreticorum aſſerentium conſequi ad naturam æqualem ad opera ſalutaria ſufficientiam.

59 Ob.4. Gentiles, qui ſine fide moriuntur, non poſſunt abſque fide ſaluari. Deinde non habent ſufficientiã ad fidem, quia non eis proponitur aliquid ſupernaturale: nec eſt in ſua manu quod illis proponatur. Ergo non habent ſufficientiam ad fidem, & conſequenter neque ad ſalutem, quæ ex fide debet inchoari.

60 Reſpondeo cum communi noſtrorum Doctorum omnibus adultis, quantumvis barbaris, affulgere illuſtrationem aliquam, & gratiam excitantem, per quam, licet non cognoſcant obiectum ſupernaturale expreſſè, formaliter, certo, & in particulari; cognoſcant tamen implicitè, & confuſe quod ſufficit, vt efficiant aliquos actus ſupernaturales, quibus infallibiliter annectet Deus alia vlteriora auxilia ad credendum perfectè neceſſaria. Ex quo ſolum deducitur aliquibus reprobis negari auxilia ſufficientia proxima ad conſequendam vitam æternam; non autem ſufficientia remota.

61 Inſtant 1. aduerſarij. Quia ex hoc ſequeretur illis barbaris imputari ad culpam non credere, quia haberent potentiam remotam ad credendum. Sed reſpondetur facile ad imputabilitem non ſufficere quamlibet potentiam remotam; ſed vlterius requiri cognitionem de effectu remoto, alioqui non erit voluntarius illius defectus. Cum igitur barbari, tametſi poſsint remote credere, ſe diſponendo per primos actus ſupernaturales; cum tamen nõ cognoſcant obiectum fidei ſtrictæ, nec cognoſcant ſe fore credituros, aut fore illis proponenda myſteria fidei, ſi prius benè operentur: hinc fit eis non imputari quod non credant.

62 Inſtant 2. Primus actus ſupernaturalis eſt fidei. Ergo primum auxilium ſupernaturale eſt ſufficiens ad credendum: & cõſequenter carentes hoc auxilio, carent omni auxilio ſupernaturali. Diſtinguo antecedens: primus actus ſupernaturalis eſt fidei ſtrictæ, nego, ſtrictæ, vel latæ: concedo antecedens. Et diſtinguo conſequens: ergo carentes auxilio ad credendum latè, vel ſtrictè, carẽt omni auxilio concedo: carentes auxilio ad ſtrictè credendum, nego conſequentiam. Hoc autem auxilio nemo caret.

63 Ob. 5. Amentes peccatores amittunt potentiam bene operandi, & ſufficientiam ad ſalutem. Ergo aliqui carent ea ſufficientia. Diſtinguo antecedens: carent ſufficientia, poſtquam eam habuerunt, & ea malè vſi ſunt, concedo: aliter nego. Carere autem hac ratione non opponitur cum eo, quod ſalus æterna ſit aliquando in eorum poteſtate conſtituta.

64 Ob. *6*. Excæcati amittunt etiam ſufficientiam ad pœnitendum. Ergo. Reſpondeo permittendo quod aliqui ita obdurẽtur, vt libertatem amittant. Verum cum hoc ſit in pœnam abuſus auxiliorum, iam verificatur æternam ſalutem aliquando in eorum poteſtate conſtitui. Semper tamen negandum eſt quod quando proxima libertate carent, tunc peccent: præſertim, ſi quando antecedenter peccarunt, hanc obdurationem non præuiderunt, ſi vero præuidiſſent, non ſentio poſtea peccare; ſed quando cauſam excæcationi aduertenter dedere tunc futurorum materialium peccatorum reos ſe formaliter conſtituiſſe.

65 Ob. vltimo. Pueri decedentes ſine baptiſmo, iuxta Auguſtinum, multoties nulla potuerunt induſtria baptizari. Ergo caruerunt ſufficientia ad ſalutem, etiam in voluntate parentum. Reſpondeo non caruiſſe omnino omni ſufficientia ad ſalutem: quia vt ait Vega in Tridentin. lib. 5. cap. *16*. fauente Bellarm. lib. 2. de Gratia, & libero arbit. cap. 5. ſi Patres oraſſent, vt oportebat, infans ſine baptiſmo non decederet: quod ſufficit ad ſalutis ſufficientiam. Fateor Auguſtinum oppoſitum videri docere, ſed forſam diceret aliquis hoc negaſſe, quia prius ſẽſit, quod poſtea retractauit, nimirum Deum non omnium omnino hominum ſalutem velle, vt ſupra retulimus ſect. 2. num. 25.

66 Ego vero aliter reſpondeo, videlicet id docuiſſe Auguſtinum; ſed non vt certum. imò oppoſitum iudicaſſe probabile: quia Sanctus Proſper eius fidiſsimus diſcipulus noſtram docuit ſententiam, & credendum non eſt Proſperum Auguſtino fuiſſe contrarium. Igitur S. Proſper lib. 2. de vocatione gentium cap. 23.

Non

Nō irreligioſe(ait) arbitrior credi, nec inconuenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper vniuerſis eſt impenſa nationibus, qua vtique, ſi bene eorum vterentur Parentes, etiam ipſi per eoſdem iuuarentur. Ob hoc igitur poteſt etiam Auguſtinus interpretationem ſubire: quatenus videlicet dixerit aliquos infantes non potuiſſe humana induſtria baptizari, attenta nimirum præciſſe humana induſtria; non vero attenta prouidentia Dei annexa induſtriæ, & orationi parentum. Item poteſt dici quod, dum negat D. Auguſtinus defectum baptiſmi infantis prouenire à negligentia parentum, ſolum negat eſſe in pœnam negligentiæ parentum, quod videbantur contendere Pelagiani; non vero quod, ſi Patres negligentes non forent, infans baptiſmum conſequeretur.

67 Difficilius argumentum circa voluntatem, & procurationem ſeriam ſalutis reproborum, ſumitur ex collatione auxilij inefficacis finalis cum præſcientia peccati, & damnationis. Verum de hoc argumento ſatis ſuperque diximus ſupra tota quæſt.4.

SECTIO V.

Vtrum detur, dari ve poſsit Reprobatio poſitiua ante abſolutè præuiſum peccatum?

68 NOmine *Reprobationis* poſitiuæ intelligimus voluntatem efficacem puniendi peccatum lęthale pœna æterna: ſicut igitur ex præuiſione conditionata de eo, quod, ſi Petrus vocetur auxilio finali A, conſentiet, poteſt Deus velle efficaciter quod Petro conferatur gloria in præmium ſuorum meritorum, vt diximus quæſt.13. ita modo quærimus: an ex præuiſione conditionata de eo, quod, ſi Paulo conferatur auxilium finale A, decedet in peccato lęthali, poſsit Deus ante abſolutam præuiſionem huius peccati lethalis velle efficaciter damnare Paulum ad infernum in pœnam ſuorum peccatorum.

69 Ex antea dictis ſupponendum eſt hanc reprobationem poſitiuam non repugnare ex capite libertatis: cum enim conſideretur dependens à Scientia Media diſſenſus, voluntas potens impedire Scientiam Mediam diſſenſus, poterit eam Reprobationem impedire: ideoque illa Reprobatio cum libertate cohęrebit.

70 Similiter ſupponendum eſt ex dictis quæſt.12. de præ-

defi-

definitione pœnitentiæ ante abſolute præuiſum peccatum, hanc voluntatem reprobatiuam non ex eo repugnare, quod ſit virtualis, aut formalis amor peccati, in cuius pœnam decernitur inferni tormentum: ea enim ratione, qua prædicto loco diximus poſſe Deum amare pœnitentiam, quamtumuis connexam cum peccato, illudque ſupponentem, quin ex inde teneatur Deus velle peccatum vt medium ad pœnitentiam; ſed ſufficere illud permittere: ſic ſimiliter in noſtro caſu, quamuis Deus amet tormentum inferni in pœnam peccati, & ſub hac ratione peccatum neceſſario ſupponat: ne virtualiter quidem tenebitur Deus amare peccatum vt medium ad prædictam pœnam. Quam obrem ex alijs capitibus hæc quæſtio dirimenda eſt.

71 Sit igitur prima concluſio. Non datur talis reprobatio antecedens. Hæc concluſio conſtat ex Concilio Valentino ſub Lothario Imperatore, vbi hæc habentur. *Fidenter quidem fatemur Prædeſtinationem electorum ad vitam, & Prædeſtinationem impiorum ad mortem; in electione tamen ſaluandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione vero periturorum meritū malum præcedere iuſtum Dei iudicium.* Cumque diſcrimen ponat inter electos, & reprobos, & ex alia parte certum ſit per voluntatem exequutiuam non velle Deum gloriam vt coronam ante abſolutam præuiſionem meritorum. Hinc ſit concilium ita loqui in præſenti caſu, vt doceat Deum aliqua voluntate efficaci velle gloriam electis ante præuiſionem abſolutam meritorum; reprobis vero nulla voluntate velle pœnam ante demeriti abſolutam præuiſionem.

72 Probatur ſecundo ex ſcriptura. Nam 2. Petri 3. dicitur *patienter agit propter vos nolens aliquem perire*. & Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, & non magis vt conuertatur, & viuat?* Ex quibus & alijs ſcripturæ verbis ſic conficitur argumentum. Illud eſt voluntatis Dei, quod ex ſe omnino, & à nullo prouocatus, Deus vult efficaciter. Sed Deus non vult ex ſe mortem, & damnationem peccatoris. Ergo Deus damnationem peccatoris non vult ex ſe efficaciter, & non prouocatus ab alio. At velle damnationem peccatoris ante abſolutam præuiſionem peccatorum, eſt velle Deum ex ſe, & à nullo prouocatus. Ergo Deus nõ vult ante abſolutam præuiſionem peccati quod peccator in æternum damnetur.

73 Sit ſecunda concluſio, Deus non poteſt antecedenter reprobare poſitiuè. Probatur ex ſumma bonitate, & benignita-

te

te diuina. Non enim congruit prædicato bonitatis infinitæ, & infinitæ benignitatis, voluntatem diuinam ex ſe, & ante peccati prouocationem, velle Deum hominem immaniſsimos cruciatus per totam æternitatem ſubire.

74 Ob hoc dixit Damaſcenus lib. 2. de Fide cap. 26. *Deus ex ſe ipſo mouetur ad miſerendum: ad puniendum non niſi ex noſtra præſuppoſita culpa.* Et Tertullianus lib. 2. contra Marcionē. *Deus ex ſe ipſo bonus eſt ex nobis iuſtus* (id eſt iuſtè infligens pœnam) *prior eſt bonitas Dei ſecundum naturam; poſterior ſeueritas ſecundum cauſam. illa propria; hæc accommodata: illa edita; hæc adhibita.*

75 Confirmatur. Quem admodum decernere gloriam vt coronam ante abſolutam præuiſionem meritorum eſt liberalitas in præmiando, ita decernere damnationem in pœnam ante abſolutam præuiſionem demeritorum, eſt liberalitas in puniendo. Sed liberalitas in puniendo eſt ſæuitia, & cōſequenter repugnans Deo. Ergo ſimiliter repugnabit Deo decernere damnationem in pœnam ante abſolutam præuiſionem demeritorum.

76 Probatur ſecundo ratione valde congruenti. Sicut (vt dicetur tractatu de Merito) poteſt Deus anticipare præmium in exequutione; non vero pœnam: quia de ratione pœnæ, & ſupplicij, eſt exigi à demerito: ita ſimiliter voluntas præmiandi poteſt antecedere meritum; ſecus voluntas puniendi: quia voluntas puniendi debet ſupponere aliquid eam exigens iure ſuo: omnis enim, qui poteſt affici pœna, ſicut ius habet ne illa afficiatur, donec mereatur illam: ita ſimiliter ius habet, ne ſit voluntas illam pœnam infligendi, donec illo ſupplicio dignus ſit.

77 Confirmatur ex Auguſt. epiſt. 106. vbi dicit *hæc maſſa, ita media* (loquitur de natura humana) *ſi eſſet ita media, vt quem admodum nihil boni, ita nihil mali mereretur, non fruſtrà videretur iniquitas, vt ex ea ficrent vaſa in contumeliam.* Sed Reprobatio antecedens facit vaſa in contumeliam ex maſſa, antequā quidquam mereatur. Ergo non fruſtra; ſed iure iniqua videretur. Etiam idem Aug. lib. 3. contra Iulian. cap. 8. *Bonus eſt* (inquit) *Deus, iuſtus eſt Deus: poteſt ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt: non poteſt ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.* Ergo eſt contra iuſtitiam velle ante abſolutam præuiſionem demeritorum aliquem damnare.

78 Duo hic aduerto. Primum: quod, ſi Deus poſt peccatum originale ante præuiſionem abſolutā peccati alicuius actua-

lis,

lis damnaret aliquos, vel omnes homines, eos à regno cœlorum excludendo in pœnam peccati originalis, tunc, licet ea reprobatio eſſet ante præuiſionem peccatorum perſonalium; non tamen eſſet, abſolutè loquendo, ante abſolutam præuiſionem peccati, in cuius pœnam reprobarentur, cum reprobarentur in pœnam originalis iam abſolutè præuiſi: minimè vero in pœnã peccatorũ perſonaliũ.

79 Secundum, quod hic animaduertendum eſt, quod, ſi reprobatio non ſolum conſideretur vt antecedens abſolutam præuiſionem peccatorum, verum etiam conſideretur non directa, aut regulata per Scientiam Mediam; ſed omnino antecedens, ſicuti, iuxta Thomiſtas, eſt prædiffinitio conſenſus creaturæ: contra huiuſmodi reprobationem fiunt omnia argumenta, quæ à noſtris torquentur aduerſus Thomiſtas oſtendendo huiuſmodi decreta libertatem funditus euertere.

80 Sit tertia concluſio. Si ſub nomine Reprobationis ſolum modo intelligatur decretum excludendi homines à gloria, non in pœnam peccati; ſed ſolum denegando hominibus gloriam vt donum indebitum: iuxta hanc acceptionem, Deus poteſt antecedenter quem voluerit reprobare ante omnem præuiſionem abſolutam peccati, tam perſonalis, quam habitualis; de facto tamen nullum hominem hac ratione reprobauit. Prima pars concluſionis videtur certa: quia Deus antecedenter ad omne demeritum poteſt creaturæ denegare quod nulla prorſus ratione creaturæ debetur. Sed gloria eſt donum indebitum naturæ humanæ. Ergo Deus potuit creare naturam humanã, & antecedenter ad meritum, & demeritũ, decernere excludere aliquos, vel omnes homines à gloria.

81 Secunda cõcluſionis pars probatur ex iam dictis. Deus habet de facto voluntatẽ generalẽ ſaluandi omnes homines, ita, vt per ipſum Deũ non ſiet eos nõ ſaluari. Ergo neminẽ antecedenter excludit à gloria. Probatur hæc conſequentia. Deũ velle vt per ipſum nõ ſiet homines non ſaluari, inuoluit voluntatẽ efficacem conditionatam eos ſaluandi, ſi per ipſos non ſteterit. At voluntas denegatione ſaluationis, vt præciſè indebitæ, & independẽter à meritis, vel demeritis, opponitur illi voluntati conditionatæ. Ergo voluntas generalis ſaluandi omnes homines excludit hãc reprobationẽ antecedẽtẽ. Cõſequentia eſt bona, & minor videtur certa: quia qui ex ſe habet voluntatẽ firmã, & abſolutã, aliquod donũ negandi, independenter ab hac, vel illa cõditione, nõ poteſt ſimul habere verã volũtatẽ ipſum donũ cõcedẽdi, ſi adhibeatur aliqua cõditio.

82 Minor autẽ conſtat ex ſupra dictis: quia voluntas de ſalute

lute hominum, ita vt nō ſiet per Deū nō ſaluari, neceſſario infert, quod, ſi non ſteterit per homines, ſaluationē conſequentur. At hoc ipſum eſt habere voluntatem de eo, quod ſalventur, ſi adhibeatur conditio de eo, quod per ipſos non ſteterit. Ergo illa voluntas generalis arguit hanc voluntatem conditionatam.

83. Nec ſatisfacit ſolutio aduerſariorum aſſerentium voluntatem abſolutā denegandi gloriā independenter a meritis, vel demeritis, poſſe componi cum voluntate conditionata de ſaluatione eorum, ſi per ipſos non ſteterit, quia ſunt per diuerſa motiua. Hoc inquam eſt aperte falſum, niſi amplius explicetur: quia, ſi obiecta materialia volita efficaciter inter ſe realiter opponantur, non poſſunt voluntates efficaces eorum, adhuc ex diuerſis motiuis, coniungi: quia neque ex diuerſis motiuis poteſt vllus ſanæ mētis habere voluntatem efficacem de extremo, & de aliquo incomponibili realiter cum illo. Ergo coniungibilitas harum voluntatum aliunde petenda eſt, quam ex diuerſitate motiuorum.

84 Haud magis præſtat alia ſolutio petita ex eo, quod hæc voluntas ſit purè intentiua relinquens locum voluntati exequutiuæ neganti gloriam in pœnam demeritorum, ita vt Deus non neget de facto gloriam præciſsè ex ſe ipſo. Hæc enim reſponſio deſtruit ſtatum quæſtionis: nam voluntas, quæ ponitur ab aduerſarijs denegandi gloriam, quia indebita eſt, reſpicit vt obiectum volitum, & decretatum; hoc quod eſt Deum negare in exequutione gloriam præciſſe quia indebitam, non reſpiciendo pro motiuo demerita. At Deū negare in exequutione gloriā purè vt indebitā, nō reſpiciendo ad alia motiua, dicit quod exequutio negādi gloriā ſit præciſsè quia indebitā. Ergo ſolutio deſtruit ſuppoſitū quæſtionis

85 Declaratur magis hæc ratio. Voluntas antecedens ſaluandi homines, quatenus eſt ex parte Dei, ſi per ipſos non ſteterit, excludit voluntatem negantem in exequutione gloriam præuiſſā vt indebitā abſque reſpectu vllo ad merita, vel demerita, quia excludit quod Deus neget gloriam omnino ex ſe, & ſtando per Deum homines non conſequi gloriam. Ergo Deum habere ſimul cum hac voluntate antecedenti voluntatem intentiuam negandi gloriam, erit habere voluntatem negandi gloriam negatione componibili cum ea voluntate antecedenti. Sed cum ea voluntate antecedenti non componitur negare in exequutione gloriam præciſſe vt indebitam, & ſolum componitur negare gloriam in exequutione propter demerita. Ergo habere voluntatem intentiuam negandi gloriam coniungendo hanc intentionem cum illa volunta-

te

te generali antecedenti, eſt habere voluntatem ante præuiſionem peccati negandi gloriam in pœnam, quod modo non quæritur; imò iuxta aduerſarios, quos modo impugnamus, repugnat Deo; Ergo hæc ſolutio, & deſtruit quæſtionem, & concedit quod prius negauerat.

86 Vnde ſolum relinquitur aduerſarijs ſolutio, quæ docet Deum ex eo dici velle ex ſe ſalutem omnium hominum, præciſe quia dantur merita Chriſti Domini, & Sacramenta ex ſe ſufficientia ad cauſandam vitam æternam; non autem quia Deus ex vi huius voluntatis generalis teneatur ad conferendam ſufficientiam hominibus, vt vitam æternam cõſequantur. Verum falſitatẽ huius doctrinæ ſatis ſupra declarauimus, vbi oſtendimus hanc voluntatem non eſſe ſinceram procurationem ſalutis æternæ, ſed fucatam; & ſolum quandam velleitatem, cui immerito procurationis nomen tribuitur.

SECTIO VI.

Soluuntur aduerſariorum argumenta.

87 OB. 1. tria Scripturæ teſtimonia. Primum Pauli ad Rom. 9. *Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni, vel mali feciſſent, non ex operibus; ſed ex vocante dictum eſt: Iacob dilexi; Eſau autem odio habui.* Ergo, ſicut ex hoc loco colligimus Deum Iacob antecedenter eligiſſe, ex eodem colligere debemus Eſau fuiſſe a Deo antecedenter reprobatum. Secundum ibidem, vbi dicitur de induratione Pharaonis: *in hoc ipſum excitaui te, vt oſtenderem in te virtutem meam.* Ergo Deus antecedenter reprobauit Pharaonem in oſtenſionem ſuæ omnipotentiæ. Tertium etiam ibidem. *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum.* Ergo ex fine puniendi permittit peccata.

Ad 1. de Iacob, & Eſau reſpondeo; ibi odium erga Eſau non accipi pro voluntate poſitiua illum excludendi à gloria, ſed pro minore amore, quam erga Iacob, quatenus Deus efficaciter elegit Iacob ad gloriam, & noluit ſic eligere Eſau. Sic dicitur Lucæ 14. *Qui non odit Patrem, & Matrem, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus*: quaſi diceret *qui illos non diligit minus quam me.* Videatur Petauius tom. 1. Theologic. dogmat. dub. 10. cap. 1. verſ. *omitto illud.*

88 Ad

88 Ad 2. de induratione Pharaonis: reſpondeo Deum permiſiſſe indurationem Pharaonis, non quidem vt oſtenderet ſuam potentiam per punitionem; ſed per miranda illa portenta, quæ ocaſione tantæ indurationis exhibuit.

89 Ad 3. de eo, quod Deus ſuſtinuerit in multa patientia, vt oſtenderet iram ſuam, reſpondeo ibi tantum ſignificari Deum ſuſtinere peccata iam commiſſa, vt clarius appareat iuſtitia. Itaque ſæpe ſæpius non ſtatim punit; ſed ex præuiſione abſoluta peccatorum, quæ iam commiſſa ſunt, differt ſupplicium, vt clarius omnibus ira, & iuſtitia diuina notæ ſint.

90 Præterea ly *vt* frequenter non ſignificat finem; ſed præciſſe idem quod *ita*. Sic ſæpe dicitur factum fuiſſe aliquid *vt* adimpleretur Scriptura: & tamen ſolum ſignificatur id factum fuiſſe, & *ita* impletam fuiſſe Scripturam: & iuxta hanc acceptionem ſenſus eſt Deum permiſiſſe peccata. & ita magis oſtendiſſe ſuam iram, quam ſi illico peccatorem puniret.

91 Ob. 2. Deus poteſt antecedenter ad præuiſionem abſolutam meritorum ex bonitate, quæ apparet in remuneratione meritorum, moueri ad volendum efficaciter præmiare merita. Ergo, cum in ſe contineat bonitatem hoc, quod eſt *punire peccata*, poterit Deus ex hac bonitate cognita, antecedenter ad præuiſionem abſolutam peccatorum moueri ad volendum efficaciter eam punitionem.

92 Nego conſequentiam. Ratio diſparitatis ſumitur ex dictis: quia non ex eo præciſè poteſt Deus velle præmium bonorum operum, quia *præmiare bona opera* bonum in ſe ſit; ſed quia, & eſt in ſe bonum, & quia homo præmiandus non habet ius ne illi decernatur præmium ante abſolutam præuiſionem meritorum: nemo enim habet ius ne illi fiat beneficium. Tum etiam: quia decernere præmium ante præuiſionem meriti eſt liberalitas in præmiando, quæ decet Dei bonitatem. At vero homo ante ſuum demeritũ habet ius ne illi decernatur pœna: & decernere ſupplicium ante abſolutam præuiſionem demeriti eſt liberalitas in puniendo, quæ eſt ſæuitia, & ideo repugnat infinitæ Dei bonitati.

Ob. 3. Deus vtens ſupremo dominio poteſt independenter à peccatis creaturam rationalem æternis inferni cruciatibus addicere. Ergo poterit antecedenter ad abſolutam præuiſionem peccati decernere illi infernum in pœnam peccati.

93 Reſpondeo negando antecedens cum Arriaga in 1. p. diſp. 39. num. 9. Quiros in 1. p. tract. 6. diſp. 17. ſect. 4. num. 16.

Izquierdo tom.2.de Deo vno tract.12.diſp.44.quæſt.2.propoſ. 2.num. 18.& cum RR. in manuſcriptis: necnon cum Goneto de Prædeſt.diſp.5.art.2.§.2.quia ratio,qua vtitur ad excludendam voluntatem puniendi ante præuiſa demerita, hoc etiam probat. Etenim addicere creaturam pœnis inferni pro ſola Dei voluntate vergeret in crudelitatem, & ſæuitiam, quæ procul eſt à Deo. Quæ doctrina ſumitur ex D. Auguſtino lib. 3. contra Iulianum cap.8.vbi ait. *Non poteſt ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt* vbi ly *damnare* non ſumitur per modum ſupplicij ſolum: clarum enim erat non poſſe dari damnationem per modum ſupplicij de meritorum, ſi demerita non eſſent. Igitur abſolute non poteſt malum æternæ damnationis innocentibus infligi à Deo: *neque enim* (vt ait ipſe Auguſtinus cap.9.de Geneſi ad litt) *potentia temeraria; ſed ſapientia virtute omnipotens eſt.*

SECTIO VII.

De cauſis, & effectibus Reprobationis.

94 CVm Reprobatio conſiſtat in aggregato Scientiæ, tum naturalis, tum Mediæ, & decretorum, tam negandi auxiliũ finale, quod efficax præuidetur, quam puniendi hominẽ pœna æterna, ſi in peccato decedat: idem erit quærere cauſam Reprobationis, ac cauſam horum actuum inueſtigare. Deinde, cum actus diuini propriè non cauſentur; ſed ſolum impropriè: ideo non de cauſa propria, ſed de impropria cauſa horum actuum nobis agendum eſt.

95 Cæterum, ſi loquamur de actibus intellectus, qui pertinent ad Scientiam neceſſariam, cum Deus à ſe ipſo determinatus ſit ad hos actus concipiendos, ipſe, & non alius, erit cauſa (intellige cum improprietate) Reprobationis, prout Reprobatio Scientiam Deo neceſſariam importat. Si vero loquamur de Scientia contingente, qualis eſt Scientia Media de diſſenſu ſub hypotheſi auxilij finalis, ipſe homo, vt ita diſſentiens, erit cauſa obiectiua, ſeu obiectiuè determinans Deum ad eam Scientiam contingentem: quia conſenſus conditionatus eſt id, quod exiſtentiã Scientiæ Mediæ obiectiuè determinat. Verũ loquendo de actu voluntatis, quo Deus negat auxilium efficax, non eſt dubium, quin à Deo de-

terminetur, ſi quidem à ſe ipſo, & à nullo alio determinatus, diuidit ſingulis prout vult.

96 Reſtat tamen dubium, circa quod non leuiter; ſed acriter inter plures authores decertatur: videlicet de cauſa morali in genere meriti reſpectu Reprobationis. Nam aliqui volunt Deum ex nullo demerito præuiſo, ſiuè perſonali, ſiuè originali, homines reprobaſſe; ſed ex mero ſuo libito id feciſſe ad oſtendendum ſuam omnipotentiam, ſiuè vt melius poſtea ſua iuſtitia in puniendis peccatis actualibus appareret, ſiuè quia diuerſitas prædeſtinatorum, & reproborum, ſpectat ad pulchiritudinem vniuerſi. Alij vero accerrimè contendunt reprobationem eſſe in ſupplicium originalis peccati, Verum: quia hæc quæſtio potiſsimum procedit ex ſuppoſitione reprobationis poſitiuæ ante abſolutè præuiſſum peccatum actuale, prius noſtra ſententia reuocanda in memoriam eſt, vt quid quæſtionis remaneat, & quid ſentiendum ſit, facilius declaremus.

97 Nos (vt ex dictis conſtat) nullam reprobationem antecedentem poſitiuam concedimus: neque aliam reprobationem agnoſcimus, quam collationem auxilij inefficacis finalis, ſeu voluntatem huiuſmodi collationis. Verum cum hoc ſtat dari aliam reprobationem valde impropriam, quæ præciſiua poteſt appellari, videlicet carentiam electionis antecedentis ad gloriam. Etenim Deus, præuiſſa maſſa totius naturæ humanæ peccato originali infecta, & Chriſti meritis præuiſis, aliquos homines elegit in gloriã, alijs in illa maſſa relictis: non quia eos poſitiuè à gloria Deus tunc excluſerit; ſed quia eos antecedenter non elegerit, tametſi in ſenſu compoſito huius non electionis potuerint conſequi gloriam: quia, vt diximus quæſt. 15, ſect. 1. non requiritur electio antecedens ad gloriam conſequendam. Hæc non electio poteſt cum aliqua improprietate appellari *reprobatio*: tum, quia eſt aliqua diſtinctio ab electis: tum, & potiſsimum, quia, cum omnes nõ electi fuerint in alijs ſignis reprobati, ideo hæc non electio poteſt appellari *reprobatio ſecundum quid, & initiatiuè.*

98 Præterea: cum reprobatio non ſolum dicat collationem auxilij ineficacis, verum etiam quod illud auxilium ſit finale, ideo mihi valde probabile videtur reprobationẽ hoc modo procedere. Si Reprobus non vnicum duntaxat committit lethale peccatum poſt iuſtificationis ſtatum, vt ferè ſemper accidit: in hoc caſu in pœnam peccatorum, quæ prius ab hoc homine commiſſa ſũt, Deus negat illi auxilium finale eficax, quapropter Rebrobatio

 eſt

eſt in pœnam peccatorum actualium. Et hoc eſt, quod nobis PP. & verbi Dei concionatores ingeminant, videlicet peccatores ſuis peccatis mereri quod á Deo finaliter deſerantur.

99 Si vero aliquis propter primum peccatum damnetur, cenſeo in hoc caſu non dari integram Reprobationem ante peccatum vt abſolutè commiſſum: quia Deus non decreuit illud auxilium vt finale; ſed prius decreuit illud auxilium præuiſum in efficax: & in alio ſigno, præuiſo iam eo peccato vt abſolutê commiſſo, in pœnam illius decernit Deus non vltra pœnitentiæ ſpatiū concedere: quod idem eſt, ac decernere quod illud auxilium ſit finale: quo decreto completur Reprobatio: indeque fit nullum adultum à Deo reprobari ante peccatum perſonale abſolutè præuiſum.

100 Cum hoc componitur peccatum originale eſſe cauſa n Reprobationis: tum quia ſe ſolo eſt cauſa Reprobationis *initiatiuè* acceptam, quatenus ex peccato originali mouetur Deus ad illum hominem non eligendum ad gloriam, & etiam quatenus ex eodem peccato originali mouetur ad negandum auxilium efficax ad euitandum primum peccatum actuale; tum etiam. quia quando Deus completè reprobat, mouetur ſimul ex peccato originali, & actuali commiſſo ab illo homine.

101 Componitur etiam cum hoc id, quod dicit Tridentinum ſeſ. 6. cap. 11. & Auguſtinus de Natura, & Gratia cap. 26. Deus *non deſerit, niſi prius deſeratur*: quia nemini (ſaltem adulto) negat auxilium finale efficax, reduplicatiue vt finale (quod quidē eſt proprie reprobare) niſi prius Deus deſeratur per peccatum læthale. Et hac ratione explicandi Reprobationem, magis apparet benignitas, & ſuauitas diuinæ prouidentiæ neminem reprobando integrè & completê, quin ſuis demeritis ipſe ſibi vſque adeo ingēs intulerit damnum.

102 Ob. 1. pluribus in locis D. Thomam ſolum in diuinam voluntatem reuocaſſe vnum eſſe electum, & alterum reprobatum. Ergo neque peccatum originale, neque peccatum actuale eſt cauſa Reprobationis. Reſpondeo duplicem eſſe quæſtionem. Prima cur Deus hunc hominem eligat ad gloriam, & alium non eligat, ſed potius initiatiue reprobet? Altera cur potius vnum, quam alterum eligat: cum omnes æquales præ intelligantur. Ad hoc ſecundum reſpondet D. Thomas, dum aſſerit totalem cauſam eſſe beneplacitum diuinum: nam cur potius eligatur vnus, quam alter, nullam aliam habet cauſam, quam diuinam voluntatem. At vero

cur

cur ille, qui non eligitur, non facta comparatione cum altero, ſed abſolute loquendo, non eligatur, ratio eſt peccatum originale. Ita expreſſe D. Thomas q. 6. de verit. art. 2. ad 9. vbi ait *Electio Dei, qua vnum eligit, & alterum reprobat* (intellige initiatiuè nō eligendo) *rationalis eſt: nec tamen oportet quod ratio electionis ſit meritum; ſed in ipſa electione ratio eſt diuina bonitas: ratio autem reprobationis in hominibus eſt peccatum originale, vt Auguſtinus dicit.*

103 Hoc explicatur exemplo duplicis rei æqualiter digni pœna capitali. Si enim ſupremus Princeps aliquem ex illis carcere, & pœna liberaret, alterum vero capite plecteret ob ſuum ſcelus. In hoc caſu verum eſſet obſolam Principis voluntatem hunc potius, quam aliu n, non eſſe liberatum.

104 Ob. 2. Pluribus reprobis dimiſſum eſt peccatum originale. Ergo non poteſt Deus propter originale peccatum eos reprobare. Nego conſequentiam; quia, dimiſſo peccato, poteſt remanere reatus pœnæ, quæ non eſt excluſio à regno cœlorum. Cum autem Reprobatio purè negatiua non ſit excluſio à regno cœlorum, ſed ſolum negatio auxilij efficacis ſimul cum conceſsione ſufficientis, ideo, dimiſſo peccato originali, poteſt Deus illud per Reprobationem punire. Præſertim cum Reprobatio, cuius principalis cauſa eſt peccatum originale, non ſit Reprobatio abſolutè, & ſimpliciter; ſed ſolum ſecundum quid, & initiatiuè.

105 Iam verò effectus Reprobationis facile erit recenſere. Dico igitur 1. Auxilium inefficax eſt effectus Reprobationis. Probatur. Reprobatio in noſtra ſententia conſiſtit in voluntate conferendi auxilium inefficax finale. Sed effectus huius voluntatis eſt prædictum auxilium. Ergo prædictum auxilium eſt effectus voluntatis reprobantis.

106 Dico 2. Neque peccatum, neque pœna peccati ſunt effectus Reprobationis intenti à reprobante. Patet ex dictis: quia, dum Deus confert auxilium inefficax, neque intendit peccatum, neque eius pœnam: cum Deus, vt ſupra ſtatuimus, neque prædefiniat peccata, neque permittat ex intentione damnandi. Ergo neque peccatum, neque pœna illius, ſunt effectus intenti à reprobante.

107 Dico 3. Peccatum, & pœna peccati, ſunt effectus Reprobationis, non propriè; ſed impropriè, quatenus ex illa infallibiliter inferuntur: ſemel enim poſito decreto conditionato de damnatione eorum, qui in peccato deceſſerint, & voluntate dandi

auxilium finale præuiſum inefficax, per legitimam conſequentiam deducitur illum hominem in peccato deceſſurum, & in æternum fore damnandum.

108 Dico 4. Cum Reprobatio ſit cauſa auxilij, & auxilium conſtituat libertatem, quæ tota in noſtris principijs præcedit ad peccatum: dici poteſt peccatum eſſe effectum remotum Reprobationis purè phyſicè, & materialiter: quia cauſat libertatem cauſantem phyſice peccatum.

109 Tandem: ſi hoc nomen *Reprobatio* accipiatur, vt ab aliquibus accipitur, non pro Reprobatione antecedente; ſed pro conſequente peccatum finale, nempe pro decreto, quo Deus ex præuiſione abſoluta peccati damnet peccatorem, cauſa motiua huius Reprobationis erunt peccata lethalia, quibus homo in vltimo inſtanti vitæ maculatus exiſtit, & effectus illius erit pœna propter peccatum Deo iuſtiſsimo iudice infligenda. Hæc ſatis. Dicta cedant in laudem, & gloriam Dei, Beatiſsimæque Virginis Mariæ abſque culpa originali in ſuo primo conceptionis inſtanti; D. Aurelij Auguſtini, Sanctorum Ignatij de Loyola, & Franciſci Xauerij, & omnium Sanctorum.

(???)

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

LABORATORIO DI RESTAURO
FRANCESCA ROMANA
Via del Teatro di Marcello 32 00186 ROMA

Digitized by Google